UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gavdendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per Adventvales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificivm In Conscientiae Recta Efformatione inuentum, & per Adventvales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

Visual Library

Th. 2644

J. XI
250

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ARTIS SEMPER GAVDENDI

PARS SECVNDA

LÆTITIÆ PERFECTÆ ARTIFICIVM

IN CONSCIENTIÆ RECTA EFFORMATIONE

Ex legato Celsissimi principis Ferdinandi Episcopi Paderbornensis et Monasteriensis &c.

inuentum, & per

ADVENTVALES CONCIONES

expositum ac demonstratum

AB ALFONSO ANTONIO DE SARASA

SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

Cum duplici Indice tractatuum & rerum, quibus adjectus est Index rerum quæ primâ parte continentur.



Collegij Societatis Jesu Paderbornæ.

ANTVERPIÆ,

Apud IACOBVM MEVRSIVM.

ANNO M. DC. LXVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
DOMINO
D. EVGENIO ALBERTO
D'ALLAMONT,
NONO GANDENSIVM EPISCOPO,
DOMINO
TERRITORII S. BAVONIS,
COMITI EVERGEMIENSI,

Ex Comitibus de Brandeville, Baroni de Bussy, Toparchæ de Malandry, &c.



Elicitatem ab hâc, quam passim miseram vocamus, vitâ, eliminatam prorsus esse si quis credit, Præsul Illustrissime, neque vmquam mortalibus, quamdiu mortales sunt, dari esse verè felicibus & fortunatis, is quidem meâ sententiâ id credit perperam atque abs re. Communis fateor hic est error;

& vulgi sermonibus ita increbuit, vt in rem judicatam planè abierit. Qui tamen si eum penitius introspicimus, non tam error dicendus est, quàm errare volentium, erroresque suos interim excusantium, popularis quidem, sed futilis prætextus

Vitam hanc mortalem, miseram ipsi facimus: & talem dum effinximus, tum demum vocamus miseram, nobisque, quasi re benè actâ, abblandimur de conuitio. Miserias, inquam, omnes in vitam nostram nos ipsi inuehimus; & tum vitam malumus accusare, quàm nos. Quasi-vero aliquid id miseris conferat solatii, quòd sibi persuadeant alienâ sese culpâ aut vitio infelices esse, & non suo; miseriasque se non tam domum conuehere, quàm aliunde aduentitias, aut etiam per vim illatas, pati. Miserum itaque qui se fatetur, fateatur sanè; per me id licet: sed nemini conuitium faciat, præterquam sibi; etenim de suo est miser. Neque eiusmodi hominis admodùm me miseret: non enim est alius, quàm quem se esse vult.

Istud quidem fateor, non eo nos in loco adhuc esse, vbi voluptas omnis, sibique semper constans rerum amœnitas affluat, quæ mentem dulcedine, & corpus ipsum grato jucundoque sensu, totum denique hominem numquàm interruptâ suauitate demulceat. Cœli est ista felicitas. Isthic amœna

sunt

sunt omnia, omnia festiua, blanda omnia; nihil est isthic, quod voluptati percipiendæ officiat. Fateor ita est.

Ast istud jam quæro, an non detur, nisi delicias inter, vlla felicitas? An ergo tanta res solis voluptatibus circumscribitur? An non inter aspera & incommoda suus etiam felicitati est locus? En vulgi errorem manifestum, quique omnes passim corripit. Felicitatem à Commodo non distinguimus, nec ab Incommodo Miserias. Voces autem si confundimus, quid jam miramur si in rebus ipsis seligendis, à verô turpiter aberramus?

Ego sanè felicem eum voco quisquis Gaudet: commoda sint in quibus versatur an incommoda, aspera sint an jucunda, id quidem ad rem admodum parum facit, iis modò gaudeat. Gaudet autem quisquis contentus est suo; nec aliter vult aut se, aut res esse, quàm prout sunt. Sanè qui rebus suis adjectum aut ademptum quidquam cupit, etiamsi medias inter Paradisi sit delicias, adhuc miser est, neque quibus interest voluptatibus plenè fruitur. Etenim ei deest, quod in deliciis maximè est commendabile, Gaudium; quies inquam animi ad aliena se non extendentis, sed incumbentis suo.

Gaudii seu Felicitatis, inter hujus vitæ non tam miserias quàm vicissitudines & incommoda, ac-

quirendæ artem, volumine nuper edito vtcumque porreximus: eiusque scopus erat ita animum componere, vt incurrentem in se fortunam, (qualiscumque demum fuerit, prospera an aduersa parum interest) imperturbata mens excipiat. Id autem assequetur, quisquis id à se impetrarit, vt ei in omnibus rerum euentibus, naturæ casibus, fortunæ denique reuolutionibus, placeat rerum omnium director Deus, eiusque sanctissimis placitis acquiescat. Artem itaque semper Gaudendi ad gnomen hanc reduximus, *Placeat tibi Deus*. Atque hoc modo difficultatem omnem complanasse, atque Artem Gaudendi videbar mihi penitus exhausisse.

Verùm cùm rem altiùs attendo, istud illico mihi occurrit, quid demum quieti meæ aut Gaudio collaturum sit Deus mihi quòd placeat, si Deo ipsimet displiceo? Quid me juuerit quòd rebus omnibus acquiescam, quòd quæ Deus circa res meas agit approbem, si ea interim ago, quæ jure merito Deo displiceant, imò & mihi? Placebit tum quidem id quod sum, quia talem esse me voluit Deus: at displicebit id quod ago; ago enim quæ non vult Deus. Deo autem si displiceo, quid quæso bonæ rei aut spei mihi factum est super?

Extendenda itaque fuit semper Gaudendi Ars. Perfecta enim vt sit, enitendum est vt dum mihi placet

cet Deus, ipse etiam sim ejusmodi, vt meritò etiam placeam Deo. *Placeat* itaque *mihi Deus*, & *ego placeam Deo*; atque in his duobus cardinibus vertitur totum Gaudendi artificium.

Hoc ergo nunc ago: artem inquiro quâ ita effingatur animus, vt nostris actionibus Deus ipse acquiescat. Quod si assequor, quid vltra exquiro vt semper, & quidem totus Gaudeam? quieta enim in me erunt omnia, omnia cùm placuerint quæ circa me aguntur extrinsecus (quod primâ parte jam exegimus) & cùm ea quæ à me aguntur intus, fuerint eiusmodi, vt nec mihi possint, nec Deo displicere. Istud est, quod hoc volumine inquirimus.

At verò ne quis fortè hanc Artem existimet esse difficilem, aut quòd difficilia ei assequendæ adhibenda sint adminicula, aut quòd molestum sit actiones suas ita componere, vt Deo, Menti sagacissimæ, approbentur; istud etiam comperio, quòd Artem illam indaganti summo sit solatio, numquam actionem vllam displicituram Deo, quæ homini eam exhibenti non displicuerit, & ab ipso peruersitatis non condemnetur: & rursus omnia à Deo approbanda, quæ mens propria sincerè & bonâ fide comprobarit. Itaque cuilibet homini res tota secum est: & si se ita composuerit, vt sibi ipsi ratione bonâ placeat, habet Artem quam inquirit, & placet Deo.

Cla-

Clariùs loquar si dixero, patêre tandem, totam Gaudendi semper artem, aut potiùs Artis hujus summum complementum, in recto Conscientiæ arbitrio & efformatione consistere. Conscientia enim sola te tibi gratum potest reddere, ac proinde & Deo. En quâ parte eruenda atque effingenda sit mortalium felicitas. Domi eam nasci dicebat olim Seneca. Errat aliquantulum Philosophus; non nascitur domi, sed domi effingitur & efformatur. Porrò videndum est quo modo. Modus autem artem continet. Hanc itaque efformandæ ritè Conscientiæ jam damus; & quod mireris, facilem, planam, nullique scrupulo intertextam aut expositam. Sen. ep. 23.

Scio quidem vltimis hisce annis per omnia sacra peruagatam esse quorumdam licentiam; idque Theologiæ veteris, veterisque Religionis restituendæ pulchrâ quidem, sed falsâ sub laruâ: scio etiam per hos nouarum rerum apprime cupidos dum veteres præ se ferunt, multa jactitata esse quibus multorum animi admodum fuêre perturbati, quasi si rectam Conscientiæ efformandæ & reformandæ institutionem hactenus aut Theologi non tradiderint, aut etiam, quod dictu est horribilius, Ecclesia ipsa per multos jam annos ignorarit, aut certè neglexerit; ita enim volebant illi: vnde sine dubitatione vllâ, ingentes piorum hominum animis

de

de salute suâ sollicitis, tempestates oboriri fuit necesse.

Tamen vti spero componam omnia; illudque euidenter ostendam, errorem nullum communi vsitatæque Ecclesiæ praxi, in rectè efformandâ Conscientiâ irrepsisse, sed eos tantùm temerè & fingi & obuolui. Nihil dissimulabo eorum quæ passim ab aduersariis objiciuntur magno studio: sic nihil dum subterfugio, nihil etiam ad rem quod sit, Lectorem effugiet. Technas quorumdam & dolos si quando detego, id quidem necessitatis fuit; aliter enim institui non potuêre rectè volentium animi. cùm enim vitanda sit omnis fraus, sanè detegenda est, ne quis intricetur incautus. Nihil tamen ago per conuitium; memor ejus Religionis esse me, non adeò quòd Societatis sim, quàm quòd præcipuum est, Christianæ, quæ opprobria & scommata nouit ferre, non regerere.

Aduersariæ verò partis dicteria in Theologos præclarissimos, probatissimæque virtutis viros temerè conjecta dum affero, id quidem eâ mente ago, vt pateat veritatem contumelias non exhorrescere, iis non turbari, multò minùs de suo loco deturbari: & vt constet omnibus æquitatem rei spectantibus, haud parum plus datum esse perturbatæ mentis contentioni, quàm Christiana charitas, & tam sanctæ rei indagatio requirebat. Placidè

Diuina tractanda sunt; placida enim est veritas, placidus Deus. Et hic quidem erit scribentis deinceps stilus: placidus inquam, nemini injurius, omnibus verò, etiam non Theologis Theologica dum pertracto, planè perspicuus, quíque nihil tam optet, quàm intelligi.

Cæterùm quamuis Theologica quædam de Conscientiâ erroneâ, de Ignorantiâ inuincibili, de opinionum Probabilitate, de dubio, de Contritionis & Attritionis tum naturâ tum efficaciâ, de Confessione, de Satisfactione Sacramentali & Pœnitentiis injungendis, de Certitudine denique obtenti statûs Gratiæ pertractem dogmata; eaque oratione diffusâ & quam ab Ecclesiaste rebus abstrusis adhiberi par est, vt veritas sic expansa omnibus sit aspectabilis: tamen plurima præter hæc affero ascetica, moribusque effingendis accommoda documenta, quæ Concionatoribus explananda passim relinquunt Theologi: quæ tamen Conscientiæ rectè efformandæ, aut etiam actionibus reformandis maximo futura sunt vsui; neque propriæ dumtaxat, sed quòd animarum Curatoribus fortassis ingratum non fuerit, alienæ Conscientiæ dirigendæ adminicula prorsus necessaria. Nihil autem eorum quæ in hanc rem conducunt, arbitror prætermissum.

Atque his ritè peractis, tum demum ostendo

(quod

(quod totius orationis scopus est vltimus) ex Conscientiâ sic efformatâ & compositâ, Gaudium omne existere, quod in hâc mortali vitâ datur consequi. Nimirum ex bono Conscientiæ testimonio, certitudinem eam emicare, quâ quis sibi de Diuinâ amicitiâ certò obtentâ, possit jure optimo gratulari: Conscientiæ suæ sententiâ obarmatum, nec fortunæ vicissitudines timere, nec prosperis efferri, nec dejici aduersis; neque hominum intima quæque perscrutantium & arrodentium aut oculos, aut ora subterfugere, neque Dœmonum impugnationibus perturbari; neque tandem, quod in naturâ maximè est terribile, mortem ipsam exhorrescere.

Suâ nimirum Conscientiâ obuolutus animus, mortem corporis lætus excipit, quia corpori immersus cum esset, vixit lætus. Lætus autem vixit, quòd ita res suas ageret actionesque omnes institueret, vt à Conscientiæ dictamine numquam se passus sit dimoueri: neque ad ostentationem quidquam, omnia verò ad Conscientiam retulerit: rectéque facti mercedem non ex populi sermone (quem tamen non extimuerit) sed ex Conscientiæ testimonio petierit, suo tempore ab ipso Deo, cujus vicarias partes agit Conscientia, æternitate totâ liberaliter exhibendam.

Et hæc quidem sunt, Præsul Illustrissime, quæ

hoc volumine pertracto; quæque multò Tibi præ aliis credibiliora videbuntur; vtpote qui & in Te ipso Conscientiæ bonæ effecta amœnissima quotidiè experiris; & qui hominem rei benè actæ Conscientiâ obfirmatum Tuis ipse oculis vidisti de morte in discerpto corpore, suoque in sanguine triumphantem. Frater is Tuus fuit, Heros inclytus IOANNES ALLAMONTIVS, Montis-medii pro Rege nostro nuper Præfectus; natu major Te, non tamen animis. Iuuat facinus heroicum delibare; neque abs re. Earum enim rerum, quarum documenta nos scribimus, facitis Vos exempla, & verò etiam datis.

Marte, & Regis sui studio plenus, ab aulâ Madritensi, in quâ corporis Regii præsidiariis cohortibus cum vicariâ potestate præfuerat, in Belgium rediit ALLAMONTIVS anno 1657. Mommedio, vrbi in Lutzenburgensi Ducatu munitissimæ præfuturus posthac, Auorum exemplo; quasi si ALLAMONTIORVM familiæ id esset proprium, patriæ suæ res afflictas sustentare. Vrbem ingressus, eodem quo Præfecturæ admotus est die, illicò obsidione validissimâ cingitur. Latêre non poterat tanta virtus, ne die quidem vnicâ; non itaque non poterat confestim pertentari. Præsidium erat exiguum, si numerum spectes, & Præfectum excipias; viri totâ Vrbe septingenti triginta sex; milites inter hos quin-

quingenti viginti nouem: aqua nulla nisi quam cœlum dat, & quæ cisternis suo tempore excipitur.

Horum credo meminisse Te, vt qui toto obsidionis tempore, singulari sanè industriâ, aquæ ad dimensum militibus ciuibusque viritim distribuendæ curam vltrò in Te susceperis, virtutis Fraternæ non futurus spectator merus, sed & consors, imò & æmulus. Scimus sanè vt partes Tuas egeris, quas in defendendâ Patriâ Tibi dignitas Ecclesiastica permittebat. Tum certè cùm Fraterno gladio sustentabatur publica res, ciues militesque ad agendum fortiter, Numinisque manum implorandam, pro concione publicè adhortari Tuus est labor. Et ne periculorum immunis esses, per ipsa mœnia circumcursitantem Te vidit Mommedium, non tam Martem quàm pietatem spirantem; neque Regia signa aut arma circumferentem, sed Beatissimæ Virginis imaginem manu protendentem, cujus aspectu non pugnantes tantùm milites, sed & maximè ex vulneribus saucios generosè occumbentes animabas, vt qui fortiter egerant, fortiter etiam, id est Christianè occumberent. Iis assistere, Confessiones morientium excipere, eosque tandem ad mortem piè subeundam componere, Tuus est labor, & dignus Te.

Pugnat interim fortissimus Frater Tuus, atque

armis Patriam sustinet. Præfecti munus explesse sibi non videbatur, nisi & fortissimi militis partes ageret, inter perpetuos hostium assultus, quàm acer consilio, tam promptus manu. Infinitus sim, si quæ fortiter armis gessit, enumerem; inter ipsos hostium gladios, quasi si luderet, semper intrepidus, quia semper securus sui; quodque mireris vnicè, nec diffitebuntur aduersarii, semper victor. Hostili ferro numquam quidquam cessit, nec valli glebam vnicam amisit, nisi quæ in ventos abiit, aut in ruinas. His autem ipsis, valla noua suggestusque opponere, summa Ducis fuit industria, & militum labor.

Sed quid laborem dico? Certè ad mœnia reparanda inter hostilium tormentorum confertos globos, cùm valla conscenderet Dux fortissimus, quasi si ad triumphos iret, fidicines instrumentis non bellicis sed musicis instructos præ se agebat choragus ipse festiuæ turbæ, idque non vnà tantùm sed iteratis sæpè vicibus. Sequebatur autem non militum modò & ciuium, sed & mulierum puerorumque confertus globus, saltu immodico gestiens quod ad vallorum ruinas restaurandas ducerentur, sed ab Allamontio. Sic nempè vbi dux est in delicijs, per choreas & tripudia, etiam ad mortem itur intrepidè. Non fatigabantur hisce saltibus obsessorum aut corpora aut animi, quibus tamen

defatigabantur arma Gallica. Duos penè menses hâc virtute stetit Vrbs, quæ primæ hostium impressioni, ob Præsidiariorum paucitatem cessura credebatur. Tanti interest quo duce gerantur res.

Singula persequi non est animus; neque verò etiam instituti est mei: istud est, quod quartâ Augusti contigit. Albo sanè calculo ab ALLAMONTIIS signandus est hic dies, quem tam nobilis sanguis cruentauit. Cecidit hoc die IOANNES ALLAMONTIVS, & cum ipso ALLAMONTIANI sanguinis propagandi spes. Cecidit inquam; nam ita passim loquimur: sed si seriò rem expendimus, nullo casu surrexit altiùs domus hæc inclita, quàm quò creditur corruisse. Hic certè, si vsquam, patuit, quid sit rectè factorum Conscientiâ munitum mori, exemplo posteris verè memorabili.

Aduenerat in castra sua Serenissimus Galliæ Rex ruinam Mommedii, vti credebatur vltimam spectaturus. Vltimam eo die non vidit, nisi ruinam Vrbis vltimam, dixeris mortem ALLAMONTII. Certè non poterat virtus tam eximia in Mommedianis saxis, tamquam in theatro, pro rei dignitate exhiberi, nisi spectatorem haberet coronatum, & sic dignum se. Habuit hunc profectò; & quidem, quod paucis contigit, in ipso habuit actionis contra se, sed pro Rege suo & patriâ sibi concreditâ

fortiter

fortiter præstitæ & exhibitæ, encomiasten verè Regium. En facinoris prorsus heroici synopsin breuem.

Duo immenso molimine, rupes inter, ab hostibus excauati erant cuniculi, qui nitrico puluere subjecto & accenso, duo etiam Vrbis propugnacula ingenti ruinâ eodem temporis momento proruerent, apertamque oppugnatoribus in Vrbem viam darent. Frangeret alium tam præsens periculum, cui imbellior fuisset sanguis, quàm qui in nobili Allamontii pectore æstuabat. Ruinam expectat intrepidus; certus aut eam à Patriâ propulsare, aut illâ se inuoluere.

Scis Præsul Illustrissime, quo vultu peracta tunc sint omnia. Spectator fuisti facinoris tam egregii, imò & pars. Nosti enim vt in ipso S. Andreæ propugnaculo, cui ruina parabatur, aram aperto sub cœlo instruxeris, ibique pro rei bene gerendæ euentu celebraueris, Fratre Tuo præsidiarios inter milites flexo poplite, nequidquam vrente sole, pietatis egregiæ exemplo raro Deum deprecante, & vti prorsus est credibile, se pro suorum incolumitate & Regis obsequio debito deuouente. Quid jam non audeant Deo, Regique suo deuota Fratrum pectora.

Vix sacris peractis, ecce tibi subitò subjectis ignibus fragore horrendo dissiliêre vtrimque

Martis

Martis antra. Contremuit Vrbs vniuersa, non tremebant tamen Vrbis defensores. Cuniculorum alter parum admodum labis intulit; in rupem impactus resiliit flammæ vis, atque irrito conatu in ventos abjit. Alter quantumuis ingenti ruinâ mœnia subuerteret, nihil etiam quidquam hostiles promouit impetus: etenim vbi rupem non inuenit, inuênit ALLAMONTIVM ipsâ rupe fortiorem; atque illico totius machinæ stetit furor.

Corruerant immani lapsu propugnaculi S. Andreæ facies vna, latus anguli, magnaque pars cortinæ: cùm ecce, discussâ nube quam fumus Soli obtenderat, apparet pro vallo totus in armis ALLAMONTIVS, aperto pectore excepturus hostilem vim, quamuis ducenti tantùm supererent præsidiarii armis apti. Stetit in hostium conspectu toto corpore aspectabilis, imperterritus ipse dum hostibus metum facit. Tam perfunctoriè ingentem Vrbis hiatum vidit, vt illi reparando, quasi per lusum, fidicines aduocarit. Canunt illi, dum foris fremunt tormenta hostilia. Interim tantâ contentione à ciuibus, fœminis, imò & pueris ad musica instrumenta sibi jam dudum cognita accurritur, vt breui tempore, dum omnes incumbunt operi, sudibus, fascibus, palisque transfixis, in ipso hostium conspectu, hiatum quantumuis ingentem obturarint.

Acta jam erant omnia, si præcipuum exceperis quod jam jam instat facinus Allamontii. Ciues magnâ ex parte jam abcesserant, cùm Præfectum subit cura spectandi singula, & pertentandi an ex arte & pro periculi necessitate peracta sint omnia. Descendit itaque è vallo fortis Heros, & dum rebus gerendis totus intereſt, ecce fatalis globus tormento hostili excussus palum ingentem terræ infixum perfringit, eoque perrupto sinistrum Allamontii crus labefacit, & tantùm non à reliquo aufert corpore. Eodem impetu assula vno pede longa è palo tormenti vi disrupta, vnà cum gladii capulo in quem fortè impegerat, ventris ima fædo vulnere dissecat, & in ipsa fertur viscera. Concidit in se prolapsum corpus Viri, at numquam animo magis stetit.

Adeste jam quotquot estis Virtutis Heroicæ admiratores & præcones, Allamontivm spectate prolapsis vndique visceribus & intestinis, suo sanguini innatantem: neque fortis Viri documenta ab antiquis Heroibus posthac petite, quæ vobis nascuntur & dantur domi. Gemitum in tanto corporis afflicti sensu nullum penitus expressit dolor. Imò ne doluit quidem: gratulabatur quin etiam sibi, tam gloriosè quòd jaceret. En hominis in morte tam crudeli planè imperterriti specimen præclarum & argumentum.

Ad

Ad primam tam inopinati casûs famam accurrêre vndique perturbati Præsidiarii: & cùm nemo esset qui tanto malo non ingemisceret, ipse solus solabatur omnes vultu immutato, semper eodem, & semper suo. Peccata apud Sacerdotem ritè & summis Christianæ pietatis palàm editis indiciis expiat. Tum verò quasi solutus omni curâ, nullâ sui corporis habitâ, Vicarium sibi mortuo Præfectum substituit. Et, quòd imperturbati animi summum arbitror argumentum, cùm quosdam primorum ordinum ductores circumstare se cerneret, quorum ob priuatas injurias, tecta odia, obsidione peractâ in apertam flammam eruptura facilè conjiciebat; concordiam se coram inire illico, injurias mutuas Sibi in hoc articulo constituto condonari præcipit; veteresque inimicitias componere, morientis jam est cura.

Quàm alta pax in illius pectore sit necesse est, qui ipso mortis in agone, tam seriò procurat alienam. Certè tam tranquillâ est mente, vt eo ipso in statu, Fratri suo, Tibi inquam Præsul Illustrissime, vultum subtristem, qualem in tali casu fert natura, exprobrarit quasi indignum & Te, & Se. Crucem ordinis equestris S. Iacobi symbolum & Insigne, de collo detractum, Tibi tradidit cum mandatis quæ Regi suo deferres, executum nempè quod præsens sanctè promiserat: etenim Vrbem sibi contra-

ditam, ad mortem vsque defendisse; eamque sese jam prolapso, nihilominùs adhuc stare.

Eo ex loco in domum, quam vix die vnico incoluerat, cùm in mænibus diu noctuque fuisset assiduus, inter amicorum manus deportatur. Nolo hîc complorationes & gemitus populi accurrentis describere; non paritur fletibus aut quæstibus sibi parentari Virtus tanta. Hîc tandem Religiosis Ordinis sui vestibus indui petiit Religiosus Miles, ne non religiosè occumberet. Cumque ab omnibus, si quid errasset, ignoscei sibi piè Christianeque postulasset, inter circumstantium gemitus, Sacramenta vltima sibi adhiberi petiit, & impetrauit. Sic contra omnia extremi agonis discrimina insigniter munitus, Fratris manum, Tuam inquam fronti suæ imponi postulat, vt Sacerdotis, sic enim aiebat, præsidio tutus moreretur.

Ne quæso, ne me patere Præsul Illustrissime vltra progredi, neque adferre verba vltima, eaque suauissima, quibus Tibi Generosissimam Matrem commendauit, atque vltimum dixit Vale. Nimis hæc sunt tenera, quàm vt sine sensu possint à me proferri, aut in memoriam reuocari à Te. Tandem ad circumstantes conuersus, voce elatâ & clarâ, animo autem semper sibi simili, testatus est palàm, lætum sese mori, quòd Regi & Patriæ præclarè impensam animam, Deo tandem redderet. Immuta-

tus

tus est hîc ei paullulum color hactenus sibi constans & viuidus ne non mori videretur: & vix cum morte luctatus, expirauit. Quid enim luctandum erat cum morte, quam non tantùm admittebat non inuitus, sed & alacer excipiebat? Hic finis tanti Viri; sed gloriæ consecutæ, hoc initium.

Non dissimulandum tamen est, propugnaculum S. Andreæ, quod cadentem excepit ALLAMONTIVM, jam olim Carolo Quinto imperante à IOANNIS atauo Antonio ALLAMONTIO, Mommedii tunc Præfecto fuisse exædificatum. Quàm parum sciebat nobilis Atauus, se theatrum Abnepoti componere, in quo partes suas heroicè agendo, tandem gloriosè occumberet? Munimentum Vrbis se dum existimat construere, sanè Monumentum parat, quod occumbentis domus ALLAMONTIÆ cruorem bibat. Quid dico? Monumentum profectò præclarum erigit totique Orbi aspectabile, in quo tam Nobilis sanguis triumphet. Certè si quod rupibus & saxis insculpitur æternum est, æternitati Mommedianis in rupibus inscriptus est sanguis ALLAMONTIVS.

Et hæc quidem Conscientiæ inter acerrimas mortis angustias intrepidæ exempla in Heroë verè inclito Fratre Tuo, vidisti Præsul Illustrissime: vidisti inquam, de morte ipsâ rectè factorum Con-

scientiâ triumphantem. Non tamen hæc eò Tibi commemoro, quòd alieno exemplo demonstrare mihi sit animus quanta sit Conscientiæ sibi constantis vis, cùm eius indolem & virtutem Tute experiaris ipse quotidie. Malui tamen ex Fratre Tuo potiùs quàm ex Te exempla depromere; tum quòd non aliena me credam afferre dum Fratrem propono, & in Fratre alterum Te; tum etiam vel maximè, ne modestiæ Tuæ, laudes suas aspernanti, quidquam officiam, si fortè in præclarissimè à Te acta, pro rei dignitate coner excurrere.

Patietur tamen Humanitas Tua me virtutem eam venerari, quam Pontifices Regesque nostri, non tam annos quàm merita expendentes, ad sacras Insulas euexêre. Non ferebant eam domesticos intra parietes occultam stare sibique soli facere delicias, nisi sese exinde etiam per Ecclesias Belgicas cum Prouincialium fructu & admiratione distenderet.

Quàm verò cumulatè id à Te sit præstitum, testis est cum Ruremundâ tota Geldria, absentiam Tuam dum deplorat. Et meritò: Pastorem enim sui amantissimum in Te amisit, & quidem eum qui ex summi Pastoris D. Petri mente & institutione, non Pastor tantùm, sed & *forma gregis factus fueras ex animo:* adeò vt in Te non tam Episcopi

1. Pet. 5. v. 4.

scopi auctoritatem sulpicerent, quàm vera exempla.

Certè admirationi fuit, quòd tot inter quæ dignitatem tantam circumstrepunt negotia, Matutinis in templo Cathedrali precibus quotidie indefessus assisteres; quibus per Dominicos Festosque dies etiam solemne sacrum, precesque Vespertinas adjungeres. Quantâ verò populi approbatione videbant te supplicationibus omnibus, tum quæ Vrbe totâ, tum quæ templi parietes inter instituebantur, summâ veneratione interesse, & Pastoris instar gregem suum ad Agni pro nobis immolati triumphos ducere, aut potiùs circumducere in triumphum?

Templorum nitor, altarium splendor, Diuini cultûs magnificentia propriis etiam sumptibus à Te restaurata, non in Cathedrali solùm D. Christophori æde, sed totâ passim Prouinciâ, in quâ tam bellorum deuastationibus, quàm heterodoxorum vicinià, & fortè etiam Sacerdotum incuriâ multum de Ecclesiasticâ dignitate templis fuerat detractum, veri Pastoris pro grege suo impensè solliciti, curam clamant. Viderunt sanè columbaria in iis extructa (adeò in contemptum sacræ ædes venerant) confringentem, arcas cæteramque popularium suppellectilem quibus conferta vix populo patebat templi area, passim Tuis etiam manibus exportan-

tantem, expurgantem quinimo scopis sordes; idque ardore tanto, & animi impetu tam sacro, vt non immeritò *recordati sint discipuli Tui, quia scriptum est, zelus domûs tuæ comedit me.* Ioan. 2. v. 17.

Iam verò quid attinet huc afferre quantâ contentione non pro populo tantùm ad confertissimas conciones verba faceres, sed pueris ipsis, agnis inquam teneris, vt verus Pastor, doctrinæ pabula pro Catechismo præberes ipse, & alios ad tam sanctum munus tum verbis, tum etiam præsentiâ Tuâ animares? Quanto animi Tui gaudio, & præmia bene merentibus distribuebas Ipse, & ad Fidei constantiam inter hæreticos fortiter tenendam excitabas? Sanè ad sacram militiam suscipiendam tirones nouos sacro Oleo inungere, & Confirmationis Sacramento munire, tam indefessum scimus Tibi studium fuisse, vt vno die prorsus ad sex millia à Te constet fuisse Confirmata. Adeò vt cùm præ laboris contentione vires omnino deficerent, iis reparandis ad lectum fueris deportandus. Sed non reficitur lecti mollitie, Virtus laboribus pasci solita. Cùm enim plurimos adhuc superesse fuisset nuntiatum, qui longo locorum interuallo Confirmationis Sacramentum suscepturi aduenerant, eoque frustrati essent abituri, tanta pium Pastoris animum ouium suarum subiit miseratio, vt inuocato D. Francisci Xauerii Ethnicos olim indefes-

so

ſo labore baptizantis auxilio, ad templum Te reduci juſſeris: vbi conſpectâ ouium Tuarum multitudine opem Tuam expoſcentium, ita ſubitò accreuêre vires antea attritæ, vt cùm pauciſſimis Confirmandis non credebare futurus par, adhuc ad aliquot millena, & animi ſuffecerit, & verò etiam corporis vigor. Numquam languent materna viſcera, vbi de infantium periculo agitur: quin & ex ipsâ ſollicitudine vires ſumunt.

Taceo nunc Viſitationes totâ Diœceſi maximo labore & pari fructu inſtitutas: tanto autem omnium cum applauſu, vt cum earum causâ, loca hæreticis ſubdita adire non rarò fuerit neceſſe, adeò labori ſancto heterodoxi non ſuccenſuerint, vt ad ſtuporem omnium, ſummo Catholicorum cum applauſu, ipſi hæretici Præſulem tantùm viſuri vndique accurrerent, Teque venerabundi paſſim exciperent: imò & in plateis, benedictionem, Crucis ſigno dari ſolitam, flexo poplite Orthodoxis intermixti ſupplices expoſcerent. Quid quòd & ab ipſis etiam aduerſæ ſectæ Magiſtratibus ſummo honore menſæ publicæ fueris adhibitus, & quod ante Te Præſulum contigit nemini, tormentorum bellicorum feſtiuo applauſu ab ipſis acclamatus, eorumque fauore non pauca nec exigua Catholicis bene-

 ficia

ficia fueris consecutus ! sic nempè nusquam non enituit Virtus Tua,& nusquam non est in pretio ingenita nobilitati Tuæ Humanitas.

Nouerunt hanc sanè pauperes , quos non humanitate tantùm verè paternâ , sed & munificentiâ solitus es prosequi planè magnificâ, & quæ exiguis Ruremundensis Episcopatûs Prouentibus contineri commodè,aut circumscribi non poterat: vbi amplæ non suppetebant opes , amplæ erant manus, animus verò ampliſſimus. Nemo vnus Eleëmosynam qui petierat, indonatus à Te abscessit. Iucundum erat spectaculum, post fatale Ruremundæ incendium quod totam penè Vrbem deuastarat, videre pium Præsulem tuguria,cauernas potiùs dixerim & ergastula inter rudera ab incolis extructa, subeuntem, liberalique Eleëmosynâ singulorum necessitati succurrentem, oblitum suæ. E cineribus combustæ Vrbis nouam dixeris flammam emersisse , quâ pectus sacrum insolitâ Charitate deflagraret. Sanè prostratâ Ruremundâ , stetit Præsul : omnibus per incendium cum Episcopali palatio amissis, adeò vt nihil quidquam aut opum , aut supellectilis domesticæ supereſſet, superfuit tamen animus qui sufficeret vniuersis.

His artibus Ecclesiam Tibi concreditam dum demereris *forma gregis factus* , quis tum miretur

gregi

gregi Te in amoribus fuisse, Teque non nisi summo sensu à tam charis agnis fuisse auulsum? Hos dum propugnas intrepidè, fuêre quidam qui nescio quô studio Virtuti tantæ se opponerent, jurisdictionique feliciter exercitæ intercederent; & quamquam magnis animorum motibus acta sit res, constantiam tamen pro Ecclesiâ suâ stantis Episcopi labefactare non potuit tempestas illa, quæ alium dejecisset. Neque vmquam aliàs magis patuit quæ Tibi intus esset mens, quàm sincera, quàm fortis, quamque impauida, quàm cum credebatur maximè obruenda. Sic fit: numquam lætior est Virtus, quàm dum impetitur; & numquam bona caussa triumphat magis, quàm lacessita.

Sic denique benefactorum Conscientiâ munitum pectus quid audeat, & quid possit, exempla habemus & in Fratre Tuo, & in Te. In Fratre ostensum est quid sit fortiter mori; in Te quid sit generosè viuere. Vtrumque est Conscientiæ rectè agentis & compositæ beneficium, & Gaudium. Hoc perpetuum Tibi vt sit, Præsul Illustrissime imprimis ex animo precamur: & verò perpetuum quod sit, Tute Tibi facis.

Diœcesim veterem cum Gandensi Ecclesiâ Superiorum jussu permutasti, ne sola Geldria tanto bono frueretur; sed Patris animum, optimique

Pastoris sollicitudinem, quam virtus Tibi ingenuit, vbique circumfers. Vtinam tantæ Menti, & in sancta omnia exporrectæ, valetudo corporis obsecundet, neque ad magna assurgentem animam defectæ vires interpellent. Hoc sanè votum est omnium, vt Virtute tantâ Flandris detur diu frui, & Gaudere. Ita imprimis vouet Præsul Illustrissime

GRATIÆ TVÆ

Seruus & cliens obsequentissimus

ALFONSVS ANTONIVS DE SARASA
Societatis IESV.

ELENCHVS.

TRACTATVS I.

Gaudium ex Conſcientiâ.

Oſtenditur lætitiam nuſquam inueniri niſi in animâ. In eâ autem non tam inueniri quam efformari. Artis rem eſſe Gaudium, non felicitatis. Artem autem totam, in ſolâ Conſcientiâ rectè efformandâ conſiſtere. Varia adduntur Conſcientiæ encomia. *Fol.* 1.

§. I. *Gaudium pauci acquirunt, idque duplici ex errore. Ac primò quidem, quia paſſim homines id quærunt in rebus quæ extra ſe ſunt poſitæ, cum tamen non niſi in animo vniuſcujuſque ſitum ſit.* fol. 3

§. II. *Alter error eſt, quòd homines lætitiam inuenire ſe poſſe credant. Artis opus eſt lætitia, non inueniendi felicitas.* fol. 9

§. III. *Summa artis quâ fabricatur lætitia eſt, vt poſtquam tibi placuit Deus, efficias vt tu placeas Deo. Hoc autem facies, ſi bonam in te effingas Conſcientiam.* fol. 11

§. IV. *Conſcientiam itaque, vt ſolidè gaudeas, rectè tibi effinge. intra hanc ſtat omnis in hâc vitâ lætitia & ſecuritas. Ponuntur varia Conſcientiæ ex Patribus encomia.* fol. 16

TRACTATVS II.

De Conſcientia in genere ejuſque naturâ.

Exponitur quid propriè ſit Conſcientia, ejuſque præcipua munia ſummatim explicantur. *Fol.* 21.

§. I. *Variè à varijs Conſcientia deſcribitur potiùs quàm definitur.* fol. 23.

§. II. *Quid propriè sit Conscientia. Ac primò quidem ostenditur eam non in voluntate consistere, sed merum esse Intellectûs judicantis actum transeuntem.* fol.26
§. III. *Declaratur Conscientiam non esse actum Iudicij decernentis de bonitate aut malitiâ actionum generatim, sed judicium particulare, de hoc quod aut agendum, aut actum est opere figillatim. Quomodò Conscientia differat à Syndereſi aut aliâ scientiâ, explicatur.* fol.32
§. IV. *Exponuntur summatim varia Conscientiæ officia.* fol.38
§. V. *Ostenditur, varia epitheta, quæ Conscientiæ dant Sacræ paginæ & sancti Patres, præclarè cum datâ Conscientiæ definitione conuenire.* fol.45

PRIMVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Dirigere actiones faciendas aut fugiendas.

TRACTATVS III.

De Conscientiâ certâ, etiamsi sit erroneâ.

Conscientiæ certæ, actionem aliquam imperanti, semper parendum esse; permittentem vero, licitum esse sequi, siue ex vero judicio Conscientia processerit, siue ex errore inculpato. *Fol.*48.

§. I. *Variæ Conscientiæ diuisiones. Quid sit Conscientia certa, quid opinans aut probabilis, quid dubia, quid scrupulosa.* fol.49
§. II. *Conscientiæ certæ, ad actionis alicujus præstationem obliganti, etiamsi erret, semper parendum esse ostenditur.* fol.52
§. III. *Proponuntur conditiones quædam necessariæ vt quis peccet agens contra Conscientiam errantem, seu obligantem per errorem.* fol.59
§. IV. *Conscientiæ sine hæsitatione vllâ actionem aliquam vt licitam permittenti, etiamsi erret, modò inuincibiliter, impunè*

punè creditur & absque peccato eam sequitur voluntas. fol.63
§. V. *Exponuntur tres modi quibus error inuincibilis committi possit à Conscientiâ, qui tamen ei culpæ verti non possit.* fol.67
§. VI. *An detur ignorantia aliqua juris naturæ, & quæ? Probatur dari.* fol.76
§. VII. *Ostenditur expositam hanc ignorantiam inculpatam juris naturæ, excusare ab omni culpâ ea, quæ ex illa committuntur.* fol.81
§. VIII, *Quænam sit ignorantia culpabilis, quæ ex eâ facta, à peccato propriè dicto non excusat.* fol.87

TRACTATVS IV.

De Conscientia probabili.

Conscientiam in actionibus suis dirigendis, opinionem verè probabilem, semper sequi posse. *Fol.*89.

§. I. *Proponitur status quæstionis.* fol.90
§. II. *Quæ sit opinio probabilis, & quæ ejus natura: quæ probabilior: quæ minùs sit tuta, & quænam vulgò dicatur tutior.* fol.94
§. III. *Propositio. Conscientia in decernendis actionibus potest sequi opinionem probabilem. Quantis conuitijs impetatur hoc dogma ab aduersarijs, exponitur.* fol.98
Senatûs-Consultum Parisiense contra litteras Prouinciales Montaltij, notas Wendrockij, *disquisitiones Irenæi.* fol.105
§. IV. *Respondetur testimonijs Scripturæ perperàm à* Wendrockio, *& loco D. Augustini malè à Sinnichio allato.* fol.109
§. V. *Conscientiam in actionibus decernendis sequi posse sententiam probabilem, auctoritate, & communi toto orbe proborum praxi probatur.* fol.117
§. VI. *Idem ratione demonstratur.* fol.123
Catalogus auctorum 189. *qui libris impressis docuerunt licitum esse agere ex opinione probabili.* fol.133

[TRACTA-

TRACTATVS V.

De Conſcientiâ probabili.

Reliqua quæ ad Conſcientiæ probabilis directionem ſpectant, expediuntur. *Fol.* 142

§. I. Propoſitio prima. *Poteſt Conſcientia ex duabus probabilibus opinionibus, vtram vult eligere. Poteſt etiam vnius viri docti & prudentis opinionem ſequi.* fol. 143

§. II. Propoſitio ſecunda. *Licitè ſequitur Conſcientia opinionem probabilem alienam, contra propriam opinionem vetantem, ſeu dicentem rem de quâ quæritur eſſe illicitam.* fol. 149

§. III. Propoſitio tertia. *Licitè ſequitur Conſcientia opinionem probabilem, deſertâ probabiliori.* fol. 157

§. IV. Propoſitio quarta. *Licitè operatur Conſcientia ex probabili opinione, relictâ tutâ aut tutiori, etiam vbi ex hâc nullum adeſſe videtur agenti incommodum.* fol. 162

§. V. Propoſitio quinta. *Conſcientia in actionibus dirigendis, non ſequitur licitè opinionem improbabilem: admodum autem parum probabilem, nonniſi in extremâ neceſsitate. Exponitur quænam opiniones ſint improbabiles.* fol. 169

§. VI. *In quo ſtatu ſit hodie apud aduerſarios tota de opinione probabili controuerſia, & quantùm in eâ promouerint.* fol. 175

TRACTATVS VI.

De Conſcientiâ dubiâ.

Conſcientiam de actionis ſuæ malitiâ, id eſt practicè dubitantem, eam permittere non poſſe. In ſpeculatiuo autem dubio quod ſuperari non poteſt, Conſcientiam ex poſſeſſione & juris præſumptionibus, in omnium virtutum materiâ rectè efformari. *Fol.* 180

§. I.

§. I. *Expositâ dubij naturâ & differentiâ, proponitur status quæstionis.* fol. 181
§. II. *Cùm practico dubio numquam licitum est dubia agere, sed semper tutior pars est eligenda.* fol. 184
§. III. *Cùm dubio speculatiuo agere non licet, donec Conscientia judicium certum, licitè rem agi posse, efformarit. Hoc autem judicare non potest, nisi priùs speculatiuum dubium deponere studuerit.* fol. 187
§. IV. *Quòd si diligentiâ adhibitâ manet dubium speculatiuum, tum formandum est dictamen Conscientiæ, ex bonæ Fidei possessione, & præsumptione juris, in materiâ quæ justitiam concernit.* fol. 190
§. V. *Non in justitiæ tantùm, sed & in aliarum virtutum materiâ, possessio & præsumptio juris sufficit, vt in dubijs certum Conscientiæ dictamen efformetur. Exponitur id in varijs casibus.* fol. 194
§. VI. *Dubitatio affectata numquam excusat à crimine, sed potiùs malam animi affectionem arguit. Quid dicendum sit de eo, qui varios statuit consulere, donec opinionem sibi fauentem inuenerit.* fol. 199

TRACTATVS VII.

De Conscientiâ scrupulosâ.

Quid sit scrupulus, quæ eius causſæ; & vnde dignoscendum sit an aliquis sit scrupulosus. *Fol.* 204

§. I. *Exponitur quid sit scrupulus, & in quibus animæ motibus propriè consistat.* fol. 205
§. II. *Proponuntur causſæ naturales & internæ scrupulorum, eorumque ortus & varietas.* fol. 211
§. III. *Proponuntnr causſæ externæ scrupulorum.* fol. 219
§. IV. *Exponuntur signa ex quibus dijudicari possit an scrupuli sint à naturâ, an à Dæmone, an à Deo.* fol. 225
§. V. *Ponuntur signa ex quibus dignosci queat an quis sit scrupulosus.* fol. 231

TRACTATVS VIII.

De Conſcientiæ ſcrupuloſæ remedijs.

Quomodo agendum ſit contra ſcrupulos, & quæ eorum remedia. *Fol.* 233

§. I. *Quisquis à ſcrupulis curari vult, ante omnia ſibi perſuadeat nullam in ſcrupulis eſſe ſanctitatem; & ſe eo morbo laborare.* fol. 234

§. II. *Quomodo ſcrupuloſo in ipſo ſcrupulorum æſtu formanda ſit Conſcientia; & contra ſcrupulos agendum.* fol. 238

§. III. *Ponuntur aliquot remedia generalia ad arcendos ſuperandoſque ſcrupulos.* fol. 245

Remedium primum. *Medicinæ phyſicæ purgando melancholico humori nonnumquam adhibendæ.* fol. 245

Remedium ſecundum. *Non agat familiariter cum ſcrupuloſis.* fol. 246.

Remedium tertium. *Secum etiam de ſcrupulis non multùm agat, diſputet, aut deliberet.* fol. 248

Remedium quartum. *Agat contraria ijs quæ à ſcrupulis ſuadentur.* fol. 250

Remedium quintum. *In formandâ contra ſcrupulos Conſcientiâ, non rationis, ſed tantùm Confeſſarij, & quidem ſolius, & vnius judicium ſequatur. Quomodo cum Confeſſario, & à Confeſſario cum ſcrupuloſis agendum ſit.* fol. 253

Remedium ſextum. *Non ſit nimiùm ſollicitus de ſalute; nec nimiam adhibeat vitandis peccatis venialibus curam.* fol. 258

Remedium ſeptimum. *Peculiariter contra ſcrupulos, tamquam contra Diaboli tentationem, Deum oret.* fol. 260

SECVN-

Laudare benè agentem Voluntatem.

TRACTATVS IX.

De testimonio & laude Conscientiæ.

Laus quam Conscientia de re benè actâ Voluntati dat, solida est & licita. Neque ab eâ inanis gloria, sed verum sincerumque Gaudium mentis exoritur. *Fol.* 262.

§. I. *Ea quæ præcedentibus sex Tractatibus sunt explicata, breuiter & summatim exponuntur.* fol.264

§. II. *Solius Conscientiæ est peractis actionibus laudem dare, cui Voluntas tutò potest acquiescere. Declaratur quænam judicia humana æstimanda sint, quæ contemnenda.* fol.267

§. III. *Exponitur in quo consistat laus Conscientiæ; quod gaudium inde oriatur; & quæ dicatur læta Conscientia.* fol. 273

§. IV. *Ostenditur minimè insanum, aut vitiosum esse, benè de actionibus suis à se præstitis sentire & judicare; sed contra potiùs sanctum. Explicantur quædam oppositæ auctoritates Patrum & Sacræ Scripturæ.* fol.275

§. V. *Gaudium ex bono Conscientiæ testimonio exortum, adeò non esse vanam gloriam, vt contra sit maximè solidum & meritorium.* fol.284

TERTIVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Reprehendere Voluntatem de malè actis.

TRACTATVS X.

De stimulis Conscientiæ.

Quomodo Conscientia Voluntatem peccantem arguat, & castiget per immissos stimulos & aculeos. Explicatur quàm grauis hæc sit pœna; quæ eorum effecta; quandonam à Deo, quando à naturâ aut diabolo excitentur; denique his exsurgentibus quid sit agendum. *Fol.*288.

§. I. *Ex acrimoniâ stimulorum quos peccatoribus admouet Conscientia, rectè colligitur esse aliquod Numen, cuius auctoritate hæc fiant.* fol.289

§. II. *Quid propriè sint stimuli Conscientiæ; & quomodo actionem suam peccatori primò instituat, ac deinde tormenta animæ admoueat.* fol.295

§. III. *In quo consistat pœna quam animus sentit ex Conscientiæ tormento, & quanta hæc sit, amplius declaratur.* fol.300

§. IV. *Ostenditur non omnes Conscientiæ stimulos esse tam acres, neque semper vrgere. Item datur ratio, cur ex quibusdam peccatis majores sentiantur stimuli, majorque percipiatur dolor, quàm ex quibusdam longè grauioribus.* fol.307

§. V. *Alios esse Conscientiæ aculeos naturales, alios supernaturales; rursus alios veros immissos à Deo & Conscientiâ, alios à Dæmone. Quomodo discernantur. Denique quid agendum sit animæ, his stimulis exercitæ.* fol311

QVAR-

QVARTVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Legitimè in acta inquirere.

TRACTATVS XI.

De examine Conſcientiæ.

Quo jure examen præteritæ vitæ, & in quem finem Conſcientiæ competat. Quomodo inſtituendum ſit Examen, tum quotidianum, tum quod Sacræ Confeſſioni præmittitur. Seueriſſimè, non tamen anxiè inquirendum eſſe quid actum ſit. Cum moderatione verò de actis eſſe judicandum, præſertim dubiis. *Fol.* 318

§. I. *Jus inquirendi in omnes animæ actiones, vndenam Conſcientiæ competat, & in quem vſum.* fol. 319

§. II. *Imprimis diligens debet eſſe peccatorum omnium diſcuſſio. Ad hoc multùm confert examen Conſcientiæ quotidianum. Exponitur ex Dauide quomodo & quàm accuratè id faciendum, & qui fructus ex eo exiſtant.* fol. 325

§. III. *Secunda conditio examinis eſt, vt inquiſitio ſit ſincera, neque minuat Conſcientia peccatorum malitiam ea perperàm excuſando.* fol. 333

§. IV. *Tertia hujus examinis conditio eſt, vt comperto crimine, Conſcientia Animam reprehendat & caſtiget. Quis exinde fructus, & quomodo facienda ſit hæc reprehenſio.* fol. 335

§. V. *Quarta conditio eſt, vt Conſcientia non multiplicet, neque augeat peccata; neque examen ſcrupulosè inſtituat.* fol. 338

§. VI. *Exponuntur regulæ aliquot generales, ſecundùm quas Examen Conſcientiæ inſtituendum eſt, & in Examine de peccatis commiſſis eſt judicandum. Ac primò quidem quid à magnis diuturniſque peccatoribus ſit obſeruandum.* fol. 343

Regula I. *Quantum ſpatium temporis ferè impendendum ſit examinandis ante Confeſſionem peccatis, ijs qui ſæpè confitentur, aut*

examen faciunt quotidianum ; item quantum & quod scrupulosis. fol.344
Regula II. *Quomodo scrupulosus de actionibus præteritis judicare debeat.* fol.347
Regula III. *Quomodo etiam non scrupulosus ex opinione probabili de actionis præteritæ bonitate aut malitiâ debeat judicare, & pro se sententiam benignam ferre.* fol.348
Regula IV. *Quid judicandum dum dubitatur an actio commissa sit, cui certò scitur peccatum annexum? Judicandum esse, non commissum.* fol.349
Regula V. *Quid judicandum quando de facto aut de actione constat, dubitatur autem an in eâ peccatum sit.* fol.353

QVINTVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Voluntatem peccatis implexam, ad scelerum pœnitentiam ducere.

TRACTATVS XII.

De Contritione perfecta.

Deum ad gratiam scelerum peccatori præstandam ex suâ parte esse propensissimum. Ex parte peccatoris tantùm requiri vt ad Deum redeat. Reditur autem per Contritionem. Exponitur ex Tridentino quid sit Contritio perfecta quæ oritur ex amore Amicitiæ Dei dilecti super omnia. Quâ ratione excitandus sit hic amor vt sit super omnia. Denique exponuntur ea quæ ad exercendam Contritionem sunt necessaria. *Fol.358.*

§. I. *Peccatori nullum facti aut juris remedium supereſt ; nec quidquam restat nisi vt gratiam commissi sceleris à Deo petat. Adeat itaque*

itaque thronum gratiæ. fol. 359
§. II. *Adeat autem hunc thronum magnâ cum fiduciâ: gratiam enim offensus Deus pœnitenti vltro offert, eamque se daturum jure-jurando pollicetur.* fol. 362
§. III. *Dolorem, qui à pœnitente requiritur, non esse meras lachrymas aut corporis tristem affectionem.* fol. 367
§. IV. *Contritionem in actu Intellectûs & Voluntatis consistere. Exponitur in quibus. Explicatur doctrina Concilij Tridentini de dolore, & proposito non peccandi.* fol. 370
§. V. *Exponitur quis & quid sit Amor Dei super omnia dilecti, qui ad reconciliationem scelerum requiritur.* fol. 375
§. VI. *Detestationem peccatorum omnium in Amore benevolo Dei super omnia dilecti, virtute contineri. Ad Contritionem excitandam, non requiri vt omnia peccata sigillatim attingantur. Item non requiri moram temporis; momento perfici. Denique Contritionis substantiam, in strictâ Dei adhæsione consistere* fol. 381

TRACTATVS XIII.

De Contritionis imperfectæ, seu Attritionis naturâ.

Ostenditur actum Attritionis esse bonum, & vtilem. Refutatur duplex doctrina, Lutheri scilicet & cujusdam Neoterici de Attritione conceptâ ex spe gloriæ, aut timore inferni &c. Et Lutherus quidem Attritionem hanc docuit esse actum malum: Neotericus verò, quòd licèt bonus sit, non possit tamen ab vllo benè exerceri. Vterque perperàm. *Fol.* 388.

§. I. *Proponitur controversiæ momentum & status.* fol. 390
§. II. *Lutheri sententia de Attritione proponitur. Refutatur ex Scriptura, & S. Augustino. Hæresis damnatur à Concilio Tridentino.* fol. 392
§. III. *Neotericus quidam sententiam Lutheri nec planè probat, nec planè improbat. Distinguit inter Timorem & Timentem. Refellitur eius argutia.* fol. 396

§. IV.

§. IV. *Timorem gehennæ ad euitanda peccata, & reconciliationem cum Deo faciendam, prorsus inutilem, imò malam esse, tribus potissimum argumentis probat Neotericus, Proponitur summatim tota ejus de Attritione doctrina, fusè per tredecim capita ab ipso expansa.* fol.400

§. V. *Commentitium est quod dicit Neotericus, Trident. sess. 14. c. 4. de aliâ imperfectâ Contritione locutum, quàm quæ ex gehennæ metu &c. exoritur. Item Contritio veri nominis, quæ tamen ad justificationem sine Sacramento non sufficiat, nouitium commentum est, & in Ecclesiâ inauditum.* fol.404

§. VI. *Potest dari Attritio ex timore pœnarum concepta quæ sit supernaturalis. Et talis est quæ ad justificationem requiritur.* fol.410

§. VII. *Attritio supernaturalis orta ex timore pœnæ &c. excludit voluntatem peccandi de cætero. Falsò dicitur quod sit coacta. Libera est prorsus & voluntaria,* fol.414

§. VIII. *Attritio supernaturalis ex timore pœnæ &c. concepta, sufficit ad seruandam totam legem. Eamque qui ex tali timore obseruat, ex amore justitiæ obseruare demonstratur. Ostenditur quòd malè ab aduersarijs explicetur Amor justitiæ.* fol.418

§. IX. *Explicantur loca D. Augustini quæ in speciem videntur contraria.* fol.423

TRACTATVS XIV.

De Attritionis imperfectæ, seu Attritionis cum Sacramento efficaciâ.

Ostenditur quâ ratione ex timore seruili elicienda sit Attritio quæ seruilis minimè sit, sed liberalis omnino & ingenua. Deinde quòd Attritio cum Sacramento sufficiat ad abolenda peccata. Tertiò, quòd hæc sententia omnino certa sit; & tam secura, vt in mortis articulo vltimæ Confessioni possit adhiberi, eique licitum sit planè acquiescere. Tandem quo modo populo commendanda sit Contritio sine Attritionis præjudicio.

*Fol.*428. §. I.

§. I. *Quâ ratione ex peccati comprehensâ turpitudine, & ex gehennæ aut pœnarum seruili timore, elicienda sit Attritio, quæ tamen seruilis non sit, sed liberalis seu ingenua.* fol.429
§. II. *Attritio sola sufficiens est dispositio ad justificationem, & remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam: Actus autem Charitatis inefficax qui prætereà à quibusdam requiritur, merum & neotericum est figmentum.* fol.437
§. III. *Ostenditur certam esse de Attritionis cum Sacramento efficaciâ sententiam. Fictum esse quod ex Suare, friuolum quod ex cujusdam studiosi Parisiensis apparitione, nullius verò momenti quod ex auctoritate contraria sentientium contra sententiæ orthodoxæ certitudinem petitur argumentum.* fol.444
§. IV. *Tutum omnino & securum esse Attritionem Absolutioni præmittere, etiam in articulo mortis. Falsum esse aphorismum, qui ex præcepto securiora salutis remedia tunc conquirenda esse præscribit, modò assumantur secura, euidenter demonstratur.* fol.453
§. V. *Quo sensu Attritio à Tridentino dicatur imperfecta. Contritionem pro Attritione non esse coram populo indiscriminatim inculcandam; sed vtramque generatim commendandam: particulatim verò applicandam à Sacerdotibus, pro pœnitentis dispositione. Censura Sorbonæ contra aduersariam sententiam lata.* fol.461

SEXTVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Peccata commissa ritè confiteri.

TRACTATVS XV.

De Sacramentali Confessione.

Quare gratia peccatori facienda, hominibus sit commissa. Qualis gratia in sacro Pœnitentiæ tribunali præstetur. Quid exigatur vt Confessio sit legitima. Quomodo facienda peccatorum enarratio. Denique quomodo superanda omnis à confitente verecundia. *Fol.*466

******

§. I.

§. I. *Tribunal in quo criminibus gratia concedenda est, rectè hominibus à Christo concreditur, vt in peccatoribus fiducia adeundi hunc thronum excitetur.* fol.468

§. II. *Hoc verò majores peccatori animos dabit, quòd in hoc throno non detur nuda scelerum impunitas, sed quòd & Gratia sanctificans infundatur, & perfecta ineatur cum Deo amicitia.* fol.472

§. III. *Modus procedendi in hoc tribunali est non defendere se, sed accusare.* fol.476

§. IV. *Quâ corporis & mentis compositione instituenda sit peccatorum confessio. Caluinus eam dicit impossibilem, sed ex falsis hypothesibus.* fol.477

§. V. *Exponitur quid ad substantiam bonæ Confessionis requiratur: eamque impossibilem non esse, eâdem operâ contra hæreticos demonstratur.* fol.482

§. VI. *Explicantur errores aliqui qui in modo confitendi, pœnitentium vitio aut ignorantiâ intercurrunt, Confessionemque faciunt difficilem.* fol.490

§. VII. *Occurritur difficultati quæ ex verecundiâ pœnitentis crimina fatentis petitur. Ostenditur quanta sit secreti ex Confessione exsurgentis obligatio. Denique injustum esse pudorem, & ferè phantasticum, qui à Confessione peccatorem deterret.* fol.494

SEPTIMVM

Pro pœnis peccato debitis satisfacere.

TRACTATVS XVI.

De pœnâ tam Sacramentali, seu à Sacerdote satisfactionis ergô pœnitenti impositâ, quàm vltroneâ seu sponte susceptâ.

Quo jure imponantur à Sacerdote mulctæ pœnitentibus; & quantùm obligent. An semper graues injungendæ, & an hæc fuerit praxis veteris Ecclesiæ, & mens SS. Patrum. Commendantur pœnitentiæ sponte susceptæ, & earum fructus, & vsus multiplex ostenditur. *Fol.* 500

§. I. *Vnde, post remissam culpam, satisfactionis existat obligatio. Satisfactio duplex est, voluntaria, & Sacramentalis. Declaratur quid hæc possit. Vtramque rejiciunt hæretici, sed malè, & contra Sacræ paginæ mentem.* fol. 501

§. II. *Graues & ingentes pœnitentias in Confessione passim injungendas esse, asseritur præter mentem Tridentini, à quo salutares & conuenientes dandæ præscribuntur.* fol. 505

§. III. *Graues pœnitentias pœnitentibus semper imponere, est contra praxim veteris Ecclesiæ, cujus vsus malè ex Canonibus petitur. Fallacia est, quod contraria suadentes, non destinguant inter pœnitentiam publicam & priuatam: item inter voluntariam & Sacramentalem. Hinc etiam perperam pro se afferunt aliquos Patres.* fol. 514

§. IV. *Pœnitentiæ vltroneæ commendantur. Ac imprimis ostenditur, prorsus rationi conforme esse, vt corpus criminum complex, etiam sit consors satisfactionis, & pœnas meritas luat.* fol. 521

§. V. *Pœnæ corporeæ securissima sunt satisfactionis via: nihilque iis præstantius ad auertenda irati Numinis flagella, alioquin infligenda in hâc vitâ.* fol. 527

§. VI. *Etiamsi nullæ pœnæ pro peccatis persoluendæ restarent, caro tamen afflictationibus exercenda, ob multiplices fructus quos ea secueritas secum fert. Fructus hi exponuntur.* fol. 530

§. VII. *Exponitur quibus pœnis corpus affligendum sit. Et quomodo à Deo corpori immissæ miseriæ, acceptandæ sint, vt per eas pro peccatis satisfiat.* fol. 533

OCTAVVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Animam securam reddere acceptæ à Deo peccatorum gratiæ; litteras abolitionis, vt sic dicam, subsignando & porrigendo.

TRACTATVS XVII.

De securitate quam in hâc vitâ habemus obtentæ gratiæ, aut nos esse in statu filiorum Dei.

Ostenditur Conscientiæ solius esse, animam certam reddere & securam obtentæ gratiæ. Hæretici volunt certitudinem illam debere esse Fidei: sed refelluntur. Certitudo quam de obtentâ gratiâ habemus, est moralis. Exponitur quantam illa animæ securitatem det obtentæ gratiæ. Denique ostenditur, quot modis Conscientia securitatem illam præstet: & explicantur Scripturæ, quæ securitatem omnem videbantur animæ denegare. *Fol.* 539

§. I. *Conscientiæ est, animam de relatâ à Deo peccatorum gratiâ, securam reddere. Hinc de eâ certus est, quisquis Conscientiæ securitatem obtinet. Probatur id ex Scripturis & SS. Patribus.* fol. 541.

§. II. *Certitudo generatim duplex est; alia obiectiua, alia subiectiua.*

ctiua. Objectiua rursus triplex: nempè certitudo Fidei, physica, & moralis. Explicantur singulæ, earumque naturæ. fol. 546

§. III. *Hæretici docent neminem fidelem esse, qui non credit se in statu gratiæ esse, certitudine quæ sit Fidei. adeoque hunc esse articulum Fidei. Horum error demonstratur.* fol. 552

§. IV. *Exponitur Catholica, de certitudine peccati remissi, seu statûs gratiæ obtenti, sententia. Item, quam securitatem moralis certitudo, in hac materia, menti afferat.* fol. 562

§. V. *Enumerantur rationes & signa, ex quibus certitudo moralis gratiæ obtentæ elicitur, & mens de suo statu confirmatur. Ostenditur autem ea potissimum ex Conscientiæ testimonio esse petenda. Respondetur item ad quasdam dubitationes ex incertitudine Absolutionis. Confessionis, & Contritionis exsurgentes.* fol. 567

§. VI. *Respondetur ad auctoritates Sacræ Scripturæ, quibus omnis certitudo, gratiæ obtentæ videtur elidi.* fol. 573

NONVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Animum contra externa hominum judicia & dicteria armare, & securum reddere, sic vt nihil ab hominibus timeat.

TRACTATVS XVIII.

De securitate quam in humano commercio præstat Conscientia.

A Conscientiâ dependet gaudium quod ex humanâ laude, & tristitiâ quæ ex vituperio percipitur. Timor incurrendæ infamiæ si crimen prodatur, occultorum scelerum est tormentum. Hinc mali sibi conscius, semper trepidus, atque omnia habet suspecta, timens ne prodatur. Contrà verò bona Conscientia, non timet videri, imò gaudet; & peruersa de se lata judicia, ridet intrepidè. *Fol. 578*

§. I. *Iudicia sibi aduersa non metuit, qui suâ innocens est Conscientiâ. Hæc enim, omnis tristitiæ quæ ex vituperio, vti & gaudij quod ex humanâ laude percipitur, basis est & fundamentum.* fol. 579

§. II. *Datur vlterior ratio, cur animus reclamante Conscientiâ, humanis laudibus non acquiescat. Et ratio est, timor infamiæ, si prodatur tectum scelus.* fol. 585

§. III. *Conscientiæ bonæ testimonio armatus, nullius hominis judicium aut magni facit, aut etiam declinat. Contemnit autem peruersa de se lata judicia.* fol. 592

DECIMVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Animum contra diabolicas impugnationes, seu angores diffidentiæ in horâ mortis defendere.

TRACTATVS XIX.

De securitate quam in horâ mortis præstat bona Conscientia.

In morte nihil magnopere esse terribile, præter malè actam vitam. Quædam tamen naturæ esse horrida, fit ex ignorantiâ futurorum, & ob diuturnum animæ cum corpore commercium. Metum hunc tamen superatu non esse admodum difficilem. Nihil in illo articulo infestius malâ Conscientiâ; nihil bonâ jucundius. Rectè ab hâc lætitiam in illo angore excitari; optimamque esse mortis præparationem, ad gaudium mentem componere, & lætas cogitationes aduocare; quod egregiè præstat bona Conscientia. *Fol.* 598

§. I. *A morte nihil admodum metuendum est in mortis articulo, sed ab anteactæ vitæ malâ Conscientiâ.* fol. 599

§. II.

§. II. *Quòd è corpore timeamus exire, ex futuræ vitæ fit ignorantiâ. Aliqua in morte sunt naturæ horrida, tantùm ex animæ cum corpore, diuturno & familiari nimiùm commercio.* fol. 603

§. III. *Angores in morte maximè terribiles, à malâ Conscientiâ proueniunt. Exponitur quomodo inferantur. His autem medetur bona Conscientia; & clientem suum consolatur bonorum operum memoriâ, & fiduciâ vitæ æternæ acquirendæ.* fol. 606

§. IV. *Optimam esse in mortis articulo memoriam bonorum operum, ad excitandam lætitiam. Sanctos viros non fuisse tunc tristes aut melancholicos. D. Hilarionis metus expenditur, & ostenditur sine fundamento passim adstrui.* fol. 612

§. V. *Accommodissimam tempori praxim benè moriendi, in articulo mortis esse, bonorum operum recordari, & ad lætitiam mentem componere.* fol. 617

TRACTATVS XX.

De obseruantiâ debitâ Conscientiæ.

Concluſio hactenus dictorum eſt: Itaque cuſtodi tu Conſcientiam tuam, vt ipſa cuſtodiat te, veramque animo præſtet lætitiam.

Exponitur egregia Conſcientiæ cum corde ſymbolizatio, ex quâ quædam explicantur Conſcientiarum differentiæ; ac denique quomodò Conſcientia in aliquibus emoriatur & indureſcat. Datur praxis, quâ cuſtodienda ſit vita Conſcientiæ. Oſtenditur præcipuam eſſe, magnam Conſcientiæ ſibi ſemper præſenti, exhibere reuerentiam: item quanta debeatur. Denique hâc praxi conſeruari vitam Conſcientiæ, à quâ vita totius animæ & pax dependet. *Fol.* 621

§. I.

§. I. *Vti vita corporis à corde, ita vita spiritualis à Conscientiâ ducit exordium. Exponitur multiplex cordis & Conscientiæ symbolizatio.* fol.622

§. II. *Quid sit vitam, & exitum vitæ siue mortem animæ à Conscientiâ procedere, explicatur. Nempè quid sit Conscientia tenera, agilis, & viuax; quid verò Conscientia crassa, dura & emortua. Item maximum peccati supplicium esse duritem seu mortem Conscientiæ: & quomodo hæc per peccati consuetudinem animæ inducatur.* fol.627

§. III. *Conclusio. Itaque serua cor tuum. Ostenditur quòd nulla sit melior praxis seruandæ Conscientiæ, quàm eam obseruare & reuereri. Explicatur quanta sit, quæ Conscientiæ debetur, reuerentia: denique quanti momenti sit hæc praxis, ad benè accurateq; viuendum.* fol.633

ARTIS

ARTIS SEMPER GAVDENDI

PARS SECVNDA.

Latitiæ perfectæ artificium in Conſcientiæ bonæ efformatione inuentum & demonſtratum.

TRACTATVS I.

GAVDIVM EX CONSCIENTIA.

Secura mens quaſi juge conuiuium. *Prou.15. v.15.*

Oſtenditur Gaudium nuſquam eſſe niſi in animâ. In eâ autem non tam inueniri, quàm efformari: artis rem eſſe Gaudium, non felicitatis. Artem verò totam, in ſolâ Conſcientiâ rectè efformandâ conſiſtere. Adducuntur varia Conſcientiæ encomia.

PROOEMIVM.

LÆTA Dominici Aduentûs commemoratio iterum pro anni Eccleſiaſtici tempeſtate recurrit, Auditores. Et quamquam nihil niſi ingentia nobis tonitrua, micanteſque judicii extremi ignes & fulmina ſpirauerit primæ diei Euangelica hiſtoria; ne tamen propterea vultum pauidi contrahamus, neque ſerenam auram deſperemus. Purgandus erat aër iſtis ignibus, ne ſegni ſitu tandem putreſceret: concutiendi, inquam, erant ſacro pauore quorumdam animi, quos nimia malacia jam corruperat, & ſuo malo inſolentiores fecerat tam longa peccandi, & jam fere ſcelerum ſecura impunitas. Itaque judicii ſeueriſſimi recordatione, excutienda erat morta-

lium veternosa segnities. Verùm post densa nubila, lætior solet exoriri sol. Gaudium itaque rursus denuntiaturus vobis venio; neque enim meliorem vllum reperio aptioremque ornatum, quo aduentanti ad nos Saluatori gratulabundi occurramus, quàm si vultus afferamus bonos & placidos, quique lætitiam animi, aduentanti è cælis Hospiti atteſtentur. Scio enim eum esse ejus genium, ut tristi fronte contractisque mœrore superciliis, minimè delectetur; neque ædes facilè subit, quibus malignè nouerit excipiendum se. Malignè verò excipitur, quisquis tristi aspectu, atque animo contracto excipitur. Quòd si ergo in penu non sint lautitiæ Hospiti tanto pares, sanè vultum amœnum & candidum aduenienti exporrigite, & partes vestras expleuistis, & obsonatum est opiparè. Nam, præterquam quòd super omnia vultus boni Deo arrideant, certè *secura mens quasi juge conuiuium.* Quid autem est secura mens, nisi læta & exporrecta? Quo pacto enim secura esse poterit, nisi sit læta? Et rursus quâ quæso ratione, læta esse poterit, nisi fuerit admodum secura & sui & Dei? Ita sit inquies: verùm cui lætitia ad manum non est, vbi gentium illam inueniet? Hoc nunc ago. Ac primò quidem ostendam, Gaudium quærendum non esse, sed arte efformandum: artem verò efformandi Gaudii, totum in propriâ cujusque conscientiâ, & quidem ab ipsâ Conscientiâ existere. At inquies, superiore libro Ars semper Gaudendi, ex nostræ voluntatis cum Diuinâ conformatione petebatur. Fateor; verùm isthic non dixi omnia; altiùs thesaurum lætitiæ aperiam; atque apparebit confestim, lætitiam, quæ ex Divinæ voluntatis approbatione in mente exoritur, non nisi tranquillitate & lætitiâ, quæ ex bonâ Conscientiâ nascitur, perfici & stabiliri. Ostendamus itaque plenum perfectumque Gaudium Conscientiâ solâ efformari; vnde istud manifestum fiet deinde, artem Conscientiæ cæteras omnes scientias, & prestantiâ, & necessitate, & addiscendi facilitate plurimùm superare.

Prou. 15. v. 15.

§. I.

Gaudium pauci acquirunt : idque duplici ex errore. Ac primò quidem , quia passim homines id quærunt in rebus quæ extra se sunt positæ ; cùm tamen non nisi in animo vniuscujusque situm sit.

1. GAudium solidum & verum in rebus extra se positis inuenturum sese si quis credit, nequidquam id credit. Et si illi inquirendo foras prosiliat animus, suisque desertis laribus per aliena euagetur bona , illam quam tantopere desiderat lætitiam domum delaturus ; sanè & operam perdit penitus, & quod pejus est, perdit se. Duplex impendii tam malè passim collocati, sese mihi nunc offert ratio. Neutram homines satis attendunt : hinc fit, vt curas suas præfractè congerant passim mortales, operâ sanè maximâ , sed operæ præmio planè nullo. Et prima quidem ratio hæc est. Quærit vulgus hominum lætitiam vbi prorsus non est, imò vbi lætitiæ ne prima quidem sunt elementa. Secunda verò est, quòd *inuenturos* sese gaudium sperent homines, quasi res ea sit quæ indagatione solâ indigeat. Error sanè maximus : nusquam enim aut crescit, aut venum prostat. Factitia res est Gaudium ; artis est opus & quidem exquisitæ, non casus fortuiti aut sortis felicitas. Non inuenitur, inquam, sed fabricanda est omnino ; & quidem non ab alio ; sed quisque necessariò lætitiæ fabricator est suæ. Vtrumque exponendum est impensiùs.

Duplex error in quærendâ lætitiâ ab hominibus committitur.

2. Et sanè nemo qui sapit inficiabitur , amentiam dicendam esse longè maximam, ingenti molimine impensisque grauibus agrum suffodere, terræ viscera perscrutari, vt isthinc argenti vena eruatur, quam constat inibi non latere ; cùm jam ab omni hominum memoriâ, lapicidinæ semper fuerint aut cryptæ carbonariæ, neque vllum fossori dederint laboris pretium, nisi mera saxa olidasue carbonum massas. Magis autem desipere dicetur is, qui non tantùm argenti venam è cavernis arenariis effossurum sese autumat, sed & argentum perpurgatum , fabrefactum, quinimo & cusum ,

Argenti venæ non quæruntur in lapicidinis, nisi fluitè.

Regiisque litteris & facie insignitum, inuenturum se præfractè credit; sic vt argento jam reperto, nihil aliud ei agendum restet, quàm thesauro tam diuiti manus inijcere, domum inuentum deportare, illique insidentem, vitam deinceps ducere opiparè & hilariter. Insanis vir bone quisquis es, & quidem insaniâ non unicâ. Primò enim materiam è cryptis eruderas, in quâ argenti ne quidem sunt principia; atque adeo nullâ arte, igne nullo, metallum eliquabitur quod nusquam est. Deinde, vt in venam incidisses argentiferam, atque ipsa Potosini montis viscera eduxisses, sanè ne id tibi persuadeas, elaboratum cusumque reperturum te metallum. Materiam vt summum congesseris multis fæcibus implicatam; quæ quidem magnâ arte deducendæ sunt; conflandæ deinceps laminæ, quæ demum, prout visum fuerit, in tuos vsus dabitur elaborare. At ex lapicidinis meris, argentum factum, pecuniamque cusam eruderare velle, duplex omnino est insania. Nam nec argenti facti copia, ne in venis quidem argentiferis suppetit; fabricandum est metallum. Deinde ne primam quidem metalli tam pretiosi materiam hæ cryptæ ferunt, quas tu, labore tam impenso, ne quidquam sedulus pertentas.

Naturæ insitum est, gaudium quærere.

Vtroque errore dicam, an insaniâ, passim peccant homines. Singulos excute, ab iisque perquire, quò tandem omnia eorum colliment vota & desideria? quid tantis quæ impendunt studiis præfixum habeant? Nemo vnus id non responderit, quietem animi sese quærere, sortem eam exoptare, quâ tandem contentus vitam hilariter & lætus ducat. Neque abs re, aut præter rationem isthæc vota sunt. A vitâ enim humanâ si tollis Gaudium, certè non eam duci, sed miserè trahi existimo. Neque verò vitæ suauissimam appellationem, ejusmodi vitæ generi facilè attribuero: nisi fortè eam aut vitam emortuam, aut viuam mortem appellare libeat. Certè morte ipsâ tetriorem existimo Gaudii expertem vitam. Miseriarum enim mihi terminum ponit quantumlibet amara mors; vbi subtristis vitæ non alium fructum refero, quàm quòd sensum misero protrahit, quo diutius doloribus interfim, eosque viuaciùs persentiscam. Lætitiæ itaque perquirendæ quòd passim insistant homines, id quidem faciunt perhonestè: agunt id quod natura benè instituta, pro jure innato rectè appetit. Vti enim cuique insitum est velle viuere, ita procul dubio congenitum ei est velle lætum viuere. Etenim viuere vt dixi exsortem

Nam vita sine gaudio, morte ipsa tetrior est.

Gaudii,

Gaudii, non id quidem viuere censendum est, sed lentè & diu mori. Hactenus benè.

4. Ast istud nunc perquiro, vbinam terrarum aut gentium lętitiam quam tantopere insequeris, inuenturum te tandem credas? Hîc certè grauissimè te imprimis falli auguror. Video quidem indefesso te labore circumagi, modò vt aurum congeras, à diuitiis tibi vt sit commodè: modò vt dignitatem nescio quam assequaris, magnatum gratiam venari te, amicorumque satis putidè prensare manus: modò, quod quidem turpissimum est lætandi genus, voluptatibus corporis parandis totum incumbere; isthic cogitationes omnes impendi; isthuc referri studia; isthuc & spem & rem omnem deriuari; isthic denique vires corporis, valetudinem omnem, quin & vitam ipsam absumi satis video. Verùm an non Ps. 4. v. 4. & istud cum Psalmistâ oggerere meritò possim, *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*? fierinè potest, vt ita libeat vitam trahere tot curis frustrà distentam, semper anxiis, numquam lætis? quid agitis miseri, quid quæritis? quò tandem oculos mentemque circumuoluitis, Ibid. v. 6. labore improbo, fructu nullo? *Multi dicunt*, inquit Psalmista, imò pene omnes dicunt: *Quis ostendet nobis bona?* Bona quæritis, atque ea ostendi vobis vultis? Erratis primo in limine. Neque bona foris sunt; de tuo gaudeas necesse est: neque ostendi possunt quæ nusquam sunt; neque inueniri, quæ proprio marte debent confici. Nec verò miror ego jam, semper vos esse *graui corde*, tœdio absumi, curis confici; *nam ut quid diligitis* vanitatem & quæritis mendacium? toties deceptos numquam sapere, an id demum est sapere? Quis id mihi inficiabitur, decipi eum prorsus velle, qui non decies, sed & sexcenties opinione suâ falsus, eidem se committit errandi periculo, & quidem sponte suâ? Mendacium quæris vir bone; circumuenieris procul dubio mendaciis; neque cuiquam porrò succenseas, nisi ipsemet tibi. Exclamare sanè hic libeat, O vanas curas hominum! imò ô stultas & præfractas mortalium cogitationes, ô insanas spes! Non dico centies, sed numquam non decepti sumus, si quando quietem animi, verum inquam solidumque gaudium foris putidè emendicauimus; numquam res pro voto cessit, & vbi quidquam succesſit, illico periit: semper blanditur caro, mira mundus pollicetur; semper tamen mentitur, semper decipit; idque cum lachrymis etiam

Sed malè quæritur in creaturis extra se positis.

tandem confitemur; & tamen mentienti fidem damus, blandienti inhæremus admodum ſecuri. Quis id agat, niſi cui mens inſana eſt? & quis id intelligat, cui ſana mens? Ego certè mendaciis delectari te video; neque multùm miſeriis tuis tangor; etenim *quæris mendacium*. Mendacium autem cùm vbique ſit, facilè inuenies. Iſtud certum eſt, neminem hactenus verum gaudium in rebus extra ſe poſitis inueniſſe. Teſtes appello, quotquot ſuperior ætas tulit, aut inferior latura eſt homines. Voluptatem fortaſſe, & quidem admodum perfunctoriam adferre poſſunt externa bona & delitiæ, non tamen eam quâ contentus acquieſcat animus; imò ne corpus quidem quantumuis terreum, niſi ſpatio temporis admodum exiguo. Solidum verò gaudium, bonitate ſuâ quod ſtet, numquam profecto dabunt ea, quæ ita à naturâ ſeu naturæ auctore Deo comparata ſunt, vt ſponte ſuâ diffluant. Quod enim ſolidæ rei fundamentum dabunt ea, quæ ipſamet numquam ſtant, & quorum natura eſt præterlabi? Hinc rectiſſimè Seneca: *Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfuſoriam voluptatem; & quodcumque inuectitium eſt gaudium, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, ſolidum eſt.* Quod ſi ſolidum eſt, certè præterfluentibus voluptatibus non incumbit; neque iis poteſt ſuperſtrui id, in quo ſecurus quieſcat animus. Hoc autem ſolum eſt Gaudium.

Vt ſummum voluptatem afferunt res creatæ.

Sen.ep.23.

Verùm omnis voluptas corporea in triſtitiam natura ſua diffluit.

Quid, quòd tantùm abſit vt verum Gaudium inter creaturas inuenturus ſis, vt ne voluptatem quidem ab earum vſu ſis ablaturus, niſi quàm tœdia longè maxima, languores exhauſti corporis, mentiſque defatigatæ faſtidia ſuo jure ſubſecutura ſunt, niſi tu iis modum frænumque poſueris? Fateamur ſanè cum Senecâ quod res eſt. *Corpuſculum vanas ſuggerit voluptates, breues, pœnitendas, ac niſi magnâ moderatione temperentur, in contrarium abituras. Ita dico; in præcipiti eſt voluptas; ad dolorem vergit, niſi modum teneat. Modum autem tenere in eo difficile eſt, quod bonum eſſe credideris.* Manifeſtum profectò eſt, ſi rem penitiùs attendis, corporis delitias, niſi admodum temperentur, vires corporis ipſo vſu abſumere, ſpirituſque exedere, qui voluptatibus percipiendis neceſſariò impenduntur. Hinc non ſtudiis tantùm & laboribus, ſed & riſibus, cachinnis, feſtiuis clamoribus, jucundis confabulationibus, ſaltibus & choræis, commeſſationibus, gratarumque rerum aſpectu, harmoniâ quantumuis jucundâ auribus, ſi hæc, inquam, præter

5.

Sen.ibid.

modum

modum sint; defatigatur tandem & corpus & animus. Consumuntur enim paulatim spiritus seu sanguis defæcatior, qui voluptatibus hisce percipiendis impenduntur. Hisce autem attritis, defatigationem subire corpus necesse est; animamverò tœdium. Quinimò cùm tota voluptas quam corpus persentiscit, non aliud sit quam grata sanguinis, motu celeri caloreque sese alterantis constitutio, vnde quædam impetigo exoritur, quæ sensus afficit & demulcet; quæ quidem omnia, non nisi spirituum, purioriſuè sanguinis vltro citroque decursantis fiunt beneficio: hinc sanè consequens est, quantò major est voluptas quæ corpore percipitur, tantò breuiorem illius esse vsum; vtpotè quâ plures spiritus breuiori temporis spatio exhauriuntur. Hinc voluptates maximas maximè etiam fluxas esse necesse est. Deinde verò cùm suauior ille subtiliorque sanguis membra destituit, quæ suocalore demulcebat; tum verò tetriorem magisque fæculentum sanguinem subire necesse est; quô dum membra & viscera imbuuntur, etiam in se concidere, lassari, male habere, torqueri manifestum est, & ex corporis languentis consortio etiam dissolui mentis vires, & in tœdium tristitiamque diffluere. Præclarè ergo dixit Seneca. *In præcipiti est voluptas, ad dolorem vergit, nisi modum teneat.* Moderanda itaque est, ne vmquàm ad summum perueniat; nam vbi in summo est, ibi definit: & vbi sic desinit, ibi defatigationem corporis, & mentis tœdium succedere necesse est. Non itaque lætitiam aut Gaudium voluptates dabunt, neque alterum alteri commensurari potest. Voluptas enim naturâ suâ breuis est, lætitia vero conditione suâ est æterna; vtpotè quæ vera quies sit. Voluptas in tœdium & tristitiam necesse est vt deflectat; lætitia suâ virtute stat, & est quid immutabile. Voluptati ponendus est & modus & mensura; lætitia sine modo est, sine mensurâ & termino, vtpotè quæ verum bonum sit: atque adeo hujus boni sola tuta est auiditas.

Et quidem tantò citiùs, quò voluptas maior fuerit.

Hinc patet quod voluptas numquàm sit gaudium.

6. Hæc cùm ita sint, etiam teipso judice; vt quid temet angore vano conficis? toties rem expertus, deceptus toties nondum resipiscis? *Vsquequo graui corde? vt quid diligis vanitatem & quæris mendacium*, nisi vt te insano labore torqueas? Quæris quod extra te nusquam est. Cæterùm in creaturarum vsu voluptatem fortasse inuenies, aut vt pressiùs loquar, voluptatum materiam; carbones, inquam, quibus libido, corporisque lubentia accendatur,

In animo solo gaudium situm est.

tur, atque etiam foueatur impensiùs; animi vero quietem non afferent, solidum inquam sincerumque gaudium. Vt summum flammam quandam concitabunt velocem & subitam carbones hi, quæ mox in fuliginem euanescet tetrumque fumum; cujus reliquiæ corpus inuoluent cineribus, animam verò sordibus obducent & tristi situ. Ne isthic itaque terram effode, lætitiam si perquiris. Nam nec prima quidem tanti boni, in cryptis illis, sunt vestigia. Vbi ergo perquirenda inquies! *Quis ostendet nobis bona*! Ego verò inquit Dauid. Neque multùm perueſtiganda est lætitia; penes nos est, imò in nobis, Etenim *signatum est super nos lumen* Ps.4.v.7. *vultus tui Domine; dedisti lætitiam in corde meo.* Quasi si dicat; quamdiu vaporibus fumisque, quos corrupti hujus mundi carnisque fuligines menti obtendunt, obuoluebar, cœcus eram prorsùs, & vt cœci solent pertentabam omnia. Cumque, quæ sollicitus quærebam, bona non occurrerent, clamabam inops consilii, ah *quis ostendet mihi bona*? quis manum dabit erranti & cœco? At cùm *signatum est super nos lumen vultus tui*, id est, cùm tua ô Deus mihi illuxit gratia, tum demum errorem planissimè detexi. Etenim vti jam video, *dedisti lætitiam in corde meo.* Existimabam ego demens, vt vulgus solet, superficialem rem esse lætitiam, quæque passim in rebus occurreret; verùm in cordis arcano specu, in ipsis inquam animi penetralibus, venam tam diuitem sitam esse nunc intelligo. Ita prorsùs est: diuitiis, dignitatibus, cupediis, delitiis, iisque quæ vulgus inconditum vocat bonis, voluptates quædam admixtæ sunt, & quidem leuiter interspersæ; lætitiæ vero ne hilum quidem aut atomus. Voluptates autem adeo ad verum gaudium nihil conferunt, vt aut prorsùs extirpandæ sint, aut magno, ne noceant, moderamine temperandæ. Hæ sunt quæ bellum lætitiæ mouent: his verò frænum cùm injeceris, lætus viues.

Ex Gaudio oritur voluptas sincera; non verò Gaudium ex voluptate.

Dum ergo externa bona dico habenda esse contemptui, ne fa- 7.
nè triste me tibi viuendi genus commendare existimes. Monitum id est Senecæ. *Existimas me nunc detrahere tibi multas volu-* Sen.ep.23.
ptates, qui fortuita submoueo? ..... imò contrà, nolo tibi vnquam deesse lætitiam: volo illam tibi dominasci. Nascetur si modò intra teipsum sit. Domi itaque tuæ Gaudii sedes est; hic ager tanti boni solus ferax. Huic si Gaudii semina mandaueris, succrescent illa, fructusque dabunt longè suauissimos. Extra tuos limites, in alieno si

no si seminas, in folia fortassis assurgent semina ; fortassis etiam flores dabunt, delicias, inquam, corpori accommodas; fructus verò maturos ne expecta. Floribus te miserum pasces, sed heu breui perituris ; quorum folia primus ventus aduret ; cumque adusserit, in meros stolones aridosque scapos miserè diffluet, quidquid oculos futili virore demulcebat. Non igitur lætos dies tibi substractos volo, sed viam eos inquirendi ostendo. Tu ridere vis vt lætus sis; ego verò volo vt lætus sis primò, vt deinde rideas hilariter. Tu voluptates quæris, vt lætitiam exinde obtineas; ego contrà, lætitiâ tibi volo animum erigi, vt deinceps voluptatibus ipsis cum voluptate sincerâ perfruaris ; & vt præclarè Philo ait, deliciis diffluas innocentissimis. Hoc vt assequare, Gaudium quære vbi verè est,& non vbi fucatâ fronte voluptas abblanditur. Et sic quidem primum, qui in perquestigandâ lætitiâ error committitur, jam deteximus.

§. II.

Alter error est, quòd homines lætitiam inuenire se posse credant. Artis opus est lætitia, non inueniendi felicitas.

8. VErùm necdum satis est edixisse, lætitiæ pretiosam venam nusquam esse nisi in animo vniuscujusque. Illud enim deinde præmonere debeo, ne isthic quidem ita sitam esse lætitiam, vt ea inquirenti illico suâ sponte sit occursura. Minimè gentium; error hîc rursùs est oppidò insignis. Ager est animus, lætitiæ quidem ferax; sed hujus semina agro mandanda sunt, vt exinde nascatur gaudium ; aut si priori metaphoræ placeat inhærere, cudenda est lætitia ; fabricari vult ; & sic demùm artificio efformari. Hinc sanè ridenda mihi sunt hominum dicteria. Conquerunturpassim homines, quietem animi sese etiam in animo inuestigare ; nihil sese adeò exoptare, quàm vt thesaurum tam pretiosum inueniant; neque satis attendunt frustranea esse hæc vota. Fabricandum est enim quod ipsi jam factum sibi pollicentur, Fortunæ est quidquid inuenitur ; aut certè multum in iis sibi casus vendicat. Gaudium, res fortuita non est, neque in quam incurrat casus. Artis est negotium, & quidem ingenio-

Arte fabricandæ est lætitia.

niosæ. Hinc rectè tibi cum Senecâ dixero : *Hoc ante omnia fac*, Sen.ep.23.
mi Lucili, discè gaudere.

In Potosinis montibus licèt multo argento venæ turgeant, vix 9.
tamen purum isthic metallum est ; terra est quæ educitur, diues gleba, sed argenti tantùm est materia. Multo igne & Mercurio perpurganda est, terræ fæces decoquendæ ; & sic tandem metallum merum & sincerum eliquabitur. Hoc verò sine arte non fit. Ita est ; Lætitiæ materiam primam nusquam nisi in animo tuo inuenies : verùm hæc ipsa multo studio defæcanda est, plurimumque terrenarum sordium quibus adhæret detrahendum, vt solidum exinde existat sincerumque Gaudium. Quæ demum ist-
Quæ sit materia lætitiæ
hæc inquies est materia ? At ego quoque ex te quæro, quid in animo tuo tu reperias ? Inspice te, atque identidem circumspice; illudque mihi nunc edissere, quid tua ferat tellus. Quid in teipso inuenis ? Certè cogitationes inquies quamplurimas, affectiones deinde varias; tertiò judicia de rebus diuersa ; desideria denique omnis generis ; neque quidquam aliud ferè in animâ occurrit rei. Benè est. Atqui hanc ipsam esse assero lætitiæ materiam, & quidem solam. Attende obsecro ; materiam eam esse dico ex quâ educatur Gaudium : non autem eas esse ipsum Gaudium. Non enim cogitationes omnes, non omnes affectiones animi, non judicia omnia, non desideria passim omnia Gaudium adhuc sunt. Defæcanda hîc sunt plurima ; nam si rectè rationem tenes, omnes perturbationes animi, tristitia omnis, quâ mens corroditur, tœdia denique omnia, ex his ipsis affectionibus desideriisque etiam ortum trahunt.

Eadem est & Gaudii & tristitiæ materia.
An igitur inquies, eadem ipsa res perturbationis & quietis est 10.
materia, pacis & belli elementum? Est planè. Et vtrumque ex eâdem prorsùs re educitur? Educitur sanè. Quid! an idem mihi & lætitiæ, & verò etiam tristitiæ materiam suppeditat ? Ita inquam; nihilque verius: materia vtrobique est eadem : verùm à te jam pendet judicia illa decoquere, à fæcibus perpurgare, & tuam tibi exinde felicitatem fingere, vitam efformare suauem & lætam, denique tuam tibi ipsi cudere & fabricare lætitiam. Itaque cùm in promptu sit materies, jam nihil supereſt nisi vt *discas gaudere.* Quod quidem aliud non est, quàm vt discas tibi formare quod formandum est, & quod casu non inuenitur. Quis verò id me doceat inquies ? Ego inquit Dauid, & quidem verbis pauculis.

Atten-

Ps.4.v.7. Attende quid mihi euenerit: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine,* & ecce, *dedisti lætitiam in corde meo.* Omnia tua desideria, cogitationes, affectiones, judicia, rerum reuolutiones, casus, infortunia *non in humano die,* vt Paulus ait conspicias, sed in lumine quod emicat à vultu Domini, atque illico dissoluetur terrestris gleba, eliquabitur Gaudium, verissimumque esse in te-ipso comperies, *datam* & natam esse *lætitiam in corde tuo.* Aut sanè verba Psalmi sic accipe. Iudicia tua & desideria diuinis assimiles; & imago vultus Domini signata sit in te, sic vt intuenti tibi ea statim appareat clara & illustris; atque illico summâ cum voluptate exclamabis, *Dedisti lætitiam in corde meo.* Hoc nunc quidem tantùm assero; mox planum fecero quî id fiat.

1. Cor. 4. v. 3.

§. III.

Summa artis quâ fabricatur lætitia, est, vt postquam tibi placuit Deus, efficias vt tu placeas Deo. Hoc autem facies, si bonam in te effingas Conscientiam.

11. VT itaque artem hanc Gaudendi proueham, eamque vltra limites, ad quos eam parte primâ ratiocinationis meæ deuexi, nunc promoueam, istud obiter dicendum est, non obiter tamen attendendum; perturbationes omnes animi, atque ex iis exorta tœdia & dolores, aut extrinsecùs ortum ducere & quasi allabi, aut ex ipsâ animâ internisque actionibus quasi ex fundo fæculento scaturire. Externa sunt, fortunæ casus, hominum nos circumstantium oppugnationes, corporis incommoda; per quæ, quia ea deuitare non datur, perturbatur animus. Neque hæc tantùm externa jam voco, sed vt rem altiùs promoueam, omnia externa appello, quæ in manu hominis non sunt, neque sibi dare, quantumcumque annitatur, potest. Eiusmodi sunt bona valetudo, vires corporis, vita, ingenium, & quidquid denique hominem facit. Hæc nunc externa dico, quòd extra potestatem hominis sit ea sibi dare aut effingere: Dei dantis sunt hæc beneficia. Interna, vt nunc ea à prioribus diuidimus, ea sunt, quæ ex homine jam à Deo constituto, suam trahunt originem. Et hæc quidem, sunt affectiones, judicia, desideria, actionesque humanæ;

Quæ sunt externa lætitiæ Impedimenta.

Quæ interna.

liberæ inquam, quas sibi effingere, producere, detruncare, perpolire, supprimere denique etiam, homini pro suâ libertate in promptu est, & in liberi quo pollet arbitrii potestate constitutum. Illud autem contingit sæpissimè, vt licèt omnia, aut saltem multa quæ hominem circumstant bona arrideant, iisque contentus viuat; ipse tamen displiceat sibi, magnasque in animo sentiat, & secum circumferat tempestates. Hinc perturbata sunt omnia, quia intus omnia geruntur malè, neque animo est secum benè. Itaque in duobus hisce perturbationum fontibus rite obstruendis, aut potiùs in componendo, dum illæ exsurgunt, animo, totum versatur lætitiæ effingendæ artificium.

Quomodo in externis dum obueniùt sese gerere mens debeat ne turbetur.

Et quidem, quo pacto externas inter, quæ obueniunt, procellas componenda sit mens, id præcedenti libro jam peregimus; ostendimusque istud ad lætitiam animi obtinendam imprimis esse necessarium, vt neutiquā velis res omnes, quæ te circumstant, fieri & fluere prout tu vis: hoc enim numquam obtinueris, ac proinde votum futile est. Verùm vt te rebus prout eueniunt accommodes, velisque fieri prout fiunt ea quæ tu emendare non debes, certè non potes. Deinde, vt animo adhuc sis tranquillior; judices & facta benè, & ita fieri debuisse. Hoc autem facilè obtineris, si voluntatem tuam, mentis partem præcipuam, Dei voluntati conformaueris, qui mala omnia, qui vicissitudines rerum, qui cuncta fortunæ euenta aut immittit, aut permittit summo consilio & prudentiâ, ad gloriæ suæ, tuæque salutis incrementa; idque tantâ accuratione & sagacitate, vt neque tu, neque omnes quotquot sunt intelligentiæ, ne minimam quidem ordinationis huius partem rectè possint arrodere, multò verò minus emendare. Nimis enim limitata & circumscripta sunt hominum Angelorumque ingenia, quàm vt totam huius orbis symmetriam, omniumque rerum complexus & ordinem possint comprehendere. Qui verò totum mente non complectitur, is profectò sanum judicium de singulis non potest ferre. Atque illud longis ratiocinationibus tum exegimus; illudque liquidò demonstrauimus, vt sese componat benè constituta mens, neque aut morbis aut morte, aut fortunarum, aut famæ, aut amicorum iacturâ, aut denique vllis rerum euentibus actionibusque hominum (peccata propria si exceperis) perturbetur; illud tantùm agendum esse, vt sibi prorsùs radicitusque impressum habeat, judicetque, omnia

12. Artis semper Gaudendi pars 1.

Diuinæ

Diuinæ Prouidentiæ sagaciſſimâ deſtinatione ſic euenire quæ euenIunt; & quidem ex Dei gloriâ & bono tuo. Itaque vt lætitiam puram ſinceramque ex rerum extrinſecùs aduenientium materiâ exprimas & eliques, duo præſtanda ſunt Animo. Aſpicienda primò ſunt omnia, non in ſe, ſed in mente ea dirigentis Dei; & quia Dei ſunt inuenta & artificia, adiiciendus eſt iis calculus, & judicio tamquam juſta, recta, & ſancta penitus comprobanda. Tum verò adiicienda judicio eſt voluntas; ſic vt deſideria tua Voluntati Diuinæ conformia, illi exæquentur, eique exactè reſpondeant; adeo vt nec extendi quidquam velis aut contrahi, ſed prorſus ita eſſe omnia ſicut ſunt; ſunt autem, quia ſic eas eſſe voluit Deus. Huc vſque Gaudendi Artem priori libro deduximus. Pergendum eſt porrò Deo auſpice: ad culmen vſque deducenda eſt tam felix Ars. Et ne vmquam vacillet, ea quam hâc arte effinximus, lætitia firmiſſimo eſt imponenda fundamento.

13. Etenim iſtud rogo, quid tandem magnopere quieti meæ procurandæ collaturum ſit, omnibus quę me circumſtant rebus ſi acquieſco, nec tamen acquieſcam ipſemet mihi? Fruſtra mihi placent omnia, ſi mihi meritò diſpliceo. Quid mihi proderit judicare me, omnia rectè geri, omnia ratione optimâ eſſe compoſita quæ circa me ſunt, omnia Diuinæ voluntati eſſe conformia, iisque idcircò quòd acquieſcam; ſi domi meæ rem malè agi video, actionesque meas Diuinæ menti non conformari? Omnia Dei ſtudia ad meam ſalutem vt colliment, quid exindè commodi mihi obueniet, ſi Dei beneficio non allaborem; imò ſi tam ſanctis fauoribus in meam perniciem ingratiſſimus abutar? Deus mihi quamuis placeat, eiusque pulcherrima mihi penitus arrideant decreta & artificia; iſtud tamen video, non eſſe eum me, qui tanto Deo placeam, aut cuius actiones à tam exacto Cenſore comprobentur. Hoc autem in me ſi video vnde diſpliceam, quam quæſo lætitiæ partem poſſum obtinere, aut quâ pace frui in tam aperto bello? Sanè vt rectè Job: *Sapiens corde eſt & fortis robore. Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* Iob 9. v. 4.

Fruſtra circa externa componitur animus, niſi & interna bene compenantur.

14. Optimè tu quidem iſta; euiciſti rem. Idcircò primæ Arti, ſecundam hanc vt ſolidè gaudeas, adjungendam eſſe aſſero: vt nempè, cùm omnia ſic compoſueris vt tibi tandem placeant quæ fieri judicas auctore Deo; te quoque viciſſim ita componas, vt

tuipse ratione bonâ tibi placeas. Hoc verò numquam obtinueris, nisi talem te efformes, vt meritò etiam placeas auctori Deo. Quamquam id etiam fateat, Deo te prorsus placiturum, approbaturumque eum quidquid egeris, id modò si præstiteris, vt actiones tuæ tales sint, quæ teipso judice, sincerè & fide bonâ comprobentur. Hoc autem aliis verbis planiùs dixero, si dixero tum demum lætitiæ apicem consecuturum te, cùm rectè factorum Conscientiâ gloriaberis? Tum certè gaudebis solidè, gaudebis enim de tuo.

In manu cuiusq; est interna sic cõponere vt ibi acquiescat.

Ecce tandem ô Mortalis, vt in manu tua sit lætitia; neque quærendam esse foris, quam domi ipse tuæ & possis & debeas efformare. Tota Gaudii efformandi Ars in duobus vertitur. Primò fac vt tibi placeat Deus; deinde fac vt tu quoque placeas Deo. Vtrumque domi fit, non extra te. Primum jam exposuimus. Tum sanè tibi placet Deus, cùm ea quæ ipso auctore fiunt approbas & laudas; non generatim tantùm acta, sed & ea quæ tibi præsertim obueniunt; cùm iis non tantùm non obmurmuras, sed etiam ea gratus accipis, & benefactori munifico applaudis tamquam de re actâ benè & præclarè. Ast tibi Deus cùm placuerit, vt pax perfecta sit, sic age, sic actiones tuas institue, vt nihil quod in iis carpat Deus inueniat, nihil quod displiceat, nihil quod non approbet. 15.

Obiectio.

Hæc verò, inquies, difficultas est sanè maxima. Nam quamuis operam omnesque neruos animi impendam, vt in omnibus agam benè, actionesque rectè instituam; tamen istud etiam constat, limpidissimos esse diuinos oculos, quique intima & minutissima quæque perscrutentur. Constat etiam exactissima & omni næuo expertia debere esse, quæ tam sanctis oculis arrideant. Actiones autem nostras ita expolire, infirmitatis humanæ non est opus. Deinde præteritorum scelerum angor memoriâ: scio ea per summam impudentiam à me commissa: an verò oblite terata & condonata penitus, id verò ignoro; & hoc me cruciat. Denique in rebus agendis prorsus cæcus sum, neque quid agendum aut non agendum satis scio. Fortè id ago quod Deo displicet; fortè me crimine polluo, tum cùm placitura me Deo offerre credo obsequia. Sic ergo, placeat mihi quamuis Deus, fortè displiceo egomet Deo; & dum diuina facta approbo, non approbantur mea. Sic autem constitutus dum sum, sanè in manu meâ 16.

non

non est Gaudere, cùm actiones omnes meæ à Dei approbantis pendeant judicio.

17. Præclara enimuerò obiectatio, & vt videtur, admodum difficilis. Verùm si placet, audi. Fateor rigidissimus est rerum Censor Deus: *Opera omnis carnis coram illo*: inquit Ecclesiasticus, *& non est quidquam absconditum ab oculis eius.* Rursus id est verissimum, ad diuinæ trutinæ exactissimum examen si perpendantur quæ miseri mortales agimus, plurimum justo ponderi deesse actionibus nostris comperturos nos, plurimaque quæ reprehensionem justissimam non euadant. Nam vt ingenuè fatetur Iob, *verè scio quòd ita sit, & quòd non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei & pacem habuit?* Hæc cùm ità sint, videte nunc quàm humanum habeamus actionum nostrarum judicem, & quantâ sese facilitate imbecillitati nostræ accommodet, Vt itaque de censoris tui austeritate aut rigore nihil habeas, ô mortalis! quod conquerare, cedit Deus juri suo quod pro summo suo imperio habet judicandi de rebus tuis, illudque tibi totum credit; tibi censuram tui ipsius committit: quod sanè luculentissimum est Diuinæ benignitatis facilitatisque indicium, Conscientiæ inquam tuæ vicarias jurisdictionis suæ partes delegat: & quidem cum tam amplâ potestate, vt cùm tibi satisfactum est à te, etiam Deo sit factum satis; tibi cùm places, Deo perplaces.

Conscientia nostra, judicium plenè actionum nostrarum cessit Deus.

Eccli. 39. v. 24.

Iob 9. v. 2. & seqq.

18. Magna profectò atque ampla jurisdictio! Non abs re dixit Menander: *Mortalibus omnibus Conscientia Deus est*, quod quidem verum non est, nisi eo quem præfixi sensu. Certum enim est Conscientiam neque adorari posse, neque summum bonum esse, neque à supremi Domini jurisdictione prorsus exemptam. Istud tamen est verissimum, Conscientiam Vicarium esse Dei; ei in omnibus obtemperandum esse, vt quæ Dei voluntatem cuique declarat; illi tantâ fiduciâ quemque posse obsequi, vt errantem etiam bonâ fide si sequeris, absque mali tamen periculo aut peccati committendi discrimine, id tutus agas. Huius ergo judicio cùm absolueris & commendaris, nullumque cum eâ tibi dissidium dum intercedit, id tibi penitus persuasum sit, cum Dei Vicario tibi benè esse, qui numquam reuocaturus sit sententiam, quam à Vicario suo bonâ fide

nouerit.

nouerit esse pronuntiatam. Hæc omnia fusius à me hoc libro pertractanda sunt, vti & reliqua quæ huc spectant: singula enim tantùm leuiter delibaui.

§. IV.

Conscientiam itaque, vt solidè gaudeas, rectè tibi effinge. Intra hanc stat omnis in hac vitâ lætitia & securitas.

Pronuntur varia Conscientiæ ex Patribus encomia.

19. ISTud nunc tantùm modestè interrogo, ecquæ demum ista sit mortalium insania, externa omnia tantopere quod curent, atque illic incassum emendicent Gaudii materiam, quæ isthic non est; interim tam supinè sese quod negligant, neque Conscientiam attendant, è quâ tamen educenda est omnis lætandi materia; imò per quam hæc ipsa in solidam veramque lætitiam est efformanda? Nescio vbi terrarum & gentium tu Gaudium tibi vis exsurgere & excrescere, inquit Seneca: Ego interim *volo illam tibi domi nasci.* Si petis ex quo semine? *dicam*, inquit, *Ex bonâ Conscientiâ, ex honestis consiliis & rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam, & non per diuersa vacillantis.* Cæteræ voluptates quæ nimirum bonæ Conscientiæ non innituntur, fluxæ sunt; & vti carent fundamento, ita citò corruent. Corpus fortasse demulcebunt blanditiis, ast animum non erigent. Vt autem verè gaudeas, *Animus debet esse alacer, & fidens, & super omnia erectus.* Fiduciam verò animumque constantem, præter Conscientiam nemo faciet. Absit autem Conscientiæ bonæ fiducia, inter ipsas Paradisi delicias cum Adamo contremisces, semper anxius futuri & pauidus; nec voluptatibus quibus interes frui dabitur, si Conscientia iis renitatur. Sic medias inter diuitias miserè contabesces; vbi contrà ingenti cum animi voluptate fruiturus es commodis etiam exiguis, curto lare, & paruâ re, vbi has ipsas tuta possidet, risque delectatur Conscientia. Sen. ep. 23 Ibid.

Conscientia bona commoda & delicia.

Conscientia bona, suo cõtenta est & suo fruitur.

20. Ita est profectò, inquit eleganter D. Chrysostomus: *Animi tranquillitatem & lætitiam, non Principalis magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ* D Chrys. hom. 1 in Epist. ad Rom.

mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quidquam rerum humanarum afferre consueuit, præterquam Conscientia bona. Quam certè, qui parum habet, vt pannosus sit & cum fame luctetur, tamen tranquillior beatiorq; erit, quàm qui inter delicias degunt. Et quidem manifesta res est. Etenim bona, quæ sine Conscientiæ commendatione possidentur; iurisdictionis potestas, contra Conscientiæ dictamen malè exercita; pecuniæ, præter Conscientiæ regulam in libidines commessationesque profusæ; nihil aliud profectò sunt, quàm equuleus in quo anima miserè torquetur: instrumenta sunt quibus premitur & constringitur; & quidem ab ipsâ quæ contemptui est Conscientiâ. Ipsa enim sola est, quæ in hoc tormento carnificem agit, & quidem acerbissimum; vti deinceps explicabimus. At verò quem Conscientia malè partæ rei non arguit, felix est & diues affatim; etiamsi parum suppetat in loculis, etiamsi totum panis aridus sit obsonium. Satis id enim ipsi est, vt suo contentus viuat, scire se, id ita visum Deo vt curto pane viueret. Et sic placet ei Deus, quod erat Gaudii inducendi primum artificium. Rursus verò scit se placere Deo, eique se satisfacere, dum eius vicario, Conscientiæ suæ, factum est satis, à quâ se admorderi non persentiscit. Gaudet itaque de suo, eoque fruitur: & hoc quidem secundum est, & sanè longè præstantissimum, quod modò aggredimur, Gaudendi artificium.

Cõtrà mala Conscientia &c.

21. Ex hoc enim Conscientiæ testimonio, illicò securitas magna animo oboritur, sic vt prorsus nihil timeat, nec præsentibus terreatur, nec futura expauescat. Ita præclarè D. Bernardus: *Nihil est jucundius, nihil tutius, nihil ditius bonâ Conscientiâ. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa secura est.* Quid enim aut hominum judicia metuam, si meo ipse me absoluo? aut quid Dœmon mihi noceat magnopere, si mea me Conscientia non admordeat? an mihi is quidquam persuaserit, quod falsum esse mea mihi Conscientia attestatur? An Deum mihi offensum esse imposuerit, quem mihi propitium esse, Dei vices gerens Conscientia liquidò affirmat? Id verò si affirmat, quid demum timendum est mihi! ne Deus quidem, qui totum quod habet in me jus, Conscientiæ meæ judicio transcripsit & consignauit. Atque adeo subdit Bernardus. *Bona Conscientia secura erit cùm corpus morietur; secura, cùm anima coram Deo præsentabitur.* Et

Sui secura est & nihil timet.

D. Bern. de int. Dom. c. 23.

hanc quidem ſecurè viuendi felicitatem fuſiùs alio loco deſcribit, & verò etiam elegantiùs: *Abſit*, inquit, *vt in terrâ ſuauiter viuentium, gaudiorum inueniatur materia*: (En vt antè à me dicta confirmet,) *cùm tantis alternationibus tota mundi facies immutetur. Sed eſt gaudium continuâ ſibi iucunditate firmiſſimum, quod perfectus animus de ſecurâ ſibi Conſcientiâ pollicetur. Mens enim ab huius mundi aſpergine purè deterſa* (En vt materia lætitiæ perpurganda ſit arte & defæcanda) *& in diuinæ contemplationis acumen, totum deſiderij ſui figens affectum, minas aſpernatur, neſcit timorem, ſpem falſam eludit, & omnium ſcandalorum immunis, in pace in idipſum dormit & quieſcit.* Ita Bernardus, ſine dubio rem expertus. D. Bern. ſerm. de Magdal.

Varia Conſcientiæ encomia.

22. Infinitus ſim, ſi congeram ea quæ ſacræ paginæ, & Patres pleno ore agglomerant Conſcientiæ encomia. Certè *ſecuram mentem iugi conuiuio* comparat Sapiens. Neque abs re inquit Gregorius, *quaſi enim continuatio refectionis eſt ipſa tranquillitas ſecuritatis.* Fuſiùs explanat rem, Conſcientiæ encomiaſtes egregius, Bernardus. *Conſcientia bona*, inquit, *templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, reclinatorium aureum, Arca fœderis, theſaurus regius, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber ſignatus & clauſus, & in die iudicij aperiendus.* Neſcio an in D. Auguſtini locum inciderit Bernardus; credo potiùs eadem expertos, eadem etiam prolocutos. Audi Auguſtinum. *O felix ſanctæ Conſcientiæ iucunditas, quæ vermem interiorem excludis, quæ à carcere doloris liberas rationem, quæ ab omni immunditiâ purgas mentem! O mens ſancta, paradiſus deliciarum, varijs bonorum operum virgultis conſita, variiſq; virtutum floribus purpurata, & ſuauiter cœleſti gratiâ irrigata! Hæc eſt, fratres, paradiſus, in quô plantatur lignum vitæ & cœleſtis ſapientiæ. Hæc eſt thalamus Dei, palatium Chriſti, habitaculum Sancti Spiritus. Hæc eſt thronus Salomonis, lectus ſponſi cœleſtis, in quo ipſa Conſcientia bona optimè delectatur, & requieſcit cum ſponſo ſuo.* Prou. 15. v. 15. D. Greg. l. 13. Mor. c. 12. D. Bern. de Conſc. par. 2. D. Aug. ſerm. 10. ad frat. in erc.

Conſcientia bona in tertijs cœlũ eſt.

23. Et his quidem inhærere jam nolo, vtpotè quæ toto ſermocinationis meæ decurſu fuſiùs ſunt exponenda. Iſtud tamen quod palmare eſt D. Auguſtini elogium præterire minimè poſſum, cuique neſcio an quidquam poſſit adjici. Quid enim! certè cœleſti gloriâ nihil eſt homini optabilius. Et huic tamen, Conſcientiæ delicias comparare non dubitat Auguſtinus.

Neſcio

Nescio an eam cœleste quoddam gaudium appellet, an terrestre cœlum. Sanè de cœlesti gloriâ haud parum quod participet, non est dubium. Audi virum de bonâ Conscientiâ, de suâ inquam, gloriantem. *O Conscientia sancta, in terrâ adhuc es, & in cœlis habitas*; quo pacto autem in cœlis habitare dicetur is, qui adhuc in terrâ est, nisi ipsa quam incolit terra, ipsi cœlum sit? Ita est inquit Augustinus; ac propterea subjungit, *Gaude anima, sanctâ Conscientiâ decorata; gaude cœlesti & æternâ gloriâ.* Quod quidem non sic tantùm intelligendum arbitror, quasi si velit Augustinus gaudendum esse animæ, de bonâ Conscientiâ, quasi de arrhâ & pignore quo de cœlesti gloriâ aliquando obtinendâ secura redditur; quamquam & hoc ingens sit Conscientiæ bonæ præmium: plus tamen requirit Augustinus. Non enim de cœlesti gloriâ, sed *ipsâmet cœlesti gloriâ gaudere*, vult animam Conscientiâ bonâ insignitam; vtpote quæ felicitatis æternæ partem non exiguam, reipsâ in terris sit consecuta. Atque hæc quidem elogia Conscientiæ meritò competere, deinceps demonstrabimus. Maneat istud interim ratum fixumque, & quidem Sanctorum Patrum auctoritate confirmatum, lætitiam veram & solidam ex Conscientiâ bonâ existere; atque in eâ rectè instruendâ & componendâ, totam consistere lætitiæ effingendæ scientiam, siue Gaudii perfectum artificium.

D. Aug. Sup.

24. Ad hoc autem percipiendum, vt nos alacriùs accingamus; istud præmonuisse juuerit, scientiam rectè componendæ Conscientiæ inter omnes esse longè præstantissimam; maximè verò cuique necessariam; &, quod rebus magnis non competit, facillimam esse, & vt addiscatur, & verò etiam vt in praxim redigatur. Præstantissimam sanè esse scientiam nemo negarit, vtpotè quâ homo seipsum in Deo cognoscit; & quod admirabilius est, Deum percipit in seipso, vti rectè Bernardus mox laudandus. Maximè verò hominibus est necessaria, cùm ab eâ non tantùm æterna & in cœlis possidenda tranquillitas dependeat, sed & ea, quam in hac lachrymarum valle obtinere potest, calamitatibus obnoxia natura. Facillimam denique esse quæ addiscatur, exinde constat, quòd à nemine prorsus pendeat nisi à te; neque vllas secum difficultates afferat, nisi tantùm eas quas tuâ sponte tibi facis. Interim, hæc cùm ita sint, deplorandum est, inquit Bernardus, ad tam varia studia quòd sese effundant mortalium animi; scientiæ verò tam

Scientia componendæ Conscientiæ præstantissima, maximè necessaria, & facillima.

excellenti & porrò neceſſariæ, tam pauci quòd incumbant. *Multi* inquit, *quærunt ſcientiam, pauci verò Conſcientiam. Si enim tanto ſtudio & ſollicitudine quæreretur, quanto quæritur ſæcularis & vana ſcientia, citiùs apprehenderetur, & retineretur.* Vtilitatem verò ſi ſpectes, certè *vtiliùs eſt currere ad Conſcientiam quam ad ſapientiam, niſi ſapientia ſit quæ ædificat Conſcientiam. Tunc enim ſe intelligit anima, tunc illuſtratur Conſcientia, tunc impletur cordis ſcientia, cum in ſe Deum, & in Deo, mutuâ reuelatione ſeipſam recipit.* Quid de vllâ ſcientiâ dici poteſt præclarius? Hæc ſane, quantùm percipio Bernardi mens eſt, Conſcientiam eſſe ſcientiam quâ cogitationes ſuas, affectiones, & deſideria in Deo eiuſque voluntate animus intuetur, eâque tamquam regulâ actiones omnes metitur & dirigit; atque hoc eſt ſeipſum in Deo intelligere. Viciſſim verò hâc ſcientiâ Deum in ſe agnoſcit Anima; percipit enim agentem in ſe Conſcientiam, quæ vices gerit Dei, & per quam cùm agitur anima, in animâ agit Deus; ipſa cùm docet, Deus docet; ipſa cùm imperat, Deus imperat; ipſi cùm paretur, paretur Deo. Bern. ſup.

Huic itaque ſcientiæ comparandæ jam inſiſtimus. Verùm Tu qui omnis boni fons es & origo, *da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam ..... Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te. Scit enim illa omnia & intelligit; & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſuâ potentiâ.* Hanc verò vt aſſecutus fuero, tum demum habuero *illam quam mundus dare non poteſt pacem*, meâque me Conſcientiâ inuoluens, immotus ſanè conſpiciam corruentis in ſe ruinas orbis; ridebo blandientis mundi inſanas fallacias; illudque pleno ore ſecurus dicam. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* ac propterea, *dediſti lætitiam in corde meo.* Hanc cùm habeo Deum in me habeo; & in Deo, omnia. 25. Sap. 9. v. 4. & 10. Pſal. 4. v. 7.

TRACTA-

TRACTATVS II.

DE CONSCIENTIA IN GENERE EIVSQVE NATVRA.

Hoc præceptum tibi commendo fili Timothee ſecundùm præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam Conſcientiam. 1. *ad Timot.* 1. *v.* 18. 19.

Exponitur quid propriè ſit Conſcientia; in quâ parte animæ conſiſtat, eiusque præcipua munia ſummatim explicantur.

PROOEMIVM.

VNde petenda ſit Animi quies & verum Gaudium, vtcumque jam oſtendimus. Ex bonis honeſtiſque actionibus, ſolidam ſinceramque lætitiam exiſtere nemo negauerit, niſi qui ſcelerum patronus factus, ſibi eſt perfidus, atque hoſtis ſuus. Sanè probitatem morum, actioneſque rationi congruas alimentum eſſe præſentis in hâc vitâ, pignuſque futuri Gaudii, in comperto eſt; hoc clamant ſacræ paginæ, iſtud quotidianâ experientiâ teſtatur. Neutrum tamen nunc ago, ne nimium diffluat oratio. Verùm cùm actionum omnium moralis bonitas, atque adeò vitæ noſtræ laus (quam *bonam militiam* vocat Paulus,) à bonitate Conſcientiæ; vituperium autem malæ vitæ aut militiæ, ab eius peruerſitate dependeat: vt res omnis à fundamentis penitus eruatur, iſtud ab ipſo exordio eſt explicandum, quid demum rei ſit Conſcientia. Turpe enim eſt fortunæ ſuæ originem inquirere, & cùm jam tenetur manibus, naturam tamen tanti boni

1. ad Tim. 1. v. 19.

ignorare. Sanè nemo vnus est, qui de Conscientiâ pleno ore non disputet. Conscientiam suam inclamant omnes, & fortasse non omnes eam prout est, intelligunt. Itaque vt ordine eat res, exponemus modò Conscientia quid sit & in quâ Animæ parte sedem fixerit. Deinde quæ eius sint partes aut officia, summatim explicabimus, vt ita vni aspectui pateat Conscientiæ, & eorum quæ dicenda sunt, symmetria & constructio.

Concionatoris munus est dogmata Theologica populo exponere

Intercurrent fateor quæstiones quædam in Theologorum scholis disputari solitæ: sed numquam credidi eas à Concionatorum subsellijs esse relegatas. Quin imò idcirco existimaui ego, inter doctissimos illos parietes veritatem debere discuti diligenter, magnoque feruore sententias agitandas esse, vt paleis pulueribusque, disputationis vi discussis, purum frumentum, veritas inquam, animæ pabulum, tandem emergat, quòd pro concione demum oratione placidâ sine altercationum acrimoniâ, populo proponatur. Quid quod abstrusissima maximèque recondita Theologiæ mysteria, ex iis ipsis Sanctorum Patrum homiliis petita à Scholasticis videam, quas viri prudentissimi, & Ecclesiæ primitiuæ Doctores, jam olim antequam Scholæ existerent, pro populo passim exponebant? Adeò vt si rectè rationem teneo, manifestum sit *& quomodo.* Theologiæ, etiam subtilissimæ placita, longè ante-Concionatorum pulpita quàm Scholasticorum exedras fuisse peragata. Theologicas itaque de Conscientiâ quæstiones, quas quidem ad rem meam generatim facere judicauero, in medium proferam: sic tamen altiora dogmata pertractaturus, vt à quocumque Theologicis terminis non imbuto, facilè intelligendus sim: quæstionum abstrusiores apices è rupibus vulgo inaccessis, in plana deducturus, atque ea quæ passim habentur recondita & obscura, omnium oculis, vti spero, facturus clara atque perspicua.

§. I.

Variè à variis Conscientia describitur potiùs, quàm definitur.

1. VAria & prorsus admiranda sunt, quæ tum à Sanctis Patribus, tum etiam à Philosophis de Conscientiâ afferuntur: ea tamen sunt, quæ encomia potius dicenda sint, quàm rei plana expositio; vtpotè quibus non adeò præstitutum fuerit Conscientiam definire, quàm ejus præstantiam dignitatemque verbis commendare. Varia quod afferant de re admodum simplici, id quidem non miror ego. Varia enim Conscientiæ cùm sint munia, & quidem inter se disparata, diuersis etiam patet contemplantium aspectibus. Et sic contingit vt de re vnâ & simplici, diuersa tamen sint & judicia & encomia, prout eandem diuersimodè agentem, mirâque varietate vim suam exerentem, variè fuerint contemplati. Iuuat hanc judiciorum diuersitatem intueri: nam quamuis singuli singula tantùm referant, magisque describant qualis sit Conscientia, quàm quid sit; illud tamen inde referemus commodi, vt cùm singula à variis perceperimus sigillatim, generatim etiam intellecturi simus omnia, quæ Conscientiæ demandata sunt munia: sic demum facilè percepturi, non tantùm qualis, sed & generatim quid sit, & quæ demum rei adeo commendatæ definitio & natura.

Ex variâ Conscientiæ consideratione, variæ sunt eiusdem descriptiones.

2. Ac primò quidem vt à Philosophis exordiar, Epictetus eam Pædagogum vocat natu grandioribus à Deo datum, singulorum actiones qui & obseruet & dirigat. *Pædagogo*, inquit, *nos tradidêre parentes, qui vtique obseruet, num quid lædaremur. Deus autem iam viros insitæ Conscientiæ custodiendos tradidit. Quæ quidem custodia & obseruatio nequaquam contemnenda est; quoniam & Deo displiceret, & Conscientiæ nostræ ipsi hostes essemus.* Altiùs exsurgit D. Gregorius Nazianzenus, eamque appellat, *Domesticum & verum tribunal*; illi procul dubio simile, quòd quia Regum lateri semper adhæret, sanctioribusque Regni negotiis adhibetur, Senatus & est. & vocatur domesticus, aut priuatus. Magnus Gregorius, ipsam *accusatricem* nominat, & cui soli in hoc tribunali actio

Ex enumerantur.

Epictet. apud Meliſſam l. 2 ſer. 82.

D. Greg. Naz. de plaga grand.

D. Greg. l. 11. mor. c. 2.

actio competat criminandi. D. Bernardus eam & testandi jus habere contendit, quinimo & judicis partem agere, & carnificis, & rei. Alii tabellionem publicum dicunt, cuius tabulis omnimoda fides datur. Alii vermem indigitant, surdo allapsu animæ intima arrodentem. Diuus tamen Paulus, vt ei inuidiam detrahat, pleno ore triumphum suum eam sibi esse deprædicat. *Gloria nostra hæc est*, inquit, *testimonium Conscientiæ nostræ*. Quid quòd Psalmista alto sanè encomio, eam velit esse lumen Diuini vultus, & quidem animæ nostræ insitum & inhærens? *Signatum est*, inquit, *super nos lumen vultus tui*. Quæ verba sic commentatur Augustinus, *Signatum autem dixit in nobis, tamquam denarius signatur regis imagine?* Neque abs re dixero signatam in nobis imaginem Diuini vultus, tamquam sigillum Dei, quo cuncta quæ in hoc Conscientiæ tribunali expediuntur diplomata & decreta, ritè & authenticè obserantur. Meritò itaque ex Nazianzeno, Conscientiam diximus domesticum & priuatum Senatum Dei, vtpote cui Diuini sigilli cura, cum amplissimâ potestate est demandata.

D. Bern. l. de Consc. par. 2.

2. ad Cor. 1. v. 12.

Psl. 4. v. 7. Aug. in eum loc.

Conscientia dicitur Mortalium Deus, & benè.

3. Minus igitur jam mirabor, Conscientiam Menandro dici Deum. *Mortalibus omnibus Conscientia Deus est*, inquit. Certè non loquitur abs re. Nam senatûs supremi, & verò etiam priuati quòd Regi à latere est, acta & diplomata, meritò Regis nomen præferunt, & à Rege dicuntur emanare, vtpotè qui tali Senatui, cum sigillo & auctoritatem suam, & verò etiam nomen dignitatis suæ concesserit; atque adeò quæcumque ab istis subsellijs mandata deferuntur, ea dicitur præscripsisse Rex. Ita vt hinc etiam meritò Senatus ille sacer, Rex nominetur, cujus auctoritate insignitur. Ita prorsus, cùm Diuino vultu signatum sigillum Conscientia penes se habeat, sibi à Deo ipso legitimè & cum summâ auctoritate (vt paulatim visuri sumus) consignatum, certè non immeritò Conscientia dicitur mortalium Deus. Neque Menardi gentilis hominis sententia multum ponderis apud me haberet, nisi eam Lactantius suo calculo in Cicerone comprobasset. *Non minùs*, inquit, *mirabiliter de Deo & de Conscientiâ meminit Tullius: Meminerit Deum se habere testem, id est vt ego arbitror, mentem suam, quâ nihil homini dedit Deus diuinius.*

Tract. 3.

Lactant. de vero cultu. c. 24.

1. Imperat vice Dei.

4. Neque verò, vt quod res est fatear, hæc mihi per exaggerationem aliquam, & ad pompam tantummodo dicta videntur. Cùm enim

enim res altiùs & attentiùs inſpicitur, (quodque toto libri hujus decurſu manifeſtum dabo) Conſcientia cuiuis propria, Dei vices agit: vtpotè cujus dictamini & imperio in rebus agendis neceſſariò quiſque ſeſe debeat ſubdere & accommodare; cùm ipſa ſola ſit quæ in actibus ſingularibus exigendis, voluntatem Dei animæ denuntiet: adeo vt ei qui paret, Deo prorſus pareat. Vnde & Conſcientiam Theologi humanarum actionum Regulam proximam eſſe definiunt, quarum, Voluntas Dei Regula ſit remota; vtpotè quæ homini, non niſi per Conſcientiam, vt regulam proximam, applicatur.

5. Re autem jam peractâ & actione poſitâ, ſolius Conſcientiæ in hac mortali vitâ munus eſt, eam judicis inſtar aut approbare, aut certè judicio ſuo condemnare, ad inſtar Dei. Quod quidem adeò verum eſt, vt Deus ipſe judicium ſuum ſuſpendat, ſententiamque à Conſcientiâ proferendam expectet, vt calculum ei ſuum porrò adjiciat. Illud enim ſciendum eſt, lites omnes quæ cœlum inter hominemque intercedunt, à ſuo tribunali Numen amandaſſe; earumque arbitrium & diremptionem, priuato huic Senatui, domeſtico inquam Tribunali, Conſcientiæ commiſſiſſe. *2. Iudicat acta.*

6. Denique ſententiâ pro Deo contra peccatorem latâ, omnis cum offenſo Numine reconciliatio irrita eſt & fruſtranea, neque vlla à Deo delicti gratia conceditur, quæ prius in hoc tribunali examinata non fuerit, ritè diſcuſſa, ſigillo Conſcientiæ munita, ac ſic demum peccatori quaſi in manus conſignata. Et ſic omni ex parte veriſſimum eſſe conſtat, Conſcientiam mortalibus Deum eſſe, cujus vicarias partes tantâ cum auctoritate exequitur. Magna hæc ſunt fateor & magnifica Conſcientiæ encomia; necdum tamen ſatis liquet ea quid ſit. Iſtud igitur agamus modò, naturamque tam præclaræ rei penitiùs explicemus. *3. Reconciliat hominẽ eum Deo.*

§. II.

Quid propriè sit Conscientia. Ac primò quidem ostenditur eam non in voluntate consistere, sed merum esse intellectus judicantis actum transeuntem.

Definitio Conscientiæ propriæ.

ET quidem, vt subtiliores qui in hac parte à Theologis ingeniosè discutiuntur apices relinquamus, illud vniuersim dico, Conscientiam aliud nihil esse, quam *Intellectûs dictamen practicum, seu iudicium, quo hic & nunc decernitur, quid secundùm rationem modò faciendum sit, aut etiam ratione rectâ omittendum.* Et hæc quidem de rebus faciendis est Conscientia. In rebus autem jam peractis: Conscientia est *iudicium intellectûs decernentis an res ex ratione peracta sit benè, an verò perperam.* Ita cum D. Thomâ Theologi passim omnes, vnum si excipias Durandum, & Ægidium à Gandauo. Ecce quantula res sit, quæ totum tamen in humanarum actionum directione obtinet dominatum. Quid enim exilius, & in speciem contemptibilius est, quàm vnius hominis de rebus agendis, actisúe judicium? Certè humana quæ de se passim circumferebantur iudicia, insuper habebat Paulus, & contemptui. *Mihi autem pro minimo est,* inquiebat magnus gentium Apostolus, *vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Quid verò de vnius hominis judicio dicturum credimus, qui de peruulgatis plurimorum hominum de se sententiis sentiebat tam jejunè, imò tam contemptim? Verùm vt aliena de se dicteria & censuras pro minimo haberet Apostolus, sanè Conscientiæ suæ testimonium & judicium adeò non parui faciebat, vt eam & *gloriam suam* compellare non erubescat. Exigui itaque momenti vt sint aliena de te judicia, tuum tamen, Mortalis, & magni pende & venerare. Exigua vt videatur res, ea tamen eiusmodi est, vt ab illâ omnis moralis bonitas peruersitasque actionum humanarum liquidò dependeat. Ab hâc autem, animæ in hâc mortali vitâ quietem aut perturbationem, in futurâ verò salutem aut condemnationem omnem existere, in confesso est. Ne itaque paruum dixeris, à quo tanta pendet & dirigitur rerum machina. Neque gubernaculum quamuis visu non admodum sit elegans, & in vltimâ nauis

7.

D.T.1.p. q.79.a.13.

In speciem exigua res videtur Cõscientia.

1.Cor.4. v.3.

Sed vi & virtute est potentissima.

2.Cor.3. v.12.

uis parte constitutum, dignitate vlli cedit armamento; imò sin-
Iac.3.v.4. gula longè superat. Nam vt præclarè D. Iacobus: *Ecce & naues, cum magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit*; atque hæc dirigendi vis & necessitas, totam, vti in naui gubernaculo, ita & judicio illi, tenui vt videtur & exiguo, in animo tribuit & præstantiam & dignitatem.

8. Verùm vt & Conscientiæ definitionem exiguis verbis circumscriptam, eiusque jurisdictionem & potentiam, nullis nisi quibus humanæ actiones terminantur finibus limitatam, clariùs explicem, tria mihi omninò exponenda sunt. Ac *Primò* quidem, quòd Conscientia actus sit judicii, reipsâ, seu vt dicitur hîc & nunc, de actionibus siue faciendis siue factis decernentis. *Secundò*, judicium istud non speculatiuum esse de virtutibus vitiisque generatim prolatum, sed sigillatim & practicè pronuntiatum. Tum demum *Tertiò*, judicii hujus seu Conscientiæ, in reliquas actiones humanas, quæ quidem morales dicuntur, jurisdictio & auctoritas est explanânda. Summatim tamen, & quantùm nunc ad Conscientiæ, deinceps tamen viuis coloribus depingendæ, rudiorem notitiam sufficere visum fuerit. *Expositio definitionis.*

9. Ac primò istud statuimus cum communi Theologorum sen-
D.T.1.p. q.79. sed contra. tentiâ, Conscientiam non esse potentiam aliquam animæ insitam. Nam vt rectè D. Thomas, Conscientia nonnumquam deponi potest; imò & debet: potentiam autem animæ deponere, in manu nullius est. Deinde: *propriè loquendo*, vt ait Diuus Thomas, *Conscientia nominat actum*, id est, actus est judicantis reipsâ de actionibus suis animæ. Itaque nihil aliud est Conscientia quam
Dur.in 2. d.39.q.4. simplex judicium. Solus Durandus, quod sciam, Conscientiam ait, non esse quid simplex; sed aggregatum ex habitibus intellectûs circa particularia agenda acquisitis, & ex inclinatione vo-
Henr. quodl. 1. q.18. luntatis ad bonum malumúe implicatæ. Henricus verò à Gandauo, Conscientiam neutiquam intellectui, sed voluntati soli inesse, atque isthic dominium suum exercere contendit. Eamque sic definit: *Conscientia est in voluntate quædam electio deliberatiua, semper concordans cum dictamine rationis rectæ.* Et quamuis hæc definitio Conscientiæ circa res factas versanti, difficillimè possit accommodari, cùm circa res actas non detur amplius vlla deliberatio, detur autem nihilominùs Conscientiæ de præteritis actio; *Conscientia actus est iudicii, non potentia animæ.* *Neque partim in voluntate & in intellectu.* *Neque in voluntate solâ.*

accusatio nempe, reprehensio, condemnatio, testimonium denique de quo gloriatur Paulus; pluraque alia sint munia Conscientiæ, quæ tamen, vti patet, nullo modo voluntati seu electioni deliberatiuæ, sed soli intellectui competunt: posset tamen Ægidii sententia argumentis aliquot suffulciri, quæ non tam disputandi gratiâ afferam, quam vt res ipsa objectionibus propositis solutisque, clariùs dilucidetur.

Proponuntur rationes suadentes Conscientiam in voluntate consistere.

Obiectio 1.

Et verò in voluntate Conscientiam sibi locum fixisse, eamque 10.
in voluntatis ad bonum malumque inclinatione consistere, hinc quidem *primò* videtur confici: quod passim hominem frugi, & ad virtutum exercitia obeunda facilem & propensum (quæ quidem pronitas solius voluntatis est) bonâ Conscientiâ præditum virum vocitemus; contrà verò malæ Conscientiæ notam inurimus homini in scelera de facili ex voluntatis peruersæ inclinatione diffluenti. Communi igitur hominum judicio, Conscientia, non in intellectu, sed in voluntatis implicatione, & in bonum malumuè inflexione, statuenda est. *Secundò* (& hæc quidem est Ægidii argumentatio) non rectè dici potest, in intellectu, aut rerum agendarum scientiâ Conscientiam collocari; nam inquit, *tunc omnis habens operandorum notitiam. haberet de operãdo Conscientiam: & habens maiorem notitiam, haberet strictiorem de operando Conscientiam; quod falsum est: quoniam videmus sæpius, habentes maiorem operandorum notitiam, minorem habere operandi Conscientiam.* Atque vt Ægidii argumentationem promoueam, vnde quæso id fit, vt plurimi scientiâ rerum agendarum planè conspicui, nihilominùs pessimam habeant Conscientiam, nisi ex voluntatis in scelera propendentis peruersitate: vbi alii rudes rerum, nulloque ingenii acumine conspicui, bonæ tamen Conscientiæ felicitate gaudent? Igitur bonitas intellectûs aut malitia; item rerum agendarum peritia aut scientia, non est dicenda simpliciter Conscientia. Nam sanè præclarissima ingenia & quibus optima ad extremum vsque perstitit Conscientia (si Conscientia in rerum agendarum scientia sita est) modò tamen æternis ignibus addicti, Conscientiæ suæ pœnas dant. Et tamen nemo dixerit bonam Conscientiam æternis suppliciis castigari. Nemo planè. Castigatur ergo quia mala fuit. Vnde autem mala? Non à scientiâ quæ intellectui inerat, ergo à rectitudinis defectu quæ aberat à voluntate. In hâc igitur, Conscientia collocanda est, in quâ sola

Obiectio 2. quæ est Ægidij.

Conscien-

Consciențiæ posita est aut bonitas aut peruersitas. Atque vt objectationem hanc longiùs promoueam, validiùsque stabiliam, certè istud adnimaduertendum est *tertiò*, passim in Sacris paginis Conscientiam dici mundam aut immundam; sceleribus plenam iisque obnoxiam, aut criminum immunem & innocentem; denique ne longus sim, malam aut bonam. Iam verò apud omnes in confesso est, in totâ intellectûs, vt ita dicam, sphærâ, neque munditiem aut immunditiem, neque bonitatem aut malitiam, quam quidem moralem vocamus, habere locum. Hæc enim omnia libero hominis tribuuntur arbitrio, penes quod est agere vel non agere; & cùm agit, perperam agere aut etiam ratione rectâ. Quapropter etiam omnis penes liberam voluntatem stat actionum humanarum laus aut vituperium. Quid igitur juris in Conscientiam bonam aut malam, sibi deposcit intellectus, cuius tota ratio, bonane an mala sit, à solâ voluntate ducit initium & rem? Si ergo à voluntate est id quod est Conscientia, certè aut voluntas ipsa dicenda est Conscientia, aut sanè voluntatis partus legitimus; non igitur intellectûs aut judicii actus est. *Obiectio 3.*

II. Gaudeo equidem difficultates hasce mihi esse obuolutas. Dissolutis enim nodis, tota quæ paucis, atque ideò fortassis obscuræ definitionis verbis inuoluebatur materia, planiùs explicabitur, & intuentium oculis dilucidiùs exponetur. Et quidem ante omnia probandum est, Conscientiam non esse pondus istud voluntatis in bonum malumúe propendentis & inclinatæ. Quod *primò* sic conficio. Voluntatis enim in bonum malumúe propensio, virtus aut vitium morale voluntatis est. Si quidem, vt apud omnes in confesso est, virtus moralis aut vitium, nihil aliud sunt quàm dispositio potentiæ ad eliciendos actus conformes aut difformes rationi. Et, si quidem ad actus rationi conformes ea tendat dispositio, virtus nominatur; sin verò ad difformes, vitium & est, & dicitur. Rursus, prout ad varias peculiaresque actiones rationi aut conformes aut difformes dispositus pronusue est animus, etiam peculiari aut virtute aut vitio manifestum est insigniri. Hinc qui in pudicas actiones est propensior, virtute pudicitiæ ornatus dicitur; qui in impudicas inflexus est, impudicitiæ vitio laborabit. Atque idem esto de mansuetudinis, misericordiæ liberalitatis, cæterisque moralibus virtutibus, illisque oppositis vitiis judicium. Tota enim virtutis vitiiue essentia, in hac voluntatis

Conscientiã non esse inclinationem voluntatis in bonũ aut in malum.

Probatur primò.

luntatis (quæ virtutum vitiorumque moralium ſedes eſt) diſpoſitione ad actus conformes rationi aut ei difformes producendos, conſiſtit. Atqui longè alia res eſt virtus aut vitium, quàm Conſcientia: neutrum enim eſt. Quod quidem ſic oſtendo. Sit enim qui multo vſu exercitationeque bonorum operum (ſic enim virtutes omnes morales acquiruntur) virtutem ſibi aliquam, puta pudicitiæ, temperantiæ, aut juſtitiæ, & quidem admodum excellentem compararit. Is ſanè ſi pro libero quo valet voluntatis arbitrio, letali ſcelere impudicitiæ mentem contaminet, extra controuerſiam eſt eum virtutem pudicitiæ illicò non amittere. Poteſt enim, vt rectè ex Philoſopho D. Thomas docet, habitus conſiſtere cum actu contrario qui habitui ſeu virtuti aduerſetur. Neque quiſquam huic ſententiæ, quam ipſamet quotidiana comprobat experientia; facilè refragabitur. Itaque virtutem pudicitiæ, animum inquam ad pudicitiæ actus pronum, habebit ille, & tamen non habebit rectam in pudicitiæ materiâ Conſcientiam, ut deinceps explicabimus, atque omnibus in confeſſo eſt; cùm necdum à ſcelere eum reſipuiſſe ſtatuamus. Non igitur idem ſunt Conſcientia virtutis, & bona in virtutem voluntatis inclinatio, vt illi volunt; cùm hæc ſæpiſſimè conjuncta ſit cum peſſimâ virtutis Conſcientiâ. Liquidiùs ea diſparitas in vitioſo voluntatis habitu aut diſpoſitione eluceſcet. Sit enim ſceleratus quis, qui omnem vitam impudicitiæ, luxuriæ, cæteriſque vitiis paſſim proſtituit, ſic vt in eâ toto voluntatis pondere ſeu habitu feratur: is inquam vitiis imbibitus, ſummâ animi pœnitudine peccata in confeſſione deponat, ſcelera præterita dereſtetur, eique abſolutione ſacrâ condonentur; an illicò depoſuit voluntatis vitia peruerſamque animi inclinationem in peccata? an illicò virtutes contrarias acquiſiuit? minimè verò; à peccatis immunis eſt, ſed non à vitiis. Vitioſas inquam ſecum fert affectiones animi, & tamen optimam habet de ſceleribus per vitium commiſſis Conſcientiam: bona inquam eſt Conſcientia, quamuis voluntas tota ſit in vitiis. Longo itaque interuallo diſtant Conſcientia, & praua rectaue voluntatis diſpoſitio, quod quidem erat oſtendendum.

Poteſt quis habere virtutem pudicitiæ, & tamen habere malam in materiâ pudicitiæ Conſcientiam.

D.T.1.2. q.52.a.3. in c.

Poteſt quis habere bonâ in materiâ pudicitiæ Conſcientiâ, & tamen non habere virtutem pudicitiæ.

Probatur 2. *Secundò* Conſcientiam neque voluntatem eſſe, neque voluntatis actum, ex eo etiam liquet, quòd, prout ſequenti Tractatu demonſtrabimus, Conſcientiæ voluntas ita ſit obligata, vt ejus ductum, peruerſa ne ſit, in omnibus ſequi debeat, eique ad amuſ- 12.

ſim

sim obedire: nulla autem res seipsam sequi & præire, aut sibi metipsi dicitur obedire. Sequetur autem se & se præibit, obediet & imperabit vna eademq; res, si non aliud sit Conscientia & voluntas.

13. *Tertiò* denique (& hæc est ratiocinatio D. Thomæ) nulla prorsus est Conscientiæ actio aut operatio, quæ voluntati competat; omnes verò ab intellectu emanant, consistuntque in aliquo intellectûs, reipsâ sese applicantis, actu aut exercitio. *Dicitur enim*, inquit D. Thomas, *Conscientia testificari, ligare, vel instigare, vel etiam accusare, vel etiam remordere siue reprehendere. Et hæc omnia consequuntur applicationem alicuius nostræ cognitionis, vel scientiæ ad ea quæ agimus.* Rursus Conscientia dicitur retinere, judicare, condemnare, absoluere, castigare; quinimò & laudare. Neque in his omnibus, cæterisque quæ Conscientiæ tribuuntur munijs, vllum apparet voluntatis sese ingerentis vestigium; & vt rectè D. Thomas, *patet autem quod hæc omnia consequuntur actualem applicationem scientiæ ad ea quæ agimus. Vnde propriè loquendo Conscientia nominat actum*; & non est, ne quidem aggregatum ex habitibus intellectûs circa particularia agenda acquisitis, vti volebat Durandus. Maneat itaque quod Conscientia propriè & signatò nihil aliud sit, quàm Actus judicij reipsâ, seu vt loquuntur scholæ; actualiter de actione suâ decernentis, bonane sit an mala; quòd breuiùs vocabimus judicium actuale.

Probatur 3. ratione D. Thomæ.

D.T.1.p. q.79. a.13 in co.

14. Iam verò facilis erit difficultatis primò positæ elucidatio. Nam quòd hominem ad virtutum opera ritè exercenda pronum & facilem, bonæ Conscientiæ virum appellamus; hoc quidem exinde fit, quod ex virtutum crebro exercitio, facilè fit conjicere, talem virum intellectu pollere, qui rectè de actionibus à se faciendis judicet, easque vt rationi consentaneas voluntati exhibeat exequendas. Adeo vt voluntatis bona vel mala inclinatio, aut etiam operis executio, Conscientia ipsa non sit, nisi arguitiuè. Rectè enim arguimus ex operis bonitate aut malitiâ, judicium rectum aut peruersum de opere præstando præcessisse; istud autem judicium est Conscientia. Quando igitur voluntatem sic in bonum malumùe propendentem, Conscientiam appellamus; non propriè loquimur, sed impropriè. Nam vt rectè D. Thomas: *Consuetum est quod causæ & effectus per inuicem nominantur.* Et quia recta Conscientia aliquo modo causa est rectæ voluntatis, eam

In bonum propensa voluntas, non est bona Conscientia, sed eam indicat.

Impropriè vocatur bona Conscientia.

D.T.sup.

eam nempè quòd dirigat eiúque quòd præcipiat ; hinc fit vt voluntatem rectam, bonæ Conſcientiæ titulo, impropriè tamen, condecoremus. Sic ſanè & lætas ſegetes dicimus, & auaritiam auro damus.

§. III.

Declaratur Conſcientiam non eſſe actum judicij decernentis de bonitate aut malitiâ actionum generatim, ſed judicium particulare de hoc quod aut agendum aut actum eſt opere, ſigillatim. Quo modo Conſcientia à ſyndereſi aut aliâ ſcientiâ differat, explicatur.

Aliud eſt ſcientia aut Syndereſis in genere, aliud Conſcientia.

VT igitur ad ſecundam objectionem, quæ quidem ab Ægidio proponebatur faciamus gradum ; iſtud ſecundò in Conſcientiæ definitione ſedulò perpendendum eſt, quodque lucem maximam rei fortaſſis adhuc obſcuræ afferet ; judicium iſtud intellectûs, quod conſcientiam eſſe diximus, non eſſe judicium qualecumque de virtute aut vitio ; neque etiam de operatione ponendâ aut non ponendâ generatim ; verùm, eſſe *judicium practicum, quo hîc & nunc decernimus, quid ſecundùm rationem modò faciendum ſit aut non faciendum ; & ſi res facta ſit, benè facta an ſit, an malè.* Longo autem interuallo hæc inter ſe diſſident, magnam de Diuinis humaniſque legibus habere ſcientiam ; atque eam, qualiſcumque ſit, (magna an exilis nil refert) operationi quæ hîc & nunc præ manibus eſt dirigendæ ; aut ſi abſoluta jam eſt, examinandæ, ritè applicare. Iſtud ſcientiæ eſt, & quidem variæ; hoc verò Conſcientiæ eſt ſolius. 15.

Explicatur inductione.

Et vt ſigillatim id magis explicem ; dico aliud prorſus eſſe, ſcire & dijudicare Diuino obtemperandum eſſe Numini, idque generatim ; rurſus peruerſiſſimæ mentis eſſe, ejus imperia detractare, Deumque ea excutiendo iniuriâ afficere ; item æqui honeſtique in omnibus rationem habendam ; cæteraque omnia *principia operabilium*, vt ait D. Thomas, *nobis naturaliter indita, quæque pertinent ad ſpecialem habitum naturalem quem dicimus Syndereſim*, mente complecti, exactè callere, earumque rationes tum è ſacrâ, 16.

D.T.1.p. q.79.a.12. in c.

è sacrâ, tum è profanâ Philosophiâ, magno ingenii acumine posse demonstrare: rursus, scire quid humanæ ferant leges, quid jus gentium, quid scriptum jus aut Cæsareum, quid municipale; quid sacri statuant Canones & jus Pontificium: denique quo pacto exercendæ sint virtutes, quâ ratione dæmonum oppugnationibus sit obsistendum, quâ arte ejus insidiæ sint detegendæ & cauendæ, & quæcumque demum Sancti Patres & Ascetæ de virtutibus vitiisque tradidêre documenta; ea inquam omnia mente complecti, exornare verbis & sententiis, & aptè de toto hoc virtutum apparatu posse disserere, aliud longè est ac occasione agendi oblatâ, reipsâ hîc & nunc judicare & statuere hanc actionem exhibendam esse aut omittendam; & si exhibenda sit, hasce quas ratio dictat circumstantias esse adhibendas vt ritè fiat; denique si res peracta sit, benene an perperam sit acta, liquidò statuere, actionemque præteritam aut à scelere absoluere, aut condemnare.

17. Magnum profectò inter hæc interjacet interuallum. Nam principiorum ista coaceruatio, quam Syndereſim dicimus, aliæque siue legum, siue Canonum scientiæ, speculatiuæ prorsus sunt, neque peculiaribus actionibus ipsæ sese applicant, nisi reipsâ applicentur: applicare autem, non id quidem scientiæ munus est, quæ vt Philosophus statuit, generalia solet contemplari; sed Conscientiæ, quæ actu judicat quid agendum, quid non agendum, quo tempore, quo loco; reliquasque circumstantias circumscribit; quæ actioni bonitatem daturæ sunt aut malitiam, ac proinde honestam facient aut inhonestam. Ac sic Syndereſim aut scientiam Academijs comparo, in quarum atrijs ac subsellijs, Ius Ciuile Canonesue exponuntur sed generatim; statuitur quid sit dominium, quo pacto acquirantur res, quid sit præscriptio, quid vsucapio; & cætera omnia, quæ de justâ possessione aut injustâ statuit aut lex aut natura, disputantur sedulò & decernuntur. Conscientiam verò, non immeritò Senatui similem dixero, in quo non quid generatim justum sit, sed an hæc actio, an hæc possessio de quâ disceptatur, justitiæ limites non excedat; an huic an illi disceptantium parti assignanda sit quæ disputatur res, decernitur. Sigillatim igitur de rebus judicat Senatus, de quibus generatim scholæ disputant. Contingit autem sæpissimè, vt qui acutè in scholis disserit, magnusque est theori- *Et comparatione.*

cus; in Senatu tamen sit contemptui; aut quia scientiam generica peculiari causæ non applicat; aut quia contra generica dictamen, ex animi peruersitate, in causâ propositâ fert sententiam.

Vnde fiat, vt qui maximâ sæpè habent scientiam, nullam habeant Conscientiam.

Ita sanè, quod summopere deplorandum est, vsuenit non rarò, vt præclarissimo homines præditi ingenio, quique quid bonum inter malumque interfit clarissimè discernunt, perditissimis tamen sint moribus; non quòd recti regulas ignorent, sed quòd eas generatim callere contenti, actionibus à se exhibendis minimè applicent, aut affectionum caligine præpediti, aut æternorum honestique contemptu in transuersum acti; aut etiam ob ingentia commissa scelera, à Diuinâ gratiâ prorsus destituti. Nam vt disertè & grauiter Paulus: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis; quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium.* Quam enim de Deo diuinisque rebus veritatem speculatiuam animo percêpere, commutauerunt in mendacium practicum; & prout alio loco deplorat Paulus, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant; cum sint abominabiles, & incredibiles & ad omne opus reprobi*, Conscientiæ suæ nimirum hostes, & judicij, quod ipsimet in domestico tribunali contra se proferunt, contemptores refractarij & perduelles. *Veritatem* enim vt rectè Paulus conqueritur, *in iniustitiâ detinent*, id est sententiæ, quam Conscientia de re agendâ, secundum Dei rationisque regulas justissimè protulit, executioni per summam injustitiam intercedunt; aut etiam sententiæ à Conscientiâ proferendæ prolocutionem, ad alia mentem auertendo, quasi per jocum, & tamen per summam impudentiam interpellant. Et sic *veritatem* à Conscientiâ declarandam *in iniustitiâ detinent*, id est iniustè. Hinc denique fit vt tandem à Gratiæ Diuinæ, Conscientiam excitantis, auxilio destituti, sine Conscientiæ interpellatione aut remorsu in omne scelus proruant, Deo exosi, & Conscientiæ suæ, quam non sentiunt, contemptores. 18. ad Rom. 1. v. 24. Ad Tit. 1. v. 16. Ad Rom. 1. v. 18.

Conscientia magis à Deo flagitanda quàm scientia.

Præclarè proin Bernardus: *Vtilius* est, inquit, *currere ad Conscientiam quàm ad scientiam; nisi sapientia sit quæ ædificat Conscientiam.* Tunc autem à sapientiâ Conscientiam ædificari scias, quando generica æqui honestique scientia Conscientiæ ita præsto est, vt 19. S. Bern. l. de Con.

est, vt peculiaribus actionibus ab illâ se sinat applicari: vtpotè à quâ discernendum sit, quid quouis loco & tempore agendum sit aut omittendum. Ceterùm generica ista scientia, sine hoc Conscientiæ dictamine, adeò nihil prodest, vt ea quinimò in euidentiorem cessura sit hominis præter Conscientiam agentis condemnationem. Conscientiam in animo loquentem docentemque quisquis audierit, is verè sapit; si quidem sapere est actiones suas rectè ordinare. Neque verò de aliâ vllâ sapientiâ multùm laborare mihi visus est Dauid, cùm toties repetitis vicibus scientiam sibi à Deo dari efflictim postulat Psalmo centesimo decimo octauo, quem quotidiano horarum penso, tanquam orationem homini vt benè agat summè necessariam, non sine summo consilio inseruit Ecclesia. Longissimus est Psalmus, & totus fere est vt sapientiam, vt intellectum, vt legis scientiam efflagitet. At quam scientiam? certè non genericam illam quæ sacris codicibus continetur, & quâ intelligat quid rectum sit, quid honestum; sed illam quæ se edoceat, quid à se hîc & nunc requirat Deus, quæquæ ad singulares actiones rectè exigendas est necessaria. Hæc autem sola est, Conscientiæ ad singula sese applicantis, doctissima institutio. En vt in omnem sese partem vertat, Conscientiæ suæ solicitus admodùm, Diuinus Psaltes v. 18. *Reuela oculos meos*, inquit, *& considerabo mirabilia de lege tuâ.* Oculos petit, non vt sciat generatim, sed vt particulatim consideret legem Dei. v. 27. *Viam iustificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.* Instrui vult, vt exercitio sese applicet. v. 34. *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* v. 36. *Inclina cor meum in testimonia tua.* v. 57. *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam*, non verò nudè ea intelligere. v. 73. *Da mihi intellectum, & discam mandata tua.* v. 80. *fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar*, eas nempè si sciuero, & tamen non exercuero. v. 97. *Quomodo dilexi legem tuam Domine! totâ die meditatio mea est*; certè totâ die legem Domini meditari non debebat Dauid, eam generatim vt intelligeret, sed vt speciatim eam actionibus suis applicaret. Et hanc quidem scientiam, practicam nimirum, sese impetrasse, illicò fatetur v. 104. *A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.* Rursùs v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*: & vt ostendat non merè speculatiuum

Exemplo Dauidis.

Psal. 118.

latiuum esse lumen, sed practicum, subdit: *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Iterum v. 109. *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.* Quid autem est animam semper habere in manibus, quàm semper sibi rebusque suis attendere, & Diuinæ legis non obliuisci ? v. 124. *Fac cum seruo tuo secundùm misericordiam tuam & iustificationes tuas doce me. Seruus tuus sum ego; da mihi intellectum vt sciam testimonia tua.* v. 133. *Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.* v. 135. *Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.* Atque hæc ex pluribus quæ illo Psalmo continentur delibasse sufficiat; ex quibus manifestum fit, non scientiam legis generalem tantopere Dauidem postulasse, neque de hâc adeò fuisse sollicitum, quantùm de particulari illâ, quâ ei in mentem veniret, quid à se in singularibus actionibus requireret ratio & Deus: quod quidem nihil aliud est, quàm actuale dictamen Conscientiæ, sine quo reliqua omnis scientia aut superflua est, aut etiam noxia. Huic igitur omni mentis conamine annitendum est; hæc flagitanda est ab illo Numine, cuius est humanas actiones, vt rectæ sint, inchoare per Conscientiæ dictantis imperium, & rectè imperata per liberum hominis arbitrium suamque gratiam, ad optatum exitum tandem perducere.

Responsio ad obiectionem Ægidij.

Et nunc quidem ad Ægidij obiectam rationem manifesta est responsio. Arguebat ille Conscientiam, intellectûs actum non esse, sed voluntatis; ne alioquin, inquit, fateri cogamur, *omnem habentem operandorum notitiam, habere de operando Conscientiam; & habentem maiorem notitiam, habere strictiorem de operando Conscientiam, quod falsum est; quoniam videmus sæpiùs habentes maiorem operandorum notitiam, minorem habere operandi Conscientiam.* Fateor id ita esse, & verò etiam deploro. Ast peruersitatis huius causa est; quòd præter scientiam illam generalem, particularem applicationem aut negligant, aut eidem etiam aduersentur. Et sic sine vllâ Conscientiâ, aut particulari de hâc aut illâ actione exhibendâ iudicio & dictamine singulariter applicato, maximam habere possunt de rebus agendis scientiam generatim. Quod quidem ex ijs quæ manu & arte operamur, intelligere est perfacile. Potest enim quis magnam Architecturæ habere scientiam; item scire parietes ad regulam & perpendiculum erigendos esse; ne si

20. Ægi. sup.

Multi sunt boni speculatiui, pessimi autem practici.

ne, si centrum grauitatis muri erecti, & punctum insistentiæ, vt vocant, & centrum vniuersi in eâdem non sint lineâ, machina corruat vniuersa. Hæc, inquam, & reliqua quæ amussis & æquilibrij naturam rectè demonstrent, potest quis è staticæ scientiâ callere & determinare; non tamen idcircò peritus erit latomus, neque parietem ex arte eriget. Cujus quidem alia ratio non est, quàm quòd æquilibrium & perpendiculum, cujus naturam speculatiuè callet, reipsâ & practicè ædificando muro applicare ex arte aut nesciat, aut certè negligat. Hoc autem latomi est, non rationes instrumentorum scire & demonstrare; sed funiculum extendere, lapides secundùm regulam aptè disponere, dispositos ad libellam & perpendiculum expendere, ne quid ab horizonte deuiet, ne quid exorbitet, aut citra lineam directionis inclinetur; denique vt omnia ad amussim exæquentur, eiqúe rectè respondeant: quodni faciat, tota machina abitura tandem est in ruinam. Hujus autem particularis scientiæ capaciores plerumque sunt homines idiotæ & indocti, quibus sufficit sola scientiæ ad singularia applicatio, quàm homines multâ peritiâ conspicui. His enim, quia eos sola delectat speculatio & rerum quæ fiunt aut fieri debent demonstratio, non lubet aut non vacat manum operi, nec libellam muro admouere; & sic qui magni, dum speculantur, sunt Matemathici, infeliciſſimi sunt, dum ædificant, imperitiſſimiqúe fabri. Sic sanè fit sæpissimè: magna sunt nonnumquam ingenia, magni Theologi, legum etiam peritissimi, quiqúe honesti rectiqúe rationes omnes calleant, easqúe demonstrent: theorici inquam maximi, qui de regulâ primâ actionum omnium diserte differant; practici tamen sunt pessimi, ideò quòd regulam illam, quam tam exactè norunt, rebus agendis non applicent. Exorbitant in ipsis omnia, & præter leges tument; extuberant fastu & superbiâ; nihil ad centrum quod Deus est tendit, & sic ruinis omnia inuoluuntur. An tamen scientiam non habent? habent sanè; sed Conscientiam, quæ vera operum amussis est, agendis non adhibent: neque ratione quidquam incipiunt, sed affectionibus perturbatis & agunt, & perpendunt omnia. Denique vt verbis ipsius Ægidij rem hanc concludam, *contingit*, inquit & sanè doctissimè, *quod aliqui multam notitiam operandorum habentes, nullam vel modicam habent in se Conscientiam de operando secundùm scientiam; & hoc vel quia de operando nihil deliberant, sed*

Ægid sup.

omnia præcipitanter agunt: vel si deliberant, liberè tamen contra Conscientiam eligunt, & omninò illam respuunt; aut debiliter eam in eligendo sequuntur, & contraria ijs quæ nouerunt agunt. Vnde omnes tales agunt contra scientiam, sine omni Conscientiâ remordente, aut modicâ. Acu rem tetigit Ægidius; illud tantùm miror, quòd ex his velit conficere, Conscientiam in liberâ voluntatis electione consistere; cùm ex ijs quæ ipse hîc affert manifestum sit, liberam voluntatem contra Conscientiam agere & eligere. Non igitur Conscientia voluntas est, sed hanc præcedit. Verùm de hâc quæstione dicta sufficiant; illudque maneat, judicium quo generatim decernitur Deum præ omnibus amandum, peccata fugienda, pro fide conseruandâ aut pro patriâ ponendam vitam, parentes honorandos esse, ad syndereſim spectare, cujus est generalia virtutum principia scire & dijudicare. At verò statuere, hoc peccatum modò fugiendum; hâc occasione ingruente, aut patriæ hoste aut Dei, vitam mortis periculo exponendam; modò honorandum esse parentem cùm sese hæc aut ista offert opportunitas: hoc quidem Conscientiæ proprium est judicium, imò ipsamet Conscientia.

Quid sit syndereſis, quid Conscientia.

Videamus porrò rei tam exiguæ, & in speciem tam contemptibilis, ingentem in humanas actiones dominatum; vt se per omnes diffundat, variaque in diuersis munia exerceat. Summatim tantùm persequar singula: ad rei tamen totius planiorem explanationem, diffusiùs deinde explicanda. Iuuerit ea hîc enumerare, vt agentem in nobis Conscientiam meliùs agnoscamus.

§. IV.

Exponuntur summatim varia Conscientiæ Officia. Ostenditurque Conscientiæ cum Regio supremo Senatu Symbolizatio.

Symbolizatio Conscientiæ cum Senatu supremo.

ET vt rem clariùs exponamus, repetendum hîc est memoriâ, quod ex D. Gregorio attulimus; Conscientiam esse *domesticum & verum tribunal*; quod quidem sacro Senatui, qui Regibus à latere est, ejusque majestatem præfert & repræsentat, comparauimus. 21. D. Greg. Nazianz. de plagâ grandinis.

parauimus. Sanè tam eximium & supremum jus habet Conscientiæ tribunal, vt ab eo nulla detur appellatio: illudque cum supremæ Majestatis Senatibus habet commune, quod sententiæ isthic latæ sola concedatur Restauratio (si placet, Reuisionem voca) quam tamen nefas sit vlli ligitimè instituere, nisi ipsimet Conscientiæ. Et sic prout ipsi soli dicendæ sententiæ competit supremum jus, ita & ipsius tantùm est acta sua quoties collibitum fuerit recognoscere, eaque aut rursus approbare, aut certè etiam nouâ sententiâ condemnare.

22. Jam verò in supremæ auctoritatis Senatu, tria præcipuè comperiuntur Majestatis munia aut exercitia. *Primò* enim penes illum est leges interpretari, extendere, restringere, & explicare, ac prout res fert aut necessitas, secundùm has mandata dare, quæ secuturis temporibus Rempublicam moderentur, populosque sibi concreditos in officio ritè contineant. *Secundò* ad hunc Senatum pertinet, sedulò disquirere, an ea, quæ rectè mandata sunt ex legum præscripto, etiam executioni fuerint seriò demandata. Rursus quid bene in Republicâ & strenuè peractum sit, quid verò per ignauiam aut morum peruersitatem sit delictum: & quidem benè acta apud Regem commendare; scelera verò examinare, discutere, & tandem latâ sententiâ supplicijs aut adjudicare, aut etiam afficere. *Tertiò* denique hujus Senatûs est officium, tumultus si qui fortè exsurgunt compescere; populum, si quando deliquerit, bonis artibus ad Principis obsequium inflectere & reducere: commissi sceleris à Rege dandam gratiam discutere, approbare, reo in manus dare, litterasque condonati criminis, sigillo Regio insignitas, porrigere; quibus deinceps munitus reus, patrati facinoris, recuperatæque Regis gratiæ securus viuat.

23. En modò vt hæc omnia in Conscientiæ domestico tribunali peragantur. Etenim primum ejus officium est, in rebus adhuc agendis, & quæ in manu est agere aut non agere, judicare agendæne sint an omittendæ hîc & nunc. Et quidem si decernat actionem aliquam exhibendam esse necessariò, aut ab eâ desistendum, quòd lex Dei & honesti ratio, aut alia qualiscumque necessitas ita ferre videatur; tunc sanè judicium istud dicitur *Conscientia obstringens seu obligans*. Tantaque est huic obediendi obligatio, vt sententiæ sic latæ refragari in re graui, aut quæ à Conscientiâ grauis

Primum officium Conscientiæ est res agendas dirigere.

Conscientia obligans quid sit.

grauis iudicatur, letale prorsus crimen sit (vti sequenti tractatu faciemus planum) licèt cæteroquin malum non esset, nec à legislatore summo Deo vlla de hac materiâ statuta foret lex. Conscientia autem hæc, nihil est aliud, quàm nudum iudicium practicum, hoc fieri debere aut omitti.

Conscientia consulens & permittens quid sit.

Sin verò res bona quidem iudicetur, aut saltem non mala, sed tamen non necessariò exhibenda; (eiusmodi sunt votorum nuncupatio, & cætera quæ secum afferunt Euangelica Consilia; aut etiam actiones eæ, quæ dicuntur & sunt indifferentes) tunc sanè nominatur *Conscientia consulens*, aut etiam *permittens*. Et quidem si iudicium sit eiusmodi, *Judico bonum aut etiam melius fore votum castitatis*, exempli gratiâ, *si concipiam*, Conscientia dicetur consulens. Sin verò iudicium hoc proferatur, *Judico actionem hanc*, ambulationem puta, *sine crimine posse confici*, permittentis Conscientiæ erit sententia. Non autem peccabit voluntas, alterutrius iudicii ductum si non sequitur; non enim se opponit Conscientiæ obliganti; cùm minimè judicet rem debere fieri, sed tantùm decernat posse fieri; igitur & posse omitti sine scelere. 24.

Conscientia premés quid sit.

Dijudicatâ tandem & statutâ actione aliquâ à Conscientiâ obligante, puta audiendum esse sacrum hâc die Dominicâ; donec ea executioni mandata sit, vrgetur anima & premitur dum rem confecerit. Et hæc quidem agitatio, *Conscientia vrgens aut premens est*; neque hi stimuli aliud sunt, quàm sæpiùs repetita Conscientiæ obligantis judicia, rem imperatam fieri debere aut omitti. Cùm ergo voluntas huic judicio sic obliganti sese accommodat, eique paret, tunc prorsùs secundùm Conscientiæ dictamen operata dicitur. Et quamuis fortasse Conscientia, quæ regula voluntatis proxima est, à summi legislatoris mente, quę actionum nostrarum remota est regula, deflexerit; minimè tamen aberrasse voluntas nostra dicenda est, aut peccasse, sed egisse actione prorsùs honestâ & laudabili; quamuis res acta nec laude digna sit nec honesta. Contrà verò vtcumque res sancta sit & Deo grata quæ agitur, si tamen Conscientiâ reclamante fit, id est contra judicium quo fieri non posse decernitur, ne quidquam bona est res, quæ domestico judicio condemnatur. Atque hæc primum Conscientiæ munus spectant: istud autem est, dirigere res agendas. 25.

Quid sit agere secundùm aut cõtra Conscientiam.

Secun-

26. Secundum Conſcientiæ officium eſt, de rebus actis, malænè fuerint an bonæ, ac proinde an laude dignæ an vituperio, legitimam ferre ſententiam. Iam verò prout in iudicum ſubſelliis, de nullo vmquam facinore quidquam decernitur, niſi de reipsâ conſtet penitus, factumque idoneis teſtibus fuerit comprobatum: ita in hoc tribunali nihil abſoluitur aut condemnatur, niſi factum ipſum prorſus teneatur. Numquam autem legitimè teneri cenſendum eſt, niſi Conſcientiæ teſtimonio comprobetur. Itaque ipſius eſt actorum teſtem agere, & dicitur *Conſcientia atteſtans.* Teſtimonium autem iſtud, aliud nihil eſt, niſi actus quo liquidò & ſine hæſitatione vllâ iudicas, ſcire te imprimis actionem quæ memoriæ occurrit aut proponitur, à te fuiſſe exhibitam aut omiſſam. Et ſic ille, vt vulgò loquimur, in Conſcientiâ peccatum aliquod habere dicitur, qui actu iudicat peccaſſe ſe, nec tamen ſceleri eſſe ſatisfactum. Certum autem vt ſit iudicium oportet: nam ſi vacillet mens, ſi hæſitet, & de re totâ dubitet, ſanè illegitimum, imò nullum eſt Conſcientiæ teſtimonium, ſed mera ſuſpicio. His autem obrepentibus quid agendum ſit, deinceps declarabimus. Id nunc, ſed curſim aſſero, ſuſpicionibus in hoc tribunali nihil agi, nec illas ad facti probationem vllo modo admitti.

Secundum officium Cõſcientiæ eſt res actas dijudicare.

Conſcientia atteſtans quid ſit.

27. Cùm itaque teſtimonio tam manifeſto euicta eſt res, vt illud neque negare reus poſſit, neque teſtem recuſare; tum verò ad proferendam ſententiam Conſcientia accingitur. Dicitur autem cauſam omnem decidere, dum ſine hæſitatione, ſpectatis rerum circumſtantiis iudicat factum aut benè aut malè. Quæ demum ſententia tanti momenti eſt & ponderis, vt in eam conceſſurus ſit tandem Deus ipſe, neque aliam exacturus ſit à te executionem fauſtam vel infauſtam, niſi illius ſententiæ, quam tuo iudicio de te protuleris. Et ſic quisque à ſuâ Conſcientiâ aut abſoluitur, aut condemnatur. Hanc ergo ſi pacaueris, pacata tibi & tuta ſunt omnia.

Conſcientia iudicium decretorium quid ſit.

28. Quòd ſi ergo iudicatum fuerit rem actam benè, tum verò *Conſcientia laudans* ſuas partes exequitur. Quæ quidem laus Conſcientiæ, nouus iudicii actus eſt, quo decernit mens & iudicat, rem aut factum eſſe eiuſmodi, quod ab quouis ratione prædito in cuius notitiam venerit, mereatur, imò debeat comprobari. Atque id mihi ſatis clarè & diſertè explicuiſſe videtur

Conſcientia laudans, aut Conſcientia bonum teſtimonium quid ſit.

D. Paulus cùm dixit: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium Conſcientiæ noſtræ.* Hoc enim fretus, nullius ſibi aſſenſum ſciebat meritò & ratione poſſe denegari. Sic ſanè qui partes ſuas, ſtrenuè pugnando, egregiè executus eſt miles, litteras à Centurione aut Chiliarchâ aufert, quibus facinus fortiter præſtitum legitimè atteſtetur. Et hanc meritò ſuam eſſe gloriam exiſtimat miles, iisque acquieſcit; vtpotè quibus fides rei actæ immeritò poſſit derogari. Non aliter Conſcientiæ teſtimonio gloriatur Paulus, eique penitus inhæret ſecurus ſui; vt qui jam certus ſit, eas ſeſe obtinuiſſe facinorum ſuorum commendationes, quæ publici juris factæ, apud omnes, & præcipuè apud Deum, fidem omnem ſint habituræ. Et hæc demum eſt animi quies, ſecuritas, gaudium, ſerenitas mentis, quam ſibi præſtat rerum ſuarum ſecura Conſcientia. 2. ad Cor. 1. v. 12.

Conſcientia arguens & mordens quid ſit.

Sin autem rem actam malè, facinusque peruersè patratum eſſe judicauerit, tum ſanè reprehendit mentem Conſcientia, factum arguit, expoſtulat de indignitate rei, exprobrat Deo impactam iniuriam: quæ quidem omnia, propriè *Conſcientiæ arrodentis* morſus ſunt & aculei; neque aliud ſunt, quàm diuerſa iudicia, de rei indignitate & malitiâ è diuerſis capitibus, aut rationibus petita, & contra voluntatem, criminis patrati ream, cum acrimoniâ & indignatione prolata. Meritò autem hæc exprobratio *Conſcientiæ vermis appellatur.* Vti enim vermis ex putrefacto exiguâ in parte pomo enaſcitur; illudque cùm ei increuerit, prorſus peruadit, exedit, colorem inficit, ſaporem vitiat, ſic vt tandem emarceſcat: ita profectò è vitiatâ per malam voluntatem actione, vermis Conſcientiæ ſeſe effert: hoc eſt, judicium acre, quo peruerſa voluntas perſtringitur, ſcelerisque commiſſi turpitudo exprobratur quaſi ob os. Iſtud autem judicium cùm repetatur ſæpiùs, & identidem ingeratur, nec vllas voluntati ferias det; tandem percellitur anima, pudorem quo conficitur nequit excutere, carnificem ſuum, quocumque ſeſe verterit, ſecum portat, & ſic tandem eodem judicio tam diuerſimodè diuexata, virtute omni & gaudio deſtituitur, ac demum tœdio ignauo contabeſcit. Sic demum intelligetur, quo pacto verum ſit quod Diuus ait Bernardus. *Nulla pœna major eſt malâ Conſcientiâ. Siquidem actionum noſtrarum ipſa eſt teſtis, ipſa judex, ipſa tortor, ipſa carcer: ipſa accuſat, ipſa iudicat, ipſa punit, ipſa damnat: vnicuique enim liber eſt ſua Conſcientia.* 29. D. Bern. l. de Conſc. p. 2.

Conſcientia vermis quid ſit.

Quid

30. Quid autem sit liber Conscientiæ, & quibus vsibus destinetur, paucis sic habe. Solet certè judicis sententia in codices & in acta referri, in Archiuo publico dein asseruanda, vt futuris deinde temporibus, si res sic ferat, Reipublicæ, quid factum sit, constet legitimè. Non aliâ sanè ratione, sententia in Conscientiæ tribunali lata, in librum summâ fide transcribitur, æternitati, nisi ritè deleatur, reseruanda. At quis ille liber inquies? Certè non est is alius, quàm propria vniuscuiusque memoria, cui sententiæ omnes à Conscientiâ, auctoritate legitimâ pronuntiatæ, optimâ fide inseruntur, suo tempore vniuerso orbi propalandæ. Sic ergo liber ille, sententiarum est digestio, & coaceruatio. Conscientiæ autem liber dicitur ideò, quòd acta Conscientiæ contineat; & quidem eiusmodi, vt numquam intellectui repræsentari possint aut in memoriam venire, quin nouo rursus Conscientiæ judicio comprobentur. Hic liber, hic est, qui tantos in Dauide concitabat motus; hic est qui & somnum ei interpellabat, & omnem interturbabat vitæ dulcedinem, semper ei aduersarius, semper hostis. *Peccatum*, inquit, *contra me est semper*. Et, *non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*; videbat enimuerò non peccata tantùm, sed & iis affixam, quam in se tulerat, mortis sententiam. Frustrà conquereris infelix peccator, quamdiu in codices relata perstat sententia. Reuocanda est penitus & delenda, in manu ruâ id cùm est; alioquin condemnationis æternæ & materiam tecum fers, & quod peius est, sententiam. Huius autem indelebilis est memoria, nisi commissi facinoris gratia obtineatur. Hanc autem vt consequatur,

Liber Conscientiæ quid sit.

Ps. 50. v. 5. Ps. 37. v. 4.

31. Tertium id quidem est Conscientiæ officium; turbatæ videlicet per peccatum menti benè consulere, malè acta tandem corrigere quantùm quidem in se est; ad sinceram commissi criminis pœnitentiam, voluntatem adducere, & sic demum malè actorum gratiam impetrare; eamque à Deo concessam, suo sigillo, vt penitus certa sit, confirmare. Voluntatem itaque sceleris ream, & suo jam iudicio condemnatam, ad pœnitudinem perpetrati facinoris adducit *Conscientia exstimulans*; quæ rursus sunt varii actus iudicii, quibus clarè decernitur, animæ suæ statum miserum prorsùs esse ac deplorandum; *iudicandum à Domino populum suum, & horrendum esse incidere in*

Tertium officium Conscientiæ est, malè acta corrigere, & pacem turbatæ menti procurare.

Conscientia exstimulans ad pœnitentiam quid sit.

Ad Hebr. 10. v. 30. 31.

manus Dei viuentis; actum esse de salute æternâ, nisi reconciliationis cum offenso Numine ratio ineatur : cæterùm, omni momento paratum esse, quantumuis offensum, Deum, gratiam commissi sceleris concedere, modò voluntas seriò, & non tantùm perfunctoriè resipiscat; illicò ad misericordiæ fontem accurrendum esse, ne morâ nimiâ & contemptu exaresçat. Denique quæcumque ad hoc quod commissum est scelus detestandum, faciunt incitamenta, actus sunt extimulantis animam, & ad pœnitudinem reuocantis Conscientiæ.

Conscientiæ securitas quid sit.

32. Cui cùm tandem paret voluntas, scelusque quod Conscientia confitetur, ex animo cùm detestatur; illicò gratiam malè actorum largitur mitis Deus; cui demum subscribit Conscientia, certa pœnitudinis sinceræ & seriæ, quantùm quidem humana patitur fragilitas. Et hæc est *Conscientiæ pax & securitas*, quæ nihil aliud est, quàm judicium firmum, & Deum fidelem esse, bonâque fide cum mortalibus agere; & à voluntate pœnitente omnia etiam non in speciem, sed fide optimâ esse peracta. Hoc judicio confirmata, erigit sese voluntas; cessat perturbatio, Conscientiæ suæ munimine felix viuit, & sibi facit inexplicabiles delicias.

33. Hi ferè actus sunt in quibus humana Conscientia versatur. Qui quamuis varij sint & diuersi, omnes tamen, vti singulos consideranti patet, in hoc conueniunt, quòd singuli sint iudicium practicum de agendis aut omittendis particularibus actionibus prolatum. Singula fusiùs sunt deinceps explananda; iuuat tamen simul vni quasi aspectui opposuisse omnia, vt ex mutuo conspectu & comparatione, melius singula intelligantur. Illud tantùm restat modò exponendum, quâ ratione epitheta quædam, quæ sacer textus, & Sancti Patres Conscientiæ affigunt (quæ tertia erat opposita difficultas) optimè cum hâc Conscientiæ definitione conueniant: quod certè ex iam dictis erit haud admodùm difficile.

§. V.

§. V.

Ostenditur varia epitheta, quæ Conscientiæ dant sacræ paginæ & Sancti Patres, præclarè cum datâ Conscientiæ definitione conuenire.

34. AC primò quòd passim Bona dicatur aut Mala hominis frugi aut peruersi Conscientia, non hoc idcircò dicitur quòd moralis vlla aut bonitas aut malitia ei inhæreat, ob quam aut laude digna sit aut vituperio: constat enim isthæc non nisi voluntati conuenire, quæ sola aut bona est aut peruersa: Conscientiam verò cum voluntate nihil commune habere jam docuimus. Non incongruè tamen, quamuis non propriè, vtrumque sortitur nomen; eò quòd ipsa sit judicium quod de actionis præteritæ bonitate fertur, aut malitiâ. Sic malam aut bonam à judice sententiam retulisse dicetur reus, prout criminis absoluitur aut condemnatur: & quidem si absoluitur, bonam, hoc est fauentem consecutus sententiam censebitur; malam verò, hoc est aduersam sibi, si condemnetur: nulla tamen, ex parte judicis, sententiæ malitia aspergitur, cùm sit justissima. Non aliter sanè bona aut mala dicitur Conscientia. Iudicium est, quod de suâ actione fert intellectus, & quidem semper sincerum & certum, alioquin non est Conscientia. Iudicio autem proprio qui condemnatur, sententiam contra se malam tulit, scelerisque reus est: bonam verò, qui suo iudicio absoluitur. Vtrumque quia præstat Conscientia, idcircò aut bona dicitur aut mala; & sic iudicium de actionis bonitate, Conscientia bona est; mala verò, iudicium de eiusdem malitiâ & peruersitate. *Vnde dicatur Conscientia bona aut mala.*

35. Rursus Conscientia inquinata appellatur, sordida & immunda; alia verò casta & munda; non quòd ipsa immunda sit aut spurcitie aliquâ inquinata; quid enim sordium adhærere potest rei, quæ naturâ suâ merus actus est iudicii? Idcircò inquit D. Thomas. *Dicendum quòd inquinatio dicitur esse in Conscientiâ, non sicut in subiecto, sed sicut cognitum in cognitione: inquantùm scilicet aliquis scit se esse inquinatum*: Sic sanè turpis aspectus appellatur, si fœdum quidquam, turpe visu, aut obscœnum & indecorum oculo *Vnde munda aut immunda.*

D. T. 1. p. q. 79. a. 13. ad. 2.

oculo obiicitur ; & nulla tamen ſpurcities adhæret oculo, qui meram rei exhibet repræſentationem : tota verò in repræſentatâ re, eſt immunditia. Hoc planè modo Conſcientia immunda dicitur, quòd actionis ſpurcitiem exhibeat, quæ tamen tota in actione eſt, cuius fœditas Conſcientiæ obiicitur iudicanda.

Vnde ſceleribus plena.

Non aliter etiam, plena ſceleribus appellatur, niſi quòd ſcelera à voluntate commiſſa, memoriæ imprimenda & fideli curâ quaſi in Archiuo cuſtodienda iudicet; atque ne quid, niſi ſatisfactum fuerit, eradatur, diligenter obſeruet. Hâc nimirum etiam de causâ, codices & aduerſaria, quibus mercatores, accepti expenſique rationes ſummâ curâ inſcribunt, plena debitis paſſim appellantur, ſi mercator in ære alieno eſt : & tamen nihil debent codices ; debitorum immunes ſunt. Hoc ſolùm nomine dicuntur eſſe in debitis, quòd ea fideli manu inſcripta habeant, eorumque memoriam, cùm ſic res fert, clarè & ſine fuco repræſentent. Conſeruat itaque peccatorum memoriam Conſcientia ; ipſa vero ſcelerata non eſt. Fida eſt quinimò, rerumque ſibi à Deo commiſſarum ſatagit. Neque earum memoriam diffluere facilè permittet, vtpotè quos ſuo tempore, cùm debitorum omnium rationes, & quidem exactiſſimæ reddendæ ſunt, repræſentatura eſt & iudici ſupremo, atque adeò orbi vniuerſo ; confirmationemque, imò & executionem poſtulabit illius ſententiæ, quam iam olim de ſe tulit. 36.

Conſcientia cauteriata & cæca.

Denique quorumdam *Cauteriatam* Conſcientiam vocat Paulus, nimirum *in hypocriſi loquentium*, quos *cauteriatam* aſſerit *habere Conſcientiam*. Hæc autem, intellectus eſt, qui, vt rectè Franciſcus Turrianus, *ſenſum peccati amiſit* inſtar membri cauterio inuſti : *locum autem cauterio inuſtum*, vti benè commentatur Theodoretus, *priorem ſenſum amittere*, ſatis conſtat. Itaque quibus ob commiſſa ſcelera induratamque peruicaciâ diuturnâ voluntatem, Diuini luminis aut gratiæ fauor denegatur, & ſic in malum omne dantur præcipites, ſecuri admodùm quid Deus ferat aut recta ratio, ii ſanè cauteriatam, hoc eſt, ſine ſenſu habent Conſcientiam. Quos alio loco viuis coloribus exprimit Apoſtolus : ſunt, inquit : *Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vitâ per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis eorum : qui deſperantes, ſeipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Deplorandum verò hominem, cui occœcata eſt & obriguit 37.

1. ad Tim. 4. v. 2.

Turrian. in Canon. 44. Apoſt. Theod. in hæc Verba Apoſt.

Ad Eph. 4. v. 18.

obriguit Conſcientia. Nulla ſanè, licèt nunc cœca ſit, hâc erit oculatior, cùm coram æterno iudice accuſatoris crudeliſſimi partes aget. Verùm hæc deinceps dicentur explicatiùs. Sufficit modò expoſuiſſe, Conſcientia generatim quid ſit. Operæ prætium iam erit ſingula perſequi, illudque imprimis exponere, quod voluntatis ſit officium, & quo pacto Conſcientiæ debeat partes ſequi.



PRIMVM

PRIMVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Dirigere actiones faciendas aut fugiendas.

TRACTATVS III.

DE CONSCIENTIA CERTA, ETIAMSI SIT ERRONEA.

Omne quod ex fide non est, peccatum est. *ad Rom.*14. *v.*23.

Conscientiæ certæ actionem aliquam imperanti, semper parendum esse: permittentem verò licitum esse sequi, siue ex vero judicio Conscientia egerit, siue ex errore inculpato.

PROOEMIVM.

VT omnia, quæ tam varia sunt, Conscientiæ officia exponantur accuratiùs, atque ordine minimè perturbato; istud repetendum est, Conscientiæ munus esse, primò quidem de actione quæ præ manibus est ferre iudicium, licitane sit an illicita: deinde verò, cùm peracta fuerit, statuere an quod factum est, factum sit benè an verò perperam. Primum explicare nunc aggredior, & verò etiam præcipuum, atque adeo difficillimum Conscientiæ officium. Facile est enim de re actâ benè decernere, si quid agendum fuerit, liquidò constet. Itaque vt tota deinceps ordine suo fluat oratio, istud ostendendum est primò, quantum

quantum à Deo Conſcientiæ in voluntate dirigendâ conceſſum ſit jus & imperium. Quod quidem tantum eſſe demonſtrabitur, vt ei certò rem aliquam imperanti, ſemper ſit obſequendum: ſin verò permittat vt licitam, quamuis reipsâ ſit illicita, (ſi modò bonâ fide agitur) ei etiam credatur inculpatè: & vt erret Conſcientia, voluntatem tamen, ſine crimine, malè ducentem ſequi. Verùm cùm hæc omnia à judicio Conſcientiæ certo & indubitato, bonâque judicantis fide dependeant, iſtud ante omnia exponendum eſt, quod demum ſit judicium certum & indubitatum, & quæ bona cenſenda ſit fides; ne, dum benè rem volumus exponere, malè fortaſſis intelligamur.

§. I.

Variæ diuiſiones Conſcientiæ. Quid ſit Conſcientia certa, quid opinans aut probabilis, quid dubia, quid ſcrupuloſa.

1. ILlud itaque conſtitutum cùm jam ſit, Conſcientiam eſſe judicium actu & reipsâ decernens, quid hîc & nunc agendum ſit aut fugiendum; & res peracta ſi ſit, an actum ratione bonâ & benè, an verò peruersè: iſtud, vt tota Conſcientiæ materia rectè percipiatur, ſedulò attendendum eſt, judicium quod mens fert, varium poſſe eſſe & multiplex; vnde etiam varia Conſcientiæ obtingunt nomina, prout varia eſt judicii natura aut conditio. Poteſt enim judicium illud eſſe certum, ratum & firmum: illudque eſt ejuſmodi, vt mens ſibi conſtet, judicii ſui ſinceritati prorſus adhæreat, neque de ſententiæ latæ bonitate vllo modo dubitet; ſic vt ne minimâ quidem aut fallaciæ aut falſitatis ſuſpicione tangatur, ſui prorſus ſecura & ſententiæ. Atque hæc dicitur *Conſcientia certa*. Sic qui pridie Paſchatis, prouectâ nocte, horæ duodecimæ ſignum audiit, ſingulosque campanæ ictus ſedulò numerauit; atque exinde ſic ſecum ſtatuit, & horam Paſchatis inchoatam, & ſe jeiunii legibus abſolutum, neque quidquam de malè numeratis horis dubitat: is & judicium planè certum, & certam proinde Conſcientiam habere cenſendus eſt. Neque verò hîc quidquam refert, malè fortaſſe, vti fit ſæpiſſimè, horarum computum fuiſſe initum, & non niſi vndecimam à campanâ

Ex jurum varietate, oritur Conſcientiarum differentia.

Quid ſit Conſcientia certa.

fuisse designatam, vbi præproperus hic judex sibi duodecimam efformauit. Nam demus sanè, malè numerasse: si tamen nullum ipsi de errore à se commisso incidat aut dubium aut suspicio; sanè certum habet (licèt falsum sit) de horâ duodecimâ jam transactâ judicium; ac proinde & certam Conscientiam, jeiunii legibus se non teneri. Certitudo enim hæc de quâ agimus, non à veritate existentis aut non existentis rei petenda est; sed ab intellectûs, iudicio suo acquiescentis fiduciâ, minimeque dubitantis quin ratione bonâ iudicauerit esse duodecimam; ratio autem cui innititur, est, quòd fide bonâ sedulòque numerauerit.

Conscientia probabilis quid sit.

2. Potest deinde contingere, vt iudicium quod de bonitate aut malitiâ actionis aut exercendæ aut iam exhibitæ fertur, non planè certum sit, neque illi penitus mens acquiescat. Nam licèt sese quædam, eaque satis prægnantes rationes offerant, quibus actionis bonitas defendatur, tamen etiam aliæ ex aduerso sunt & quidem non futiles, quæ peruersam esse suadent: quas cùm non detur planè diluere, non ita adhæret suæ sententiæ intellectus, vt de eiusdem falsitate non formidet, aut saltem formidare vt non possit, ad eas mentem si aduerterit. Certitudinem itaque non habet verumne sit an falsum, quòd tamen, non leuis momenti & ponderis rationibus inductus, verum esse aut falsum opinatur. Atque hæc opinio, non vanis & futilibus, sed iis quæ viro moderato & frugi, rerumque experto probantur, nixa fundamentis, quamuis non omninò certis & euidentibus, *Conscientia probabilis* passim appellatur. Non quòd hæc opinio Conscientia verè sit, sed quòd ex eâ, Conscientia seu rei agendæ iudicium practicum legitimè efformetur, vt suo loco euidenter demonstrabimus.

Conscientia dubia quid sit.

3. Quòd si verò incertitudo aut hæsitantia iudicii ferendi, exinde proueniat, quòd nulla prorsus in vtramuis partem inclinandi sese offert ratio; aut tam exilis, vt in medio posita, nihil quidquam mens possit decernere; tunc sanè dubia dicenda est mens & Conscientia. Sic nempè nocte concubiâ quis subitò expergiscitur; nescit prorsus quousque deuoluta sit nox; atque adeò, si Sacerdos sit, & sequenti die statuerit sacris operari, secum ipse nequit statuere, an sitim quâ exuritur, ipsi liceat potu extinguere an non liceat; dubius hîc prorsus est, hæret animo; neque sanum proferre iudicium in manu eius est, quòd nullius rationis pondere,

in

in hanc potiùs quàm in aduersam partem queat inclinari. Mens sic constituta, *Conscientia dubia* dicitur. Et quamuis verè & propriè Conscientia non sit, cùm Conscientia sit iudicium, hîc verò iudicii omnis suspensio intercedat; tamen etiam Conscientia appellatur, sed impropriè.

4. Denique contingit sæpenumerò, vt quis judicium & firmum & verum, quinimò etiam euidens habeat de actionis suæ aut peractæ, aut peragendæ malitiâ aut bonitate; & tamen aculeis grauissimis vrgeatur, rem ita se non habere prout judicat; imò prout certò scit se habere. Neque tamen vllius momenti rationes sunt quarum obiectu terreatur, sed mera phantasmata, aut rationes adeo falsæ, vt ridiculæ sint si detegantur. Is sanè *Conscientiâ scrupulosâ* agi & vrgeri dicitur. Quæ quamuis rursus Conscientia nullo modo sit, cùm ne speciem quidem vllam habeat judicii aut sententiæ, (vnde à Castro Palao meritò dicitur vmbra Conscientiæ,) tamen Conscientia dicitur, quia veræ Conscientiæ veris judiciis innascitur tanquam lolium depasturum veras segetes, & ad judicium ferendum paulatim hominem disponit. Interim Conscientiæ felicem cursum retardat; & veluti immisso stipite sufflaminantur curruum rotæ, ita interjectis hisce phantasmatis, peccatorumque apprehensorum falsis imaginibus, animæ vires implicantur, ac denique delassantur. Demum vocantur scrupuli, & non immeritò: nam vti hi, exigua scruta sunt & lapilli, qui calceo sese inferentes, ambulantis pedem non leuiter afficiunt, neque incessum ita sinunt liberum, quin præ doloris acumine viator claudicet, & in latus affectum corpus componat; ita profectò, vbi phantasmata illa, velut scrupuli, menti insederint, præpeditur solita expeditaque vis animi, quâ Regius Propheta Dauid *viam mandatorum Dei currebat*, cùm dilatatum habebat cor: constringitur autem panico timore percussus animus, hæret ad singula; & quidem in deteriorem partem inflectit omnia quæ perturbatæ scrupulis menti occurrunt, & ipsas mali fanatici suspiciones, grauissima esse scelera stultè existimat.

Conscientia scrupulosa quid sit.

Castro-Palao to. 1. Tract. 1. disp. 1. par. 1. n 2.

Psal. 118. v. 32.

5. Et hæ quidem celebriores sunt Conscientiæ differentiæ. Istud porrò nunc explicandum est, quæ voluntatis partes sint: & tam varia cùm sint Conscientiæ judicia, quo pacto sese voluntas ad singula debeat inflectere. Sex id deinceps tractatibus

expediemus. Nunc verò id agendum est, quâ ratione Conscientiæ, certò & sine hæsitatione vllâ aut formidine diiudicanti, sit obsequendum.

§. II.

Conscientiæ certæ, ad actionis alicuius præstationem obliganti, etiamsi erret, semper parendum esse ostenditur.

ATque id præmittendum est, Conscientiam versari posse aut circa rem agendam, aut circa fugiendam & omittendam. Et quidem dum de exhibendâ actione agitur, iudicat sese ad id obstringi, actionemque à Deo esse præceptam: cùm verò de fugiendâ & omittendâ; iudicat eam esse aut prohibitam, aut verò permissam & licitam. Et quamuis vtriusque eadem sit ratio, claritatis tamen causâ primum hoc & sequenti paragrapho, tertiô autem secundum expediemus. 6.

Parendum est Conscientiæ obliganti etiam per errorem.

Primò igitur istud assero, quòd si rem aliquam (quàm quidem agere vel non agere, in tuo positum sit arbitrio) Conscientia certò iudicat aut exhibendam esse aut omittendam, voluntati onus parendi incumbere, à quo sese sine scelere non expedit, nisi Conscientiæ sic obliganti promptè obsequatur. Quod quidem adeò verum est, vt quamuis nulla esset Dei lex, aut præceptum vllum, quo ad ieiunium obseruandum, exempli gratiâ hodierno die obstringeremur; istud tamen si Conscientia per errorem diiudicet, ieiunii sacras esse ferias; nihilominùs & illæ obseruandæ & à carnium esu abstinendum prorsus sit, non secùs quàm si præceptum Dei aut Ecclesiæ tunc obstringeret. Obligat enim Conscientia, & legem denuntiat. Contrà verò, si lex Dei aut quæuis alia verè rem imperet, Conscientia autem per errorem, vt vocant, inuincibilem, nullam legem de hâc aut illâ actione exhibendâ latam esse; aut si lata sit, hâc tamen sese hoc rerum statu non comprehendi certò iudicet; sine vllo crimine, Conscientiæ suæ obsequitur, & à legis onere, domestici tribunalis iudicio, absoluitur. Breuiter itaque dico, cùm de rei alicuius faciendæ obligatione disceptatur, semper Conscientiæ dictamini esse inhærendum, illudque mandandum executioni, siue 7.

iudicium

iudicium verum tulerit, siue falsum & malum, modò non malâ fide.

8. Et quidem si verè præceptum subsit, nemo ibit inficias, Conscientiæ tunc omninò parendum esse. Sic est inquies; ast tum non Conscientiæ sed legislatori obeditur; neque tunc temporis à Conscientiâ, sed à lege latâ oritur parendi obligatio. Fateor ita est: si obligationem remotam spectes, à legislatore nascitur obligandi vis; sed si proximam, legis nempè applicationem, sanè à Conscientiâ rectè dicitur exoriri. Iuuat rem hanc ipsis D. Thomæ verbis expedire; è quibus fiet manifestum quâ ratione verum sit, ne Dei quidem legem, nisi per Conscientiam obligare. Dilucidè rem explanat comparatione è vinculis, corporumque obligatione, eleganter petitâ. *Ita*, inquit, *se habet imperium alicuius gubernantis, ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis, numquam induxit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem, in quâ agit. Vnde nec ex imperio alicuius Regis, vel Domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur: attingit autem ipsum per scientiam. Vnde nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientiâ illius præcepti. Et ideò ille qui non est capax notitiæ, præcepto non ligatur. Nec aliquis ignorans præceptum Dei, ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire præceptum. Si autem non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex præcepto ligatur. Sicut in corporalibus, agens corporale non agit nisi per contactum; ita & in spiritualibus, præceptum non ligat nisi per scientiam. Et ideò sicut est eadem vis quâ tactus agit, & quâ virtus agentis agit, cùm tactus non agat nisi virtute agentis; & virtus agentis, non nisi mediante tactu: ita eadem virtus est quâ præceptum ligat, & quâ Conscientia ligat; cùm præceptum non liget nisi per virtutem Scientiæ, nec Scientia nisi per virtutem præcepti. Vnde cùm Conscientia nihil aliud sit, quàm applicatio notitiæ ad actum, constat quod Conscientia ligare dicitur, vi præcepti Diuini. Ergo dicendum quòd homo non facit sibi legem; sed per actum suæ cognitionis quâ legem ab alio factam cognoscit, ligatur ad legem implendam.* Ita Sanctus hîc Doctor. Nihil sanè poterat dici illustrius, ad declarandam totam rem, & præcipuè vnde tanta sit, quæ à Conscientiâ voluntati imponitur, parendi necessitas.

Obligandi vis quam habet Conscientia, ab auctoritate & lege Dei est.

Omnem à Dei lege existere obligandi vim.

D.T.q.17. de ver.a.3.

Eandem vim habet Conscientia dum in proponendâ lege Dei errat bonâ fide.

At quid si præceptum nullum sit inquies, an etiam erranti Conscientiæ præstanda est obedientia? & quo jure? Mox id videbimus. Præstandam verò prorsus esse, & erranti, quamdiu latet error, obsequendum esse, est Catholicorum omnium cum D. Thomâ, qui mentem suam variis exponit locis, constans stabilisque sententia. Adeò vt oppositam D. Thomas vocet *irrationabilem*; Adrianus verò & Corduba hæreticam, vt quæ D. Paulo, cuius sententiam mox referemus, manifestè aduersetur; neque ab hac censurâ abhorret Vasquez, vt qui eam dicit *hæreticam ab omnibus jure censeri.* Quidquid de hæresis notâ sit, satis constat eam sine temeritate non posse defendi; neque etiam ab vllo Catholico scio jam propugnari. Ostendendum est igitur, vt clarè loquar (neque enim hæc iis solùm scribo qui Theologicis quæstionibus assueti, generatim tantùm assertiones sibi proponi postulant) ostendendũ inquam, quòd qui peccatum esse judicat id, quod verè peccatum non est, ab eo si non abstinet, non minùs se scelere malè apprehenso polluere, Deumque offendere, quàm si re ipsâ Diuinis legibus esset prohibitum. Sic si ceræ particulam è templo ablatam profanis vsibus applicare, furtum sacrilegum esse censueris; aut diem veneris cum Iouis die designatione tuâ commutaris, ac propterea eo die abstinendum carnibus judicaris; (quæ non nisi errantis Conscientiæ sunt judicia) iis tamen ita voluntas constringitur, acsi veram de iis actionibus sententiam tulisset. Et qui mendacium nulli noxium, lethale crimen esse statuit, profectò quoties mentitur, lethali sese crimini reddit obnoxium, quamdiu errore suo mens implicatur. 9. D.T.q 17. de verit. a.4.1.2. q. 19.a.5. & 6. Vasq in 1. 2. disp.59. c.2.

Probatur ex S.Paulo.

Et verò ipsissimum id esse D. Pauli dogma, ob quod contrariam sententiam hæresis arguebat Adrianus, non renitente Vasquezio, hæc ipsius verba satis indicant. *Scio & confido in Domino Jesu quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse; ipsi commune est.* Et aliquibus interjectis. *Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Atque vt hujus oraculi sensus & vis melius percipiatur, istud est reuocandum in memoriam, plurima ciborum genera Israëliticæ genti Diuinâ lege fuisse prohibita, puta carnes porcinas, farcimina sanguine animalium farta, aliaque huius generis; quæ quia gentili- 10. Ad Rom. 14.v.14. v.22.

gentilibus erant promiscuè vsitata, *Communia* dicebantur à Iudæis, aut etiam *immunda*: sicque, *Commune* aut *immundum*, non aliud Iudæis significabat, quàm vetitum. Iam verò Christianos inter, qui ex Iudaismo Christi sacra susceperant, plurimi existimabant, sese etiam Baptismo jam suscepto, nihilominùs à gentilium cibis prohiberi: aut quod judicarent antiquatæ legis ceremoniis adhuc implicari se; aut sanè cibos illos esse vetitos, quòd naturâ suâ verè *immundi* essent; & spurcitiem quandam naturæ contrariam continerent. Vt vt sit, manifesto tenebantur errore, & nihilominùs ita sententiæ mordicus adhærebant, vt Christianos alios Iudæos, sine discrimine vllo cibis gentilium vescentes contemnerent, sceleris arguerent, & ob inolitam ab ipsâ infantiâ ab eiusmodi cibis alienationem animi, etiam iis sine crimine nunc vtentes, non sine magno Christianæ charitatis detrimento & labe, publicè quoque auersarentur. Huic incommodo occurrit Apostolus, &, inquit, *scio & confido*, id est fidenter assero, nihil commune, id est nullum cibum Christianis prohibitum esse *per ipsum*, id est per Christi legem. Ei verò *qui existimat quid commune esse*, aut prohibitum, *ipsi commune id est*, hoc est, prohibitum. Tum verò eos qui erranti Conscientiæ tantopere inhærebant, aggrediens, *Tu fidem habes*, inquit? id est, Tu tuam habes Conscientiam cui obsequeris? Ita sit. Sed *penes temetipsum habe coram Deo*; hoc est, secundùm tuæ Conscientiæ dictamen actiones tuas moderare, sed ne dirige, aut cura, aut judica alienas; felicior enim est, qui seipsum non condemnat, neque scrupulos dum comedit mouet, neque vllum discrimen cibis interjicit. *Qui autem discernit*, hoc est qui differentiam facit cibos inter, quasi vetiti quidam essent, quidam autem permissi, & nihilominùs promiscuè iis vescitur, *damnatus est, quia non ex fide*, id est non ex Conscientiæ dictamine cibis vtitur. Atque hæc omnia demum concludit peruulgatissimâ illâ sententiâ, *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*: id est, omne quod non est ex Conscientiâ, aut vt passim dicimus, quod non fit bonâ fide, peccatum est. Per fidem autem, Conscientiam intelligi, mens est passim Sanctorum Patrum. Certè de fide Christianâ quâ Christo creditur hîc non agi, ex ipso sententiæ contextu patet: neque sanè vltima primis satis aptè cohærerent. Vides itaque hîc, Christianos, per merum errorem, malè de ciborum delectu judicantes;

Expositio D. Pauli.

cantes; & tamen etiam non prohibitis vescentes, *condemnatos* dici ab Apostolo, hoc est lethali crimini obnoxios; non quòd Diuinæ legis imperium infregissent, sed quòd Conscientiæ dictamini, quantumcumque errantis non essent obsecuti. Planum itaque jam est, & D. Pauli auctoritate obsignatum, Conscientiam, etiam errantem, jus dicere, cui obluctari temerarium non tantùm sit, sed & nefarium.

II.

Inquiritur vnde Conscientiæ erantis tanta sit auctoritas.

Verùm inquies, vnde tanta obuenit Conscientiæ auctoritas, vt contra se, etiam dum errat agentē, lethalis criminis statuat reum, æternisque suppliciis obnoxium? an tanti momenti res est sola Conscientiæ lex infracta? Sola inquam; nam vti supponimus, errat Conscientia, & præceptum Dei fingit, quod nusquam est. Hîc ratio petitur, & jus obligantis per errorem Conscientiæ. Respondet P. Scildere, *quòd forma per se formaliter obligans voluntatem, semper sequenda est: cùm impossibile sit, vt forma obligatoria sit in subiecto, & non obliget. Atqui forma formaliter obligans, non est aliud quam Conscientia ..... ergo illa semper sequenda est.* Ita ille. Alii passim dicunt, *rationem à priori esse, quia rationis dictamen seu Conscientia, est immediata humanorum actuum regula: ideoque voluntas debet suæ conformari regulæ; & discordans à regulâ suâ deflectit, atque adeò peccabit.* Verùm vt hæc dicantur non omninò incongruè; tamen non prorsus satisfaciunt. Fortassis enim negare quis posset, Conscientiam errantem esse *formam formaliter obligantem*; hoc enim probandum erat, cùm in eo stet omnis controuersia. Nam si vt paulò antè ex D. Thomâ diximus *Conscientia tantùm liget vi præcepti Diuini*, à quo virtutem seu vim obligandi omnem accipit, vt idem Doctor egregiè exponit, quo pacto formaliter obligabit, vbi præceptum Dei nullum est? Rursus si vt idem Doctor, *dicendum quòd homo non facit sibi legem, sed per actum cognitionis quâ legem ab alio factam cognoscit, ligatur ad legem implendam*, quo jure obstringi dicetur voluntas à Conscientiâ, quæ legem à Deo factam non cognoscit, sed ipsamet legem sibi per errorem facit? Deinde, vtcumque adhuc aliqua sit voluntatis ad obsequendum Conscientiæ erranti obligatio, an illa ex naturâ suâ tanta est, vt debeat æternis ignibus castigari? Certè si aliqua Conscientiæ lex est, humana tantummodò videtur, nec tantis suppliciis, si infringatur, expianda. Neque refert quòd judicet actionem suam à Deo prohibitam, atque adeò non minori dignam

Scildere Tract. 1. de Consc. n. 8.

Proponuntur quædam difficultates, contra allegatas rationes.

suppli-

supplicio : falsò enim primum istud judicat ; neque enim prohibetur nisi ab errante Conscientiâ; quæ si sibi lex est , certè humana est ; & vt præclarè P. Scildere. *Legislatores humani non solent imponere pœnas , nisi transgressoribus veræ legis.* Vnde inquit & rectè. *Is qui falsò putat alicui actui annexam esse excommunicationem , & illum ponit , non incurrit excommunicationem.* Hæc cùm ita sint, cur supplicii æterni erit reus,qui actum posuit quem pœnis illis esse obnoxium falsò judicabat ? Alterum verò quod afferebatur, nimirum Conscientiæ sine scelere non obtemperari , eò quòd ipsa sit immediata humanorum actuum regula ; fateor ita esse , cùm superior Dei lex actioni faciendæ verè applicatur. At, quam demum Dei legem Conscientia errans voluntati applicat, vbi nullum , vt supponitur , præceptum Dei de hâc actione ponendâ, puta de seruando jeiunio diè jouis, sit, & vt D. Thomas ait : *Homo non faciat sibi legem , sed per actum cognitionis quâ legem ab alio factam cognoscit , ligetur ad legem implendam* ? Atque hæc quidem non idcircò attuli, quòd à grauissimorum Theologorum judicio velim discedere , sed vt difficultatibus propositis magis dilucidetur tota res. Hoc vt agam, aliâ lubet viâ insistere.

Scildere tract. 1. de Consc. n. 15. & 18.

12. Fateor itaque, à Conscientiâ, etiam errante, obligationem existere,eamque esse proximam & immediatam humanorum actuum regulam, cui penitus obsequendum sit : At verò obligandi jus , non à Conscientiæ naturâ aut dignitate ; sed à legislatoris Dei auctoritate penitus prouenire assero , cuius lex & imperium à Conscientiâ solâ , voluntati humanæ legitimè denuntiatur. Itaque si ab alieno abstinendas esse manus judicat Conscientia, illi judicio prorsùs acquiescere tenetur voluntas : eique dum paret , Deo paret , cuius veram legitimamque legem voluntati exhibuit Conscientia. Iam verò, cùm res aliqua quasi à Deo præcepta,quæ tamen minimè præcepta est, à Conscientiâ proponitur, istud cùm discernere voluntas minimè possit , sanè si rem sic propositam non exequatur , eique sese exhibeat refractariam ; satis reipsâ jam demonstrat , sese imperia Dei flocci pendere, & legislatoris contemnere auctoritatem , etiamsi verum esset , quod à Conscientiâ falsò proponitur , Dei imperium. Non enim alio modo exhiberetur voluntati si verum esset præceptum, quàm quô nunc id quod falsum est, per errorem exhibetur. Hinc optimè D. Tho-

Resoluitur, totam Conscientiæ obligandi vim , etiam cum errat, à Dei auctoritate esse, etiamsi non sit Dei lex quæ proponitur.

D. T. de verit. q. 17. a. 4.

mas: *Non igitur propter hoc Conſcientia* (ſcilicet errans) *dicitur ad aliquid ligare, quòd ſi illud fiat ex tali Conſcientiâ, bonum ſit* (ſi cæteroquin malum ſit aut indifferens, vt mox ſe explicat) *ſed quia ſi non fiat, peccatum incurritur.* At ex quo capite, cùm non ſit lata lex? Audi. *Non videtur autem poſſibile, quòd aliquis peccatum euadat, ſi Conſcientia quantumcumque errans dictet aliquod eſſe præceptum Dei, quòd eſt indifferens ſiue per ſe malum, ſi contrarium tali Conſcientiâ manente agere diſponat. Quantùm enim ex ſe eſt, ex hoc ipſo habet voluntatem legem Dei non obſeruandi, vnde mortaliter peccat.* Sic ergo, qui die jouis quem credit eſſe veneris, Conſcientiâ licèt per errorem denuntiante abſtinendum eſſe carnibus, iis nihilominùs veſcitur, ita conſtitutus eſt animo, vt legitimum imperium ſeu Dei ſeu Eccleſiæ excuſſurus ſit, ſi verò veneris die mandatum proponatur, non aliter ſanè quàm nunc voluntati proponendum. Et ſic verè & propriè voluntati Diuinæ humana refragatur, non quidem illi quâ die jouis abſtineri vult à carnibus, nam id verè non vult; ſed quâ auctoritatem ſuam non patitur peſſum dari, voluntatemque diuinam contemni, etiamſi per errorem Conſcientiæ, alia quàm ſit, animæ proponatur. Sic ſanè qui per errorem, aulicum habet ludibrio, quem ſibi Regem eſſe alienus error perſuaſerat, Regem ipſum contumeliâ affeciſſe cenſendus eſt. Et qui Regis mandata & litteras, de quarum fide non dubitat, vtpotè quæ ſigillo ſolito munitæ ſunt, & eius qui ab epiſtolis eſt conſcriptæ manu, nihilominùs abjicit & contemnit; eandem Regi iniuriam impegiſſe dicitur, ſeu veræ fuerint Regis litteræ, ſeu per errorem à Scribâ confictæ. Sic ergo, integra ſtat Conſcientiæ etiam erranti auctoritas; quam illa non à ſe, ſed ab ipſo Deo habet; cùm eius imperia voluntati repræſentare, legitimum Conſcientiæ ſit officium. Voluntatis autem cùm non ſit, vera à falſis diſcernere; certè eadem ſemper eſt, Conſcientiæ mandata Dei deferentis auctoritas, atque eadem voluntatis, ei obſequendi obligatio. Falli igitur vt poſſit Conſcientia, voluntas tamen errare minimè poteſt; cùm ſeſe ſemper Diuinæ, quæ per Conſcientiam repræſentatur, auctoritati accommodet & ſubjiciat: ſin minùs, eam potiùs, quàm Conſcientiam ſuam contemnat ac vilipendat; quod prorsùs eſt nefarium.

§. III.

§. III.

Ponuntur conditiones quædam necessariæ vt quis peccet, agens contrà Conscientiam errantem, seu obligantem per errorem.

13. ISTud igitur in confesso sit, verè peccari, Deique auctoritatem proteri, dum dictamen Conscientiæ, etiam falsò peccatum esse judicanti vbi peccatum non est; aut lethale esse per errorem statuenti, veniale cùm sit, voluntas nihilominùs refragatur. Et ideò inconsultò admodùm, imò & malè eos credo, siue parentes, siue nutrices, siue puerorum institutores agere, qui vt eorum teneras adhuc mentes à scelerum contagio auertant, eadem aut exaggerant, aut etiam iis actionibus affingunt quæ sceleratæ non sunt, aut sanè non adeò sceleratæ. Nihil non esse lethale crimen, pueris persuadent nutrices quædam oppidò imprudentes. Si panem in terram projiciat petulans pusio, illicò mortale crimen id esse exclamant; si parenti infantes sint immorigeri, si leui mendacio, vt fit, veritati refragentur, inferni ignes promeruisse deblaterant; & plurima in hunc modum instituendis pueris congerunt terriculamenta. Interim erroribus imbuitur mens tenera & credula; & cum ætate errores crescunt, iisque implicita Conscientia sæpè occasionem præbet peccandi, vbi cæteroquin nulla peccandi est materia. Aliud sanè est, contra bonos mores agere, aliud verò mortale crimen committere. Neque verò vt boni ingerantur mores, malique dedoceantur, ad scelera lethalia, ignisque æterni supplicia recurrendum est. Alia terriculamenta suppetunt, aliæ pueris infligi solitæ, ad manum sunt pœnæ, quibus ab inhonestis actionibus arceantur, quàm exaggeratæ peccatorum hyperbolæ, per quas in errorem inducantur infantes; & cùm succreuerint, in vera scelera. Sufficit enim, vti jam dixi, judicare crimen esse id quòd agis, vt verè committas crimen, etiam vbi mali non est species.

Improuidè parentes infantium vitia nonnumquam exaggerant.

14. Ne tamen quis sese peccasse non obediendo erranti Conscientiæ facilè suspicetur, & credat temerè; duo dicenda sunt quæ rem explanent. Et *Primò* quidem Conscientiam cui resistit voluntas,

Vt quis peccet contrà Conscientiã errantem, debet iudicii

Conscientia esse certum & indubitatum.

luntas, firmam debere esse sibique constantem. Judicium, inquam, debere certum esse & indubitatum, peccari in eo quod agitur, aut sine peccato omitti non posse quod proponitur. Nam si certa sit de actione suâ mens, & nihilominùs inter agendum suspicionibus exortis de rei malitiâ agitetur, quamuis institutam actionem promoueat, non idcircò Conscientiæ non censebitur obsecuta. Suspiciones enim judicia non sunt, atque adeò ad Conscientiam minimè spectant. Sic qui die jouis mensæ accumbit, & cùm cæteris conuiuis carne vescitur, si suspicionibus agi cœperit, forsitan diem esse veneris, Ephemerides inspiciendas antequam pergat, conuiuas fortassis esse hæreticos, è quorum exemplo dijudicari non possit jouisnè dies sit an veneris, vt qui vtroque perinde vescantur carnibus: hisce, inquam, si mali imaginibus agitetur, nihil quidquam sanè de institutâ comedendi ratione intermittat; neque quidquam contra errantem Conscientiam sese commisisse existimet. Nulla enim hîc Conscientiæ vestigia sunt, cuius est non suspicari, sed certò & indubitatim ferre de malo sententiam.

Deinde debet esse in errante libertas ad ponendum vel non ponendum actionem circa quam erratur.

Alterum quoque sedulò est attendendum: nempè, neque verè neque falsò judicantem Conscientiam obstringere, nisi res imperata in libero hominis posita sit arbitrio, sic vt in manu eius sit eam ponere aut non ponere, prout paragrapho secundo dicebamus. Nemo enim peccat in eo, quod ipsi vitio non potest verti & vituperio: huius autem fundamentum esse, libertatem agendi aut non agendi, res omnibus in confesso est. Itaque si quis detentus carcere aut lecto affixus, judicet mortale crimen se committere, si die Dominicâ sacris non interfit, atque adeò per errorem ei sacrum hunc cultum imperet Conscientia; nullo modo is contra Conscientiam errantem peccasse censendus est, quantumcumque id sibi per errorem persuadeat, neque de hâc re vlla facienda est exomologesis. Nulla enim ne Dei quidem vera lex obstringere quemquam potest, vt id agat quod in manu eius non est agere. Quantò igitur minùs obligabit lex putatitia? 15.

Sanch. l. 1. in Decal. c. 11. n. 3.

Multos à peccato excusat defectus liberi arbitrii circa quasdam materias.

Atque hinc ad graues difficultates, quas non pauci patiuntur, patet responsio. Plurimos esse constat, qui cùm ab omni actione quæ vel speciem peccati grauioris præ se fert maximè abhorrent, interim tamen aut obscœnis luduntur imaginibus, aut cogitationibus blasphemis & hæreticis grauissimè agitantur. Nullum quidem 16.

dem iis consensum præbent; sed tamen vel præbere sibi falsò credunt; vel etiam cogitationibus tam horrendis tangi, grande per errorem, judicant piaculum. An hosce, saltem ob Conscientiam errantem, peccare quis dixerit? Minimè verò. Nam quamuis Conscientia dictet, peccari quoties eiusmodi cogitatio in mentem venit, tamen obligatio nulla inde voluntati exoritur; cùm & præter, imò & contra voluntatem ea phantasmata, imagines, & cogitationes in mentis adyta, quasi per vim soleant irrumpere; sic vt voluntas hisce præpedita, libertate solitâ exuatur, easque, vtcumque velit, minimè tamen possit repellere. Neque refert quod iis etiam consensum præbuisse sibi videantur; nam & hoc falsum est; & vt consensum aliquem præstiterint excipiendis hospitibus tam importunis, hunc ipsum non dedêre liberè, cùm in eo statu non esset anima phantasmatis tam vehementibus implicata, vt vires omnes quantæ ad libertatem requiruntur, posset explicare. Atque hoc argumento ductus, virginem quandam à peccati noxâ, judicio suo excepit P. Nicolaus Baldellus Societatis nostræ Theologus acutissimus. Rem placet eius verbis describere, vt ad manum sit narratio, quæ Confessariis, iisque qui animarum, & quidem piarum præcipuè, curam gerunt, maximo futura est vsui. Plurimùm enim, dœmonis artificio, inter pias mentes grassatur hęc contagio. „ Ex hoc capite, inquit, amis- Baldellus l. 4. disp. 4. n. 2.
„ sæ libertatis & potentiæ ad oppositum, aliàs censui esse excusan- *Exemplum Virginis blasphemæ & tamen innocentis.*
„ dam ab omni culpâ nobilem virginem Romanam, quæ quamuis
„ à primis annis vitæ innocentiam semper seruasset, & pietati &
„ virtutibus semper vacasset, tamen ex naturali melancholiâ eò
„ deuenit, vt videretur sibi perpetuò irasci contra Deum & contra
„ Beatissimam Virginem, omnesque Angelos aut Sanctos Dei,
„ eosque prosequi pessimo odio, & blasphemias omninò turpissi-
„ mas, atque grauissimas in corde suo in eos jactare, & mala
„ omnia pro quâcumque occasione iis velle. Vt videretur sibi
„ v. g. pedibus ipsis velle eos calcare ac terere, cùm ambula-
„ ret; acubus velle pungere ac transfodere, cùm fortè acu ope-
„ raretur; cultris ac gladiis velle discindere, cùm ad mensam
„ sederet, & cibos cultro diuideret; ipsa ventris excrementa
„ velle illis in os ingerere, cùm ventrem exoneraret; & huius-
„ modi alia. Et ex his omnibus maximam capiebat molestiam,
„ seque perpetuis lachrymis conficiebat; eò quòd sentiret, vt

„ ipsa dicebat, non solùm hæc sibi esse in imaginatione aut „ mente, sed etiam pertingere vsque ad cor, seque omnia corde „ admittere, vereque velle, & verum assensum iis præbere. Et „ tamen præterea addebat, cupere se omnia opposita, & velle „ his omnibus assensum negare, non tamen posse. Quòd enim „ hæc virgo in his omnibus omni culpâ vacaret, ex eo visum „ est mihi patêre: quia omnes illæ prauæ apprehensiones pro- „ueniebant ex nimiâ intentione & efficacitate phantasmatum „ notabiliter deprauatorum per habitus, & vapores melancholi- „cos, & ex nimis importunâ illorum accursione. Et ideò, quia „ non poterat cum illis existere rectus vsus rationis & mentis, „ neque etiam poterat simul consistere vera libertas; quæ tamen „ semper est necessaria ad contrahendam malitiam & ad pec- „candum. Et cùm misella illa benè aduerteret, & ore proprio „ confiteretur, se non posse cogitationes illas abjicere, & actus „ odii non elicere, illud tamen non capiebat, quòd ex hoc ipso „ capite impotentiæ, esset immunis ab omni culpâ: & quia „ maximè angebatur, dignissima erat omni commiseratione. „ Hactenus Baldellus.

Atque hæc quamuis fusiùs descripta adferre placuit, vt animarum directores non mirentur, si in eiusmodi genios & ingenia inciderint: non enim existimo deprauatos melancholicosque fumos omnes in hâc virgine fuisse absumptos; nec diabolicas artes iis in rem suam egregiè abutentes, penitus in diuexandâ hâc animâ exhaustos esse. Certè in vnam incidi, cuius historia erat huic persimilis, præterquàm quòd in multis esset non parum magis deridicula, quamuis non illi ipsi quæ errantis Conscientiæ aculeis torquebatur. Neque fœminarum tantummodò sunt hæ miseriæ; habent & viri suos fumos, habent & vmbras suas. 17.

Item viri committentis vti rebatur plurima homicidia.

Etenim noui ego virum sani cæteroquin cerebri, hominem frugi & insignem probitate, quique & priuatas agebat res, imò & publicas, mente serenâ & placidâ; qui tamen in hanc deuenerat opinionem, se sputo suo hominem posse conficere; adeò enim id esse virulentum, vt quisquis illud transgrederetur, illicò correptum iri sibi certò persuaderet. Itaque hâc mente sese templa adire profitebatur vbi multus erat populus; & ne ictum falleret, ad vasculum in quo aqua benedicta populo proponitur accedere, ibique excreare, vt certior esset aliquem vnum saltem, sputum recens

recens transgressurum, cuius veneno sic correpto tandem contabesceret. Et quidem quinquaginta tria, eo modo, à se numerabat perpetrata virorum præcipuorum eâ in vrbe homicidia. Rogatus à me, eccur ab excreatione, aliis tam cruentâ, non abstineret? Respondebat candidè, id verò non esse in manu suâ; vrgeri se nimiùm homines trucidandi libidine. Erat interim homo mitissimus. An autem peccasse quis credat virum illum, saltem ex Conscientiâ erroneâ, cùm ab actione non abstinet, quàm sine summo scelere non posse confici Conscientia dictabat? Numquàm id sanè crediderim: præpeditam enim habebat in hâc parte mentem, sui libertatisque suæ non satis compotem; & sic defectu libertatis, nulla erat Conscientiæ obligatio; quæ jure suo excidit, quoties incidit in voluntatem non omnimodis liberam, & ad agendum aut non agendum penitus expeditam.

§. IV.

Conscientiæ sine hæsitatione vllâ actionem aliquam permittenti, etiamsi erret, modò inuincibiliter, impunè creditur, & absque peccato eam sequitur voluntas.

18. His ita ritè expositis, ad secundam partem accingamur. Et siquidem ostensum jam est, eam esse Conscientiæ auctoritatem à Deo, quasi voluntatis suæ interpreti & denuntiatori legitimo concessam, vt quæcumque ab eâ etiam per errorem mandata deferuntur, vim suæ legis obtineant, cui nefas sit obedientiam denegare, licèt cæteroquin res nec prohibita esset nec illicita: istud modò inquirendum est, an etiam vice versâ, Conscientia actionem aliquam voluntati possit permittere quasi licitam, cùm tamen à Diuinis legibus, aut naturæ, aut etiam humanis prorsus sit prohibita; & an hoc modo rem proponendo, voluntatem ab omni obligatione liberet, sic vt actionem illam naturâ suâ malam, sine vllo tamen crimine impunè committat. Res est scitu perneccessaria, vt quæ sese humanis actionibus sæpissimè intermiscet,

Dico

Conſcientia ex inuincibili errore actionem aliàs malam permittenti, paretur abſque peccato.

Dico igitur ſecundò, quotieſcumque Conſcientia bonâ fide, & abſque vllâ formidine dictat actionem aliquam licitè exerceri, nullius malitiæ conſcia, quæ tamen in actione ponendâ, reipsâ eſt; voluntatem tali Conſcientiæ rectè acquieſcere, neque vlli eſſe crimini obnoxiam. Nam ſi D. Paulo teſte *omne quod ex fide non eſt, peccatum eſt*, certè viciſſim quod ex fide bonâ, ſeu Conſcientiâ eſt aut fit, peccatum non eſſe, videtur D. Pauli ſententiæ & menti admodùm congruere; imò & rationi. Quæ ſanè admodùm debet eſſe perſpicua, cùm eam Catholicorum omnium *Scholaſticorum, & Patræ Scholis & Eccleſijs*, communem fuiſſe, etiam ſuo tempore Lutherus, vti mox videbimus, inſulsè lamentetur. Et verò, ſi nulla prorsùs lex, vti omnibus juris tam Diuini quam humani conſultis in confeſſo eſt, Rem-publicam obſtringit niſi legitimè fuerit proclamata & verò etiam denunciata; neque peculiaria majorum imperia à priuato homine jure poſſint exigi, niſi ratione bonâ & legitimè ad eum perlata fuerint; quo quæſo ex capite, voluntatis Diuinæ aut humanæ legis rea dicetur mens, ſi nulla legis ei facta eſt legitima denuntiatio? Atqui legem illam legitimè voluntati patefacere ſic vt obliget, id quidem ſolius eſt Conſcientiæ, quod nemo negauerit: itaque ſi illa ſilet, neque rei malitiam aut prohibitionem vllam exponat, nullum ſanè, ſi actio illa ponitur, hîc video crimen poſſe committi. Silet enim Conſcientia bonâ fide, eò quòd præceptum omne ignoret ex hypotheſi, & ſic nulla eſt in illo ſilentio malitia. Voluntas verò minimè peccat, Conſcientiam innocentem innocens ipſa nec mali appetens, bonâ fide ducentem dum ſequitur; alium enim, cuius veſtigiis inſiſtat, non habet ducem. Multò autem euidentiùs à ſcelere eximitur voluntas, ſi Conſcientia non tantùm malitiam actionis non exhibet, ſed præterea, vti fit ſæpiſſimè, poſitiuè, vt aiunt, peccatum non eſſe judicet quod tamen verè peccatum eſt. 19.

Eſt communis Catholicorum ſententia.

Probatur primò ex naturâ legis ignoratæ aut non denunciatæ.

Et licèt verè erret, errat tamen ſine culpâ aut ſcelere.

Aſt, errat inquies Conſcientia. Fateor; at quid deinde? errat tamen innoxiè. Et ſic errantem ſi ſequatur voluntas, parata ſequi etiam non errantem, tu ſcelus dicis? Audi. Tu me perperam agere criminaberis, ſi Regis imperia, quæ mihi per Scribæ qui ei ſemper eſt à litteris, legitimas verasque tabulas deferuntur, promptè & ſine cunctatione vllâ, aut animi dubio executioni mandauerim; tu inquam Regi iniurium me fuiſſe dixeris, eò quòd 20.

Ad Rom. 14. v. 23.

quod per Scribæ errorem aut ignorantiam, alia ad me mandata delata sint, quàm quæ Rex ipse mente conceperat, & à me voluisset facta dari? Certè si id quod egi, Regiæ menti non corresponderit; egi tamen ea, quæ, quin ejus voluntati congruerent, minimè dubitabam. Quinimò obedientem me, etiam errando demonstro, Regiæque voluntatis admodùm obseruantem, qui Regis assessori & Scribæ tam facilè & tam exactè pareo. Idem prorsùs hîc contingit: tantùm immutanda sunt Regis & Scribæ, inserendaque Dei Conscientiæque nomina, & res est eadem. Nam vtcumque Diuina lex & voluntas manifesta sit & euidens; tamen id etiam constat, eâ non obstringi me, nisi mihi manifesta sit, & innotuerit. Voluntas autem naturâ suâ cœca est; neque vllam rerum agendarum habet scientiam, nisi quam ei præstat Conscientia: Conscientia verò aut nullum voluntatis Diuinæ affert mandatum, aut affert per errorem immutatum. Sequitur istud humana voluntas. Quid quæso hîc agit abs re, aut quâ in parte sese voluntati Diuinæ opponit? Quòd rem agat, inquis, à Deo prohibitam. Prohibitam si voces, eò quòd actionem illam, si Dei præceptum ei innotescceret, minimè licitum esset exhibere, fateor esse prohibitam. Prohibitam verò, sic vt hæc de quâ agimus Voluntas, eam hoc in statu in quo est, licitè & sine scelere non possit exequi, id verò prorsùs nego. En verò quàm sit innocens voluntas; sanè ita constituta est, vt ne latum quidem vnguem à Dei voluntate velit discedere. Quid igitur acturam existimas, si vel minima mali species sese offerret? abstinere sine dubio à re propositâ: & perire mallet, quàm tam justis Dei imperiis refragari. Itaque quod agit, bonâ fide agit; & bonâ fide Conscientia id agi permittit, aut etiam agendum judicat: itaque omnia cùm hîc fiant fide optimâ, sanè peccatum non est, nec à Conscientiâ, nec à voluntate.

Quomodo talis actio dicenda sit voluntati tum non prohibita.

21. Rem omnem exemplis declaro. Certum licèt sit, mendacium omne Diuinâ lege prohiberi, si tamen Conscientia mihi in euidenti periculo mortis constituto, sine vllâ hæsitatione dictet, mentiri posse me, vt morti injustè inferendæ, me, aut quemuis alium eripiam; sanè mendacium proferre possum sine crimine, imò & debeo, vt charitatis aut misericordiæ, quæ mihi exhibentur, præcepta obseruem. Quinimò eo in casu, vt egregiè docet Castro-Palao, Deus ipse præcipit esse mentiendum, *non quidem*

Exponitur per casus particulares hac sententia.

Castro-Palao de Consc. disp 1. pun. 2. ad 3.

absolutè, inquit, *sed ex suppositione quòd Conscientia errans id dictet.*

Rursus quamuis Ecclesiæ præceptum sit, abstinendum esse à carnibus die veneris, si per ignorantiam judico non esse diem veneris; ac proinde eâ me tunc lege non teneri, impunè vescor carnibus. Aut si ratione bonâ, aut medici judicio inductus, planè judico carnium esum valetudini prorsus esse necessarium, quamuis reipsâ non conducat; non tantùm possum, sed & manifestè obstringor edictum errantis sequi Conscientiæ; modò sic constitutus sit animus, vt nullâ malitiæ fortè latentis suspicione agitetur; & ab omni esu carnium paratus sit abstinere, si vel minima Dei offensa actioni suæ foret intermixta. 22.

Probatur 2. ex naturâ voluntarij, quod ad peccandum requiritur.

Vt verò eorum quæ jam dicta sunt penitiùs afferam fundamentum, & rationem, è quâ sententiæ allatæ pateat euidentia; istud certè nemo Theologorum negauerit, ad constituendum peccatum, si non requiritur, vt planè sit liberum istud committere, aut non committere, saltem vt minimum requiri, vt sit voluntarium. Ita sentiunt omnes scholæ nullâ penitus dissentiente. Atqui error hic de quo agimus, aut ignorantia inuincibilis, tollit omne voluntarium; igitur & peccatum. Hypothesis, manifesta est D. Thomæ sententia, & porrò communis omnium sensus. Audi Doctorem Angelicum, totam rem dilucidè explanantem. *Dicendum*, inquit, *quòd cùm de ratione peccati sit, vt sit voluntarium, intantùm ignorantia habet excusare peccatum in toto vel in parte, inquantùm tollit voluntarium .... Cùm autem ignorantia sit in intellectu, ordo ignorantiæ considerari potest ex ordine intellectûs ad voluntatem. Præcedit enim ex necessitate actus intellectûs actum voluntatis; quia bonum intellectûs, est voluntatis objectum. Et ideò sublatâ cognitione intellectûs per ignorantiam, aufertur voluntatis actus; & sic tollitur voluntarium quantùm ad hoc quod est ignoratum. Vnde si in eodem actu aliquid sit ignoratum & aliquid scitum, potest esse voluntarium quantum ad hoc quod est scitum; semper tamen est inuoluntarium quantùm ad hoc quod est ignoratum: siue ignoretur deformitas actûs (puta cùm aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum) siue ignoretur circumstantia actûs; sicut si aliquis accedit ad mulierem quam credit esse suam; voluntariè quidem accedit ad mulierem, sed non voluntariè ad non suam.* 23. D.T.q.3. de malo a.8.

En

En vt Sanctus Doctor sine vllo discrimine loquatur de ignorantiâ juris naturalis aut Diuini, in primo casu, & de ignorantiâ vt vocant facti, in secundo; quod mox nobis erit vsui. Enumeratis deinde aliquot ignorantiæ affectatæ & voluntariæ generibus, quibus docet minui quidem aliquando, non tamen penitus tolli voluntarium, tandem sic ad rem meam concludit articulum. *Si autem ignorantia nullo prædictorum modorum sit voluntaria, puta cùm est inuincibilis, & tamen est absque omni inordinatione voluntatis, tunc totaliter facit actum sequentem inuoluntarium.* Tollit tunc igitur ex mente D. Thomæ, omne peccatum. Deinde vt se, & auctoritatem D. Ambrosij, quam sibi opposuerat, explanet, ita pergit. *Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Ambrosii sic solet exponi: Grauissimè peccas, si ignoras; id est periculosissimè: quia dum nescis te peccare, remedium non quæris. Vel loquitur de ignorantiâ affectatâ, quâ aliquis ignorare vult, ne à peccato retrahatur.* Hæc mens est D. Thomæ, hæc sententia plana & dilucida. Non habeo quod apponam.

§. V.

Exponuntur tres modi quibus error inuincibilis committi possit à Conscientiâ, qui tamen ei culpæ verti non possit.

24. Istud tamen explicandum adhuc restat, quo pacto error ille qui peccatum excusat, Conscientiæ possit obrepere, sic vt de errore saltem ipso non possit à Deo conueniri. Nam si dolo malo, aut per conniuentiam sceleris affectata est ignorantia, certum id est perperàm agi omnia. Aliqua enim sine dubio peruersitas menti occurrit; quam ignorare dum satagis, ipso ignorandi studio, eam te aliquousque percepisse confiteris. Hoc autem non est penitus ignorare malum: & sic non agitur bonâ fide, sed prorsùs malâ & peruersâ. De hâc verò hîc non agimus. Dicendum est igitur quis error ille sit, & quot modis Conscientiæ obueniat; is, inquam, qui & ipse inculpatus sit, & qui malam licèt actionem exhibendam voluntati proponat, eam tamen à peccato absoluat.

Error positiuus.

Tribus illum modis intellectui video posse irrepere. *Primò* quidem per rationes falsas quæ menti occurrunt, aut etiam ab alio proponuntur: rursus per aliena exempla quibus ab ipsâ pueritiâ quis est innutritus, potest animus in errorem induci; sic vt judicium sincerum ferat in dubitatò rem esse licitam, quæ tamē est illicita. In errore, quem quidem *positiuum & affirmatiuum* vocare possumus, tunc proculdubiò versatur Conscientia. Non tamen est voluntarius; nam nec voluntate quæsitus est, nec etiam voluntate nutritur aut continuatur, sed meris rationibus; quas cùm non possit dissoluere; imò cùm nequidem de earum falsitate vel minima ei incidat suspicio, judicio suo fide optimâ acquiescit animus, ac propterea inculpatè. 25.

Ignorantia inuincibilis.

Potest etiam *Secundò* judicium istud falsum menti insidere, ex merâ legis ignorantiâ, vtpotè cuius ne prima quidem vestigia ei aut inciderint aliquando, aut à quoquam fuerint per denuntiationem impressa. Et hic error passim dicitur, *Ignorantia inuincibilis*, vtpotè quam in manu ignorantis non sit vllo modo deponere aut superare. In errore rursus est Conscientia, at rursus inculpatè. Nec enim ex ipsâ est quòd fallitur; nec per ipsam stat, quo minùs ab errore extricetur. 26.

Incogitantia inculpata.

Tertiò denique quamuis legis sic sit conscia, vt si mentem adverteret, legislatoris voluntatem non ignoraret; fit tamen vt aut obliuione merâ, aut alijs cogitationibus innocenter immersa mens, legi præstituto tempore adimplendæ non attendat, neque vel minimâ eius memoriâ tangatur. Et hæc mera est, *incogitantia*, cui cùm nullus dolus malus aut peccatum ansam dederit, rectè statuitur *inculpata*. Hi tres modi sunt qui mihi saltem nunc occurrunt, quibus, sine vllâ suâ culpâ aut noxâ, in errore possit Conscientia versari. Operæ pretium erit quædam consectaria subjicere, quibus quæ à me dicta sunt magis declarentur, vtpotè quæ ex iis legitimè consequantur. 27.

Quod ex errore positiuo fit, non est propriè peccatum.

Itaque si Conscientia *primo* errandi genere, quem quidem *Errorem positiuum* vocabamus, teneatur; manifestum est absque vllo peccato ei sic erranti fidem dari. Nam nec error est voluntarius, & iudicium sine vllâ hæsitatione fertur de rei propositæ bonitate; neque error potest deponi; & voluntas est absque omni deordinatione: ergo neque quod ex errore consequitur, peccatum est voluntarium, vti paullò antè ex D. Thomâ habebamus. 28. Hic n. 23.

Igitur

Igitur nullo modo est propriè dictum peccatum. Sic qui judicat se in mortis periculo mentiri posse vt vitam seruet, innocuè mentitur & sine culpâ.

29. Quid quòd & ipsum adulterium per hunc errorem commissum, si non omninò excusat, saltem sceleris condemnare non audeat D. Augustinus? rem actam eleganter narrat, ego eam eius verbis dabo, quantùm quidem instituto meo est necessarium. Acindinus Antiochiæ Præfectus auri libram fisco à debitore inferendam exigebat sanè atrociter; nam carcere cùm debitor teneretur, mortem ei minabatur, nisi in ante diem præstitutum pecunia ab homine inope repræsentaretur. Æs nullum erat in loculis, vxor erat domi speciosa. Huic nescio quis homo opulentus, sed libidinis non satis potens, auri libram offerebat, vnâ si se nocte sibi prostitueret. Pudica cùm esset fœmina, neque matrimonii legibus constitutum ei esset refragari, virum adiit, paratam se dixit vitium illatum pati, si tamen (verba sunt D. Augustini) *ipse coniugalis corporis Dominus, cui tota illa castitas deberetur, tanquam de re suâ, pro suâ vitâ vellet fieri.* En mulieris errorem manifestum. Iudicabat enimuerò id maritum tali in statu positum posse concedere. Quid, quòd & maritus ipse errore non ab simili teneretur? nam, vt statim subjicit Augustinus, *egit illi gratias maritus, & vt id fieret imperauit; nullo modo iudicans* (verba sunt Sancti Doctoris) *adulterinum esse concubitum; quòd & libido nulla, & magna mariti charitas, se iubente & volente flagitaret.* Et vt etiam mulieris bonam fidem, inculpatumque fuisse errorem demonstret; *venit*, inquit, *mulier ad villam illius diuitis, fecit quod voluit impudicus. Sed illa corpus non nisi marito dedit; non concumbere vt solet, sed viuere cupienti.* Quasi si dicat Sanctus, mulierem existimasse Matrimonii jura se persoluere, dum corporis sui vsum, alieno in toro, conjugis sui voluntati permittit, non jam delicias, sed vitam ipsam ab vxoris corpore postulantis. Hæc instituto meo erant satis. Iuuat tamen id quod supereſt historiæ pertexere, tum quia amœna est, tum quia tanto auctore tenetur. Eius hæc sunt verba. Re peractâ, *accepit aurum mulier. Sed ille qui dedit, fraude subtraxit quod dederat, & supposuit simile ligamentum cum terrâ. Quod vbi mulier iam domi suæ posita inuenit, prosiluit in publicum, eâdem mariti charitate clamatura quod fecerat, quâ facere coacta est.* Animaduerte lector, charitate mariti coactam dici ab

Expenditur historia D. Augustini de adulterâ Antiochenâ.

D. Aug. l. 1. de serm. dom. in monte c. 16.

Augustino; hæc errori causam dedit; errabat igitur innocenter. Itaque *interpellat Præfectum, fatetur omnia; quam fraudem passa sit, ostendit. Tum verò Præfectus primò se reum, quòd suis minis ad id ventum esset pronuntiat: (tanquam si in alium sententiam diceret) de Acindini bonis (hoc est suis) auri libram fisco inferendam: illam verò mulierem, Dominam in eam terram, vnde pro auro terram accepisset, induci.* Dignam profectò tanto viro, & Romano nonnumquam Consule sententiam. Sed illi nolo immorari. Istud nunc indico, constare jam ex ipso D. Augustino posse dari ignorantiam inuincibilem alicuius juris naturalis, cùm eam in vtroque hoc Antiocheno conjuge habitam narret, neque tamen, vt nonnulli hodie faciunt, eam tamquàm non possibilem rejiciat. Deinde adulterium ex illâ ignorantiâ ortum dum non damnat, satis indicat judicare se, potuisse sine peccato committi. Statim enim narratæ historiæ subjungit hæc verba. *Nihil hîc in alteram partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit.* Quod quidem sic intelligendum est, non vt quidam perperàm interpretari possent, quasi si D. Augustinus in medio relinquat, an tali casu jure possit adulterium committi; nam id anteà planè negauerat; sed id solum aliorum æstimationi judicandum relinquit, an reipsâ conjuges hi peccauerint. Et quod de hoc peccato speciatim dubitet, manifestum est ex eo quod subjungit. *Liceat*, inquit, *cuique æstimare quod velit:* an nempè hi conjuges peccauerint, an verò fuerint innocentes. *Non enim*, inquit, *de Diuinis auctoritatibus deprompta historia est.* Quid deinde? an ideò vera non est? Non hoc dico ait Augustinus, sed non satis mihi constat (res enim à quinquaginta annis tum contigerat) an verè judicarint ex errore positiuo inuincibili, sibi licuisse eo casu, alteri quidem imperare adulterium, alteri tam promptè imperatum exequi. Hinc nihil in alterutram partem de peccato commisso, aut non commisso inquit disputo, quòd, de hoc judicio erroneo quid statuendum sit, non satis liqueat. Quamuis enim id ferat historia, non tamen hâc in parte, cùm de internâ hominum actione narrationem instituat, omnis ei fides danda est, cùm, inquit, *de diuinis auctoritatibus non sit deprompta.* Satis hoc ipso innuens, criminis omnis eum absoluturum conjuges, si de errore bonâ fide contracto, planè constaret. Quin imò hoc ipsum manifestè postrema eius periodus indicat. Cùm enim dixisset, nolle se in alteram partem

Explicatur judicium D. Augustini de Antiochena adulterio.

quidquam

quidquam disputare, quòd *non sit de diuinis auctoritatibus deprompta historia; sed tamen,* inquit, *narrato hoc facto* (id est, si ita prout narratur contigerit) *non ita respuit hoc sensus humanus quod in illa muliere viro iubente commissum est, quemadmodum anteà cùm sine exemplo res ipsa ponebatur horruimus.* Proposuerat enim sibi quæstionem Augustinus generatim, An scilicet peccent conjuges qui voluntate mutuâ corpus prostituunt; quòd horrendum est etiam dubitare; non autem proposuerat vestitam circumstantiâ erroris inculpati, & in casu quo hîc offertur. Hanc autem quæstionem decidere speciatim in hoc euentu non vult, quia de inculpato errore ipsi non omninò constat; decisurus profectò si constaret. Libuit hæc fusiùs disputare, vt verus Doctoris Sancti sensus eluceseat: & ne aliqui, qui malitiæ suæ & impudicitiæ patrocinium quærunt vndique, & præcipuè à viris sanctitate & doctrinâ illustribus, garrire audeant, ipsum Augustinum hoc loco de jure conjugum, in prostituendis ex communi consensu corporibus, addubitasse. Non hoc dubitauit Augustinus, nec liberum reliquit cuique *in hâc parte æstimare quod velit.* Sed an hi conjuges reipsâ peccauerint nec ne, hoc verò cuique relinquit æstimandum. Ipse verò de eorum innocentiâ non dubitat, si verè & sine hæsitatione vllâ senserint id licere.

30. Ex hoc errore non excusari tantùm à peccato, sed & laude dignissimas censeo Virgines illas, quæ in turribus aliquando deprehensæ, Castitatis conseruandæ studio, saltu immani sese dedêre præcipites; aut in flammas conjecêre se; aut etiam ne nimiùm spurcorum oculis placerent, suos ipsæ eruerunt; aut denique mammillis exsectis, pro pudicitiâ fortiter decertarunt. Numquam profectò magis conspicuæ, quàm cùm sine vllâ specie, inuicti animi in imbecillo corpore dedêre exempla. Heroicæ enimuero virgines, quasque omnes, etiam viri obstupescerent, imitarentur autem perpauci. Scio equidem Diuino afflatas Spiritu hæc facinora perpetrasse, & eo ex capite non tantùm à crimine absolui, sed & inter illustres Martyres ab Ecclesiâ vniuersim reputari. Verùm & istud dico, etiamsi à Dei peculiari instinctu œstroque compulsæ non fuissent, ad inferendam contra naturæ leges, naturæ suæ vim; si tamen errore inuincibili tenebantur, naturæ legibus de conseruandâ vitâ, aut corpore non mutilando se non obstringi, tum cùm de vitio pudicitiæ inferendo, & propul-

Virgines ex mero errore pro Castitate conseruandâ, innocuè imò & laudabiliter se occiderunt.

propulsando agitur, sanè non omni tantùm crimine liberas fuisse, sed & summis laudibus efferendas, quæ gratiæ aut virtutis, cuius amittendæ periculum adesse judicabant, conseruandæ studio, licitum sibi putarunt & vim naturæ inferre, & reipsâ etiam constantissimè intulerunt.

Multis ex mero positiuo errore hæreticis, non imputatur culpa.

Sic etiam nullus dubito, plurimos adolescentes, homines rusticos, omniumque rerum ignaros, nisi quas inter mapalia, ouium greges, & boum armenta vident exerceri; item eos qui in abditis hæreticorum regionibus nati, nihil aliud ab ipsâ infantiâ audierunt, nisi praua falsaque dogmata, quibus innutriti numquam de eorum falsitate dubitarunt, neque Catholicos ad manum habent à quibus vmquam fuerint instructi aut de errore dogmatum correpti; & si qui fortè occurrerint, qui obiter quid objecêre, id certè ne minimam ipsis dubitandi ansam suppeditauit, vtpotè qui paternâ institutione errorem penitus imbiberant; eos inquam omnes, non dubito ego laborare errore prorsus inculpato: & eo si laborent, cum præstantissimis Theologis fidenter assero, hæreseos crimine non teneri, neque cælo excludendos, nisi alio quoquam scelere, innocentiæ in Baptismo acceptæ labem inferant. Atque hæc de primò erroris genere dicta sint. 31.

Varia ignorantiæ genera.

Secundus error erat, quem *ignorantiam inuincibilem* dicebamus. Hic autem non à ratione veritati oppositâ, prout prior, prouenit, sed ex merâ veritatis aut præcepti inscitiâ. Et hæc quidem est varia, prout varia sunt quæ ignorantur. Et siquidem quòd ignoratur, lex sit jure naturali lata, *ignorantia iuris naturæ* dicitur. Sic qui licitum credit sese interimere; adulterium, aut fornicationem licitam; desideria libidinosa, aliasque quæ luxuriam spectant occultiores actiones, obscœnas tamen, peccata non esse, modò nemo complex iisdem inuoluatur: hæc aliaque Decalogo comprehensa, qui ignorat, ignorantiâ legis naturalis & Diuinæ teneri dicitur. Quòd si lex Diuina positiua fuerit quæ ignoratur, vt puta quæ circa Sacramentorum substantiam, & susceptionem versatur, eam qui ignorat, *ignorantiâ iuris Diuini positiui* laborat. Hâc sanè laboraret, qui nesciret se ad Confirmationis v. g. suscipiendæ præceptum obligari. Si verò lex humana sit quæ ignoratur, puta conjugia inter consanguineos, aut cum prole quàm de Baptismi fonte susceperis esse irrita, *iuris humani, Ecclesiastici*, 32.

aut

aut profani, prout lex fuerit, ignorantia erit. Denique si circa rem aliquam particularem versetur error, dicetur *ignorantia facti*. Hâc laborat, qui hanc quam vult ducere, nescit esse consanguineam; hunc quem venerari lex naturæ imperat, nescit esse parentem; hunc quem inter fruteta latentem videt, judicat feram esse ideoque telo impetit, cùm tamen homo sit quem ferit.

33. Atque de his omnibus ignorantiæ modis, istud vniuersim cum D. Thomâ, cuius verba jam recensui, & vnanimi Catholicorum consensu assero, quòd si ignorantia fuerit inuincibilis, quidquid ex eâ committitur, peccatum propriè non esse; hoc est eiusmodi, quod ad culpam pœnamúe æternam possit deputari. Bonâ enim fide, & sine vlla deprauatione affectûs agit voluntas; nollet enim id agere, si vllam mali speciem actioni suæ suspicaretur subesse. Bonâ etiam fide agit Conscientia; non enim de re faciendâ judicium ferret, si vel tenui errore suspicaretur esse deprauatum; igitur nusquam peccatur. Verùm his non immoror, vt quæ fusè jam exegimus. Id tantùm nunc addo, hanc esse ipsissimam D. Augustini variis locis expressam sententiam, quantumcumque quidam reluctentur. Ex pluribus do quædam testimonia. Celebrimum est istud, quod & sæpius repetit, *Non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Vbi ergo non est quærendi negligentia, qualis non est nisi dum ignorantia est affectata, ibi sanè, *inuito*, id est non volenti ignorantia obuenit, quæ idcircò non deputatur ad culpam. Verùm ne me in oceanum auctoritatum immergam, vnicam hanc arripio. *Si laboriosum est*, inquit, *omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene. Quæcumque illa causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An ergo fallit incautum? ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est, vt caueri omninò non possit? si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caueri potest?* Quid clariùs in hanc rem dici potest?

Quæ per quamcumque ignorantiam inuincibilē committūtur, propriè dicta peccata non sunt.

Hic n. 23. item 1. 2. q. 76. a. 2. & 3.

Hic s. 4. toto.

D. Aug. l. de nat. & gr. c. 67. item Retract. l. 1. c. 9.

D. Aug. l. 3 de lib. arb. c. 18.

34. At inquies, D. Augustinus illicò subjungit id, quod jam dicta euertit. Addit enim, *Peccatur autem, caueri igitur potest* (scilicet insciția aut ignorantia.) *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur.* Fateor. At quid exinde conficies? an Augustinum sentire fallaciam seu ignorantiam omnem omninò

Occurritur obiectioni & explicatur locus D. Augustini.

caueri posse, seu esse vincibilem, ac proinde omnia peccata esse quæcumque ex ignorantiâ tanquam ex fonte facta deriuantur? Minimè gentium. Nam Sancto Doctori præstitutum erat ostendere, quod paullò antè dixerat, peccati propriè dicti causam primam, esse ipsam voluntatem peccantis, seu sceleratam exhibentis actionem; neque violentiæ, aut alteri causæ, fallaciæ scilicet aut ignorantiæ istud esse imputandum. Nam, inquit, quæcumque sit ista causa quæ voluntatem in peccatum ducit, *si non ei potest resisti*, hoc est si sit inuincibilis, *sine peccato ei ceditur*. Rursùs, *an fallacia tanta est*, (hoc est, tam magna & generalis, vt ad omnes sese hominum actiones extendat) *vt caueri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt, quis enim peccat in eo quod nullo modo caueri potest?* Tum subsumit. *Peccatur autem; caueri igitur potest.* Quorum verborum hic est sensus: Atqui aliquod committitur in orbe peccatum propriè dictum: ergo omnis fallacia non est eiusmodi quæ caueri non possit; ac propterea non est quòd ad fallaciam, aut violentiam, aut coactionem, aut necessitatem recurras, vt peccatorum propriè dictorum causam inuenias, vti faciebat aduersarius contra quem isthic agebat Augustinus; *nec est*, vti antè dixerat, *cui rectè imputetur peccatum nisi peccanti*; *non est cui rectè imputetur nisi volenti.* Non igitur Augustini sensus hic est qui verbis illis affingi posset; peccatur autem per omnem ignorantiam, igitur omnis ignorantia caueri potest. Nam sic non daretur ignorantia vlla inuincibilis, quam tamen posse dari admittit Augustinus ipse in eâ quam dixi Antiochenæ mulieris historiâ. Sed hoc vult; nimirum non omnia peccata ab ignorantiâ aut fallaciâ quæ superari non possit profluere. Rursus verò ne etiam omnia quæ ex ignorantiâ proueniunt, à peccati propriè dicti noxâ absoluas, illicò subjungit, *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur.* Quædam, inquit, ergo non improbantur omnia. At quæ sunt ea, ex Augustini mente, quæ per ignorantiam facta, nihilominùs improbantur? Dicam. Primò quidem ea, quæ aut ex affectatâ, aut ex vincibili committuntur ignorantiâ: qualia ea sunt quæ de D. Paulo & Dauide illicò adfert Augustinus. Secundò etiam ea, quibus ignorantia quidem inuincibilis causam dedit: sed ea ignorantia inuincibilis, quæ non inculpatè, sed per vitia & immania scelera, Deo eà vindicante, contracta est, quam

Ibid. c. 17. infi.

Quænam sint ea, quæ ex ignorantiâ facta improbat Augustinus.

mentis

mentis cœcitatem & *Conscientiam cauteriatam*, vocat Paulus. Et de hâc ignorantiâ loqui Augustinum manifestum est; statim enim subjungit; *iustam hanc pœnam de damnatione hominis venire. Nec mirandum est*, inquit, *quòd vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat; vel resistente carnali consuetudine, quæ violentiâ mortalis successionis quodammodò naturaliter inoleuit, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisque quo benè vti noluit, cùm sine vllâ posset difficultate, si vellet. Id est autem, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire quod rectum sit: & qui rectè facere cùm posset, noluit, amittat posse cùm velit.* Patet nunc quæ sit Augustini mens; quam fusiùs inuestigare operæ pretium esse duxi, vt puluisculum illum exiguum, qui claritati pulcherrimæ sententiæ aliquomodo officiebat, detergerem: vnde manifestè eluceseeret, quid tantus Doctor de ignorantiâ inuincibili, quæque nullo dolo malo contracta sit, illo quem adduxi loco, judicaret. Iudicat autem inculpata cùm est ignorantia, & eiusmodi, *quæ caueri non potest*, id est quæ est inuincibilis, id quod ex eâ committitur, vitio aut culpæ nullo modo verti posse.

35. Illa autem ignorantia talis est, cui neque causa est malâ fide data, neque occasio quæ culpari possit; ac proinde non est affectata: & jam eiusmodi est, vt de peruersitate judicii aut errore in quo versatur Conscientia, nulla aut ratio aut dubium incidat, quo animus à judicii sui constantiâ dimoueatur. Ea certè vinci aut superari ignorantia non potest, quamdiu non apparet aliquo jure oppugnandam. Hâc sanè ratione passim Sancti Patres & Interpretes, Patriarcham Iacob à crimine absoluunt, licèt dolo malo Labani deceptus, ad Liam accesserit, alienisque complexibus operam dederit, quam fide bonâ in Rachele, conjuge legitimâ, existimabat impendi. Laborabat enim ignorantiâ inuincibili; quòd cùm alienam fidem ex suâ metiretur, vir antiquæ fidei summæque probitatis, nullo modo crederet perfidiam tantam in patrem prostitutæ cadere posse; adeoque nullo modo dubitaret, quin legitimi tori jure frueretur.

36. Restat nunc *tertium* erroris genus, quòd meram, *incogitantiam*, dicebamus. Verùm de hâc nihil peculiare dicendum restat. Istud tantùm est repetendum, eas quæ ex illâ oriuntur actiones, si bonâ

Facta ex inculpabili incogitantia peccata non sunt.

si bonâ præstantur fide, etiam semper esse innocuas. Hinc si verè quis non meminerit diem esse veneris, subitoque partem carnis, ne morâ temporis, aut calore æstatis corrumpatur veritus, aut alia cogitans, ori inserit & comedit, neque interim vlla præcepti occurrit memoria; innocuum est quod agit, & præcepti violati nec culpâ nec pœnâ inuoluitur. Eadem est enim huius ignorantiæ, quæ præcedentium ratio: sustulit namque id quod ad peccati formam requiritur, nempè voluntarium. Neque ad rem facit si dicas, *æquiparari in iure, scire & debere scire.* Item, *ignorantiam iuris non excusare.* Nam fori externi & politici sunt hæ regulæ. In hoc enim ex præsumptionibus agitur, internas hominum actiones discernere Iudici cùm non detur. Præsumitur autem is scire jura, qui ea debuit non ignorare. Hinc ea si infregerit, sciens & ex proposito illa violasse, in humano foro censendus est. In foro autem interno, sicut Conscientiæ, quæ actionum omnium judex est, constare potest, an omnia fide agantur bonâ; an ignorantia verè fuerit inuincibilis an affectata; an incogitantia innocua fuerit, an contrà falsò infractæ legi prætendatur; ita etiam legitimè potest sententiam ferre, & ignorantem se, à violati juris, quod ignorabat, crimine ritè absoluere.

§. VI.

An detur ignorantia aliqua juris naturæ, & quæ? Probatur dari.

Datur ratio cur hæc quæstio particulatim proponatur.

QUamquam autem ea quæ à me exposita sunt, plana sint adeò & manifesta, vt nullâ ratione bonâ à quoquam possint refutari: & verò in tribus ignorantiæ generibus, ab omni Catholico homine ferè admittantur; tamen duæ difficultates ignorantiæ juris naturæ obuoluuntur, quas penitus exequi non est animus, cùm is grauissimorum Theologorum fuerit præclarus labor: neque verò libet toties acta agere, aut sarcinas meas instruere de alieno, cùm id non sit necesse. Dissimulare tamen eas omninò non possum, ne quidquam sedulus Lector requirat hâc in parte, quod ad Conscientiam moderandam requiritur. 37.

Fortassis

Fortassis etiam non paruo vsui erit hæc dissertatio, vt fucus detrahatur aliquorum licentiæ, qui dum magnificis verbis, mortalium Conscientijs sese dicunt consulere, turbant omnia, & sacra & profana, & quod ipsis pejus est, se. Modestè itaque agamus omnia: ita vult Paulus: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*: quod iis præcipuè incumbit, qui modestiæ facti sunt, aut haberi volunt pro essores. Multa enim in hâc materiâ de quâ agimus, acta sunt & dicta ab aduersariis satis perperàm. Multorum, inquam, in Ecclesiâ excellentium virorum prosciſſa fama, calumniis, & quidem immanibus impetita virtus, arrosi mores: quibus non habeo quod respondeam, nisi turpe admodùm esse, veritatis inquirendæ prætextu, Christianam charitatem tam enormiter violari. Et quamquam durioribus verbis eiusmodi iniurias possem refellere; tamen vti rectè de se dicebat Tullius, non tam meminisse debeo quid eiusmodi homines mereantur audire, quàm quid me deceat dicere, & calumniatoribus objectare. Igitur rebus agamus rem, non dicteriis aut calumniis.

Non satis modestè hanc tractant aduersarij.

Ad Phil. 4. v. 5.

38. Itaque quamuis in aliis admittendis nulla sit difficultas, gemina tamen in iuris naturalis ignorantiâ objicitur. Primò enim negant nonnulli, vllam dari huius iuris ignorantiam, cùm ipsi naturæ inserta sit lex, eique coæua: itaque volunt omnem juris naturalis ignorantiam esse vincibilem aut affectatam, ac proinde numquam à peccato excusare. Atque de hac quæstione satis modestè disputatur. Altera ab aliis agitur turbulentiùs. Nam quamuis eam dari admittant, dicunt tamen eam à peccato neminem prorsus excusare; nouitia esse Theologastrorum similia docentium commenta, perniciem bonorum morum, Theologiæ veræ destructionem, cœcos esse & duces cœcorum hæc qui populo imponunt; & multa in hanc sententiam, quæ mox videro. De primâ quæstione agamus modò.

39. Ac primò quidem, dico cùm Vasquez, generalium legum naturæ non dari ignorantiam inuincibilem. *Posset quidem*, inquit, *aliquis eas non considerare*; *at verò aliquo modo ignorare non posset.* Ratio autem ea est quæ modò allata est; nempè quod lex illa naturæ rationali sit ingenita; quodque primum fundamentum sit è quo actionum humanarum petenda sit honestas. Et sicut aliarum scientiarum prima quædam sunt principia, quæ nec demonstrari possunt, nec ignorari ab eo, qui eam scientiam, cuius

Non datur in homine ignorantia generalium legum Naturæ.

Vasq. in 1. 2. disp. 122. c. 2.

hæc ſunt principia, profitetur; ita & hæc ſunt eiuſmodi fundamenta, quibus rationalis vitæ & commercii facultas omnis & ſcientia, quam ratio ab homine exigit, incumbit. Quæ proinde nec demonſtrari vlteriùs debent, nec ſine naturæ rationalis vitio & ſubuerſione, poſſunt ignorari. Atque ad hanc legis naturæ & Decalogi ſcientiam generalem, reuocandæ ſunt Patrum ſententiæ, quibus aſſerunt legem Dei inſcriptam in cordibus noſtris, Decalogi præcepta ignorari non poſſe, & multa in hanc rem; quæ quidem affatim congerunt aduerſarii labore magno; credo vt folia impleant & auctoritatem ex tantâ ſententiarum farragine ſibi concilient; fructu verò nullo, ſi iis ignorantiam omnem juris naturalis velint excludere: quandoquidem generalem illam primorum principiorum naturalium, quæ Decalogo continentur ſcientiam, de quâ ſolâ loquuntur Sancti Patres, naturæ minimè denegemus.

Aduerſarij magno apparatu auctoritates SS. Patrum congerunt, vt probent res claras & quas ad mittuntur ab omnibus.

Aſt verò (quòd & in aliis ſcientiis ſæpiſſimè contingit,) vt ex primis principiis quæ ab omnibus cognoſcuntur, conſecutiones multæ & conſequentiæ deducuntur, quas non omnes æquè facilè intelligunt, aut præ mentis hebetudine, aut quòd è primis principiis ratiocinationem non rectè inſtituant ipſi, aut ab aliis inſtitutam non percipiant: ita fit ſæpiſſimè, vt conſequentias è primis naturæ rationalis principiis, quæ nemo ignorare poteſt, legitimè quamuis deductas, multi non intelligant: aut quòd tardo ſint hebetique ingenio, aut quòd reipsâ obſcuriores ſint, quàm vt paſſim intelligantur, aut etiam quòd ipſis numquam ſint propoſitæ. Atque hæc eſt ipſiſſima D. Thomæ ſententia, quam clariſſimis exponit verbis. *Huiuſmodi*, autem inquit Vaſquez, *ſunt præcepta contra delectationem moroſam in materiâ venereâ; vnius vxoris & perpetuitatis matrimonii*, adde & voluntariæ pollutionis, præſertim valetudinis conſeruandæ prætextu; imò & fornicationis, cuius ignorantiam inuincibilem dari poſſe agnoſcit D. Thomas, prout antè vidimus, atque alia eiuſmodi. Hæc, inquam, & ſimilia, quamuis ſint juris naturæ, aliquando & quidem inculpatè ignorantur. 40.

Datur tamen ignorantia earum legum, quæ ex primis, per conſequentiam deducuntur.

D.T.1.2. q.94.a.4.

Hic n. 23.

Quid enim? an ea omnia tam euidenter educuntur ex primis naturæ principiis, aut ex præcepto *Non mœchaberis*, vt ea rudis quiſque exinde poſſit ſuo marte deducere? certè eiuſmodi ſunt hæc, vt acutiſſimus quamuis ingenio Theologus Durandus, hâc in parte 41.

Probatur primò ratione.

Durand. in 4 dist. 38. q. 2. in parte cœcutiuerit; adeoque non viderit euidentes esse has consecutiones, vt etiam negauerit fornicationem simplicem naturæ jure esse prohibitam, sed mero jure Diuino positiuo. Ignorauit itaque consequentiam hanc Durandus, absque dubio non malâ fide: errarunt etiam in determinandis aliis juris naturæ legibus viri Sanctissimi, qui de quibusdam in vtramque partem acriter disputarunt. Vnde est euidens, alterutrum saltem Theologorum dissertantium, jus naturæ in propositâ quæstione ignorasse. Et erit quisquam qui dicere audeat, hæc quæ tantis viris fuerint obscura aut ignorata, ab hebeti & rustico ingenio, quique numquam ratiocinando consequentiam vllius momenti pertexuit, ignorari non posse, aut certè ignorantem esse ex crimine? Vnde enim ista potuit edisce re, qui nec suo ingenio id potuit assequi, nec vllum prorsus habuit qui hæc ignorantem edoceret?

42. Et verò cùm hæc quæstio non à Theologis petenda sit (nullus enim locus in Theologiâ est ex quo ea dissolui possit) experientiam ipsam, quæ vtinam quotidiana non esset, præcipuè consco consulendam. Quæritur an dari possit aliqua inuincibilis ignorantia juris naturalis? At à quo id quæritur? nempè à viro docto, & juris omnis apprimè gnarò? Abs re id est. Non enim id petendum est, vir doctus quid sciat, sed homo rudis quid ignoret; atque inde judicabimus ignorare quid possit. Rudes itaque interrogandi sunt quid sciant, vt sciamus quid ignorent. Nunc verò fidem illorum, ignorantiam hanc qui negant appello; illud edicant, an numquam inciderint in hominem qui bonâ fide & merâ insciti â, quædam præcepta naturæ ignorarit? Sin etiam? quid ergo disputant fierinè possit, quod factum manibus tenent? si non; sane exiguum fuit ipsis extra scholas doctorumque subsellia, cum hominibus commercium; raras admodùm rudiorum confessionibus aures præbuêre. Vasquez certè de se alia testatur. *Secundò probatur experientiâ.*

Vasquez supra. *Vidi ego*, inquit, *rusticum aliquem, qui pium existimabat, ægrotum iam iam morituru m, ne diu dolore mortis detineretur, in aliam partem verſare, vt citiùs animam exhalaret: nec vmquam id sibi illicitum, imò pium & honestum semper apparuit: quem sanè facto sufficienter examine, mihi persuasi ignorantiâ inculpabili laborasse.* Nota est passim Hispani hominis inculpata insciti a, qui Diuini honoris, & Ecclesiæ, saltem in cœlis amplificandæ, imprimis appetens, Maurorum

Rusticus apud Vasquez.

Hispani occidentis fueros Mauros à se Baptizatos.

rorum infantibus pias, vt quidem sibi persuadebat, ponebat insidias; clanculum à parentibus abductos sacro Baptismi fonte abluebat; & mox nè in Mahometis castra, parentum educatione concederent, trucidabat: mente adeò securâ, vt superis, si placet, innocenti infantium sanguine, religiosè admodùm libasse se crederet. Cætera de genere hoc adeò sunt multa, vt nemo vnus sit qui rudium tractauit animos, qui cùm hæc leget, non plurima talis ignorantiæ exempla possit experientiâ suâ doctus suggerere.

Aliorum in quos ego incidi.

Certè plures inueni ego, quibus numquam innotuerat, mollitiem inter lethalia peccata reputari; imò qui ne minimum quidem peccatum esse suspicabantur. Vnde enim scientiam hanc hausissent; qui honestissimâ in domo enutriti, ne verbum quidem inaudierant, quod castis auribus esset offendiculo? Neque exinde criminis suspicionem aliquam ipsis inhæsisse arguas, quòd alienos oculos subterfugerent, infanda hæc dum committebant: multæ enim actiones subtrahuntur oculis, quæ tamen cùm exercentur, minimè vertuntur crimini. De horum genere credebant has sordes esse; & sic per meram ignorantiam, in multos annos excreuerant cum ætate vitia. At inquies, inculpatam fuisse ignorantiam quis spondebit? Ego sanè spondeo. Nam vt primùm de crimine sunt edocti, ita cohorruerunt animo & verò etiam corpore, vt stupor ipse, & Dei quem credebant offensi reuerentia nullam mihi de præcendente ignorantiâ, & quidem inculpatâ dubitationem relinquerent. Prætereà subsecuta emendatio fidem fecit indubitatam. Tantus enim eos, non ingrati cæteroquin criminis horror inuasit, crimen esse vbi intellexêre, vt per multos annos istud committere in animum numquam induxerint; tantùs erat Dei offendendi timor, tanta religio. Et hos credat quis, pacatè tranquilleque vixisse cum offensi tam enormiter numinis Conscientiâ? barbarus sim & humanitatis omnis exors, hoc si judicem. Quinimò eorum vnus, ne quidem primos, ad repetendum cui diu assueuerat crimen, impulsus naturæ postmodùm vmquam persensit. Adeò sanctus hic horror præteritorum scelerum imagines fugarat. Quòd sanè, inculpatam prorsus ignorantiam fuisse, euidentissimum facit argumentum. Maneat igitur decisum penitus, aliquarum legum quæ juris naturæ sunt, ignorantiam dari posse inculpatam, quæ prima erat quæ-

43.

stionis

stionis propositæ pars. Ad secundam transeamus, in hac turbarum est plusculum: pacatè agendum est tamen, ne si clamem, turbas augeam. Clarè tamen loquendum est, vt intelligar.

§. VII.

Ostenditur expositam hanc ignorantiam inculpatam Iuris naturæ, excusare ab omni culpâ ea, quæ ex illâ committuntur.

44. ALterum quæstionis caput erat, an ignorantia inuincibilis Iuris naturæ, quam dari posse ostendimus, etiam à culpâ excuset actiones quę eam consequuntur. Vniuersim id affirmauimus, iisdē inducti rationibus, quibus id de tribus reliquis ignorantiæ generibus est ostensum. Hîc verò nonnullis mouetur stomachus, iis inquam, qui sese Augustini cuiusdam gloriantur esse sectatores; sed recentis admodum atque hesterni. Vt vt sit, assurgunt atrociter; & tam multa ingerunt in veram sententiam dicteria & scommata, vt præ iis eorum antesignanus planè fuerit modestus. Singula refellere non est animus, aut lubentia.

45. Astistud imprimis peto, cur neotericam aut nouam hanc doctrinam esse dicant, & quasi nuper adinuentam à quibusdam, quos, ne Theologos nominent, modò *Probabilistas*, modò per contemptum *Casuitas* vocat nescio quis ficto nomine Wendrockius, aliique huius farinæ homines, cùm tamen Iansſenius ipse fateatur *videri generale Scholasticorum pronuntiatum, quod quidquid ex inuincibili fit ignorantiâ, hoc ipso culpâ vacet.* Fatetur id etiam ingenuè, sed & deplorat impiè, harum omnium turbarum primus auctor Lutherus. Hæc eius verba sunt. *Scholastici inuincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, quæ simpliciter à toto excuset; id est peccatum omne tollat. Tanta cœcitas est in Papæ scholis, & Ecclesiis.* Ecce, vt vniuersalem fuisse hanc doctrinam suo quo viuebat tempore Lutherus ingemiscat. Non igitur à Casuistis temerè adinuenta & conflata, quos heri natos, vt auctoritatem iis adimat asserit idem Wendrockius. *Decem* inquit *ac quinque sæculis Ecclesia floruit, antequam hæc Casuistarum seges exoriretur.* Quasi verò eius secta, de auitâ sibi antiquitate possit ablandiri, quam nuper, fungi instar, vna nox peperit; & quod peius

Ignorantiã iuris naturæ inuincibilem à peccato excusare non est recenter ad inuenta sententia.

Ianss. to. 2. l. 2. c. 2.

Lutherus in c. 12. Genes.

Wẽdroc. in nota 1. ad epist. 5. sec. 6. §. 3.

est, sola nox protegit ac conseruat. Cur enim nomen suum Wendrockius non prodit? cur degit in tenebris, si filius lucis est? an vt tutiùs, veluti ex latebris, optimum quemque telis petat; eò quòd fortassis in hâc materiâ, tutiorem partem iudicat esse amplectendam? Bene ipsi sit. Verùm cum hoc homine Tractatu sequenti agendum erit paullò prolixiùs. Illud tantùm jam cursim dico, non esse neotericam eam doctrinam, nec â Casuistis inuentam; quos cùm à seculo vno & dimidio tantùm incepisse nugetur Wēdrockius, certè circa Lutheri tantùm tempora eius judicio inceperunt efflorescere. Atqui jam tum, eam fuisse Scholasticorum sententiam, eamque in Papæ scholis & Ecclesiis Lutherus asserit floruisse: itaque malè admodum, inuidia, quasi recenter adiuuentæ doctrinæ, Casuistis affingitur, quos, cùm ea maximè vigebat, asserunt in rerum naturâ non fuisse.

Sententia contraria malè vocatur Catholica.

Secundò istud iam quæro, cùm non neoterica sit hæc doctrina, nec paucorum, sed Ianssenius ipse fateatur esse *generale Scholasticorum effatum*, & Lutherus in *Papæ scholis & Ecclesiis*, nempe Papæ penitus inualuisse; quæro inquam, quâ fronte idem hic auctor oppositam, hoc est Lutheri, audeat *Catholicam* id est vniuersalem nominare, & quidem tam *Catholicam doctrinam, vt ea Aristotelicis argumentis & argutiis non nitatur, vel terreatur; sed è Scripturis sacris hausta, majorumue traditione ad nos* (potius dixisset ad se) *transmissa, aduersus omnes huiusmodi machinas stet immobilis & inconcussa.* Magnifica quidem hæc sunt verba: sed istud non satis capio, cur eandem mox & sæpe alibi, vocet *arcanam & tremendam doctrinam*; ipsissima eius sunt verba. Tremendam atque horrendam quòd eam nominet, hoc satis intelligo: verùm *arcanam* quòd vocet, quam tamen asserit esse *Catholicam*, hoc inquam satis non capio. An ergo arcanum est dogma quod est Catholicum, hoc est quantum ego intelligo, de fide & à Catholicâ Ecclesiâ vniuersim approbatum? si verò sic approbatum non est tremendum istud & arcanum dogma, quo pacto est Catholicum? Atqui ante sua tempora in Papæ Ecclesiis receptum id non fuisse, clamat Lutherus: neque post modum fuisse receptum à Scholasticis, fatetur Ianssenius; quo modo igitur est Catholicum? An ergo per tot sæcula, tota cœcutiit Papæ Ecclesia? Hæc sanè Lutherus inter suos infrunito ore deblateret. Ast hæc tam cōfidenter à Catholicis in Catholicâ dici Ecclesiâ, id certè piç aures

46.

Ianssen. ibid. c. 4.

non

non ferunt, in summis enim tenebris fuisse Papę Ecclesiā, imo nec Ecclesiam quidem Christi fuisse, fateamur necesse est, *cui dogma à Scripturis sacris haustum, majorumque traditione ad nos*, (id est Iansenium) *transmissum* non innotuerit; itaque in errore prorsus fuit, extincta igitur fuit aliquando vera Ecclesia, in quam tamen
47. non cadit neque macula neque ruga.

Valde temerarium est dicere Theologos omnes passim errasse.

Nequaquam inquies, errauit Ecclesia: errarunt Scholastici. Audio, at non de scholis modò, sed & de Ecclesiis Papæ id vniuersim asserit Lutherus. Et verò, an non omnes Theologorum quotquot toto orbe sparsæ sunt scholæ & Academiæ, illustris admodum est pars Ecclesiæ? & has omnes in Catholico, & à majoribus tradito dogmate tam turpiter errasse per plurima sæcula, consciis Summis Pontificibus, & errores tam palpabiles tolerantibus, cuiquam potest esse credibile? Quid, quòd & plurimos ex his Scholasticis sententiæ suæ immortuos, in Sanctorum numerum retulerit Ecclesia? An verò honores illos potuit decernere contra Catholicum dogma palàm sentientibus, nisi & ipsa Ecclesia insigniter cæcutierit? certè cæcutiisse affirmat Lutherus. An verò à Catholico homine ejusmodi dicta dici queant, sine summâ impudentiâ, ipse viderit qui id dicet. Ego verò non video, quâ mente Lutheranum illud Caluinianumque dogma, in quo sese de Ecclesiâ triumphare putidè & impudenter gloriantur hæretici, quis audeat in Ecclesiâ Catholicâ, Catholicum affirmare; & quo pacto tamen apud Catholicum aliquem fidem inueniat. Nescio inquam quò hæc vergant.

Male etiā dicitur esse Augustini.

Iam verò cùm de majorum traditione tam præsidenter fiat mentio; istud peto tertiò, à quo hæc doctrina sit tradita, & per
Iansſ. ibid. quos transmissa? Ab Augustino, inquit Neotericus, & Hieronimo & Concilio Palæstino *quantùm excussis magno labore diligentiâque principiis & anfractibus doctrinæ ipsius mihi iudicare licet.* Verùm vt omnia quæ ab Augustino asseruntur indubitata essent & Catholica dogmata, quod nemo dixerit; qua ratione fidem faciet hic Neotericus Augustini sensum sese omni fide percepisse? quid si in *anfractibus* vt vocat Augustinianæ doctrinæ miserandum in modum errarit: an tum ad suum judicium volet Ecclesiæ atque orbis communem sensum reuocare? Aut fortè Scholasticos ante se omnes, numero vt sic dicam infinitos, sapientiâ toto orbe celeberrimos, sanctitate conspicuos, autumat aut tam segnes fuis-

se vt Augustinum non legerint, aut tam hebetes vt non intellexerint, aut tam peruersos vt agnitam veritatem per meram peruicaciam impugnarint? Horrori sanè est talia cogitare: quæ tamen cùm ex arcanâ illâ doctrinâ liquidò consequantur, non abs re est, quòd eam auctor ipse aut potius eius suscitator, doctrinam dixerit esse *tremendam.*

Ad omnia ex Augustino obiecta loca responsum est sæpius.

Non tamen hîc hæreo: verùm istud dico; à præstantissimis Theologis examinata esse & discussa omnia, quæ ex DD. Augustino, Hieronimo, & Palæstino Concilio congerit, responsumque esse ad omnia; illudque demonstratum, sensa Augustini perperam esse intellecta; inuersa, distorta omnia; neque auctorem hunc tam veram doctrinam ex Augustino discere, quam suam ante animo præconceptam in Augustino inuenire voluisse; aut saltem eam Sanctissimo viro affricare, vt eius contactu aliquid ei splendoris adiiciat. Ostensum est inquam, numquam docuisse Augustinum, facta per inuincibilem ignorantiam juris naturalis peccata esse propriè dicta, seu quæ agenti possint verti vituperio, & æternis ignibus castigari; sed peccata esse impropriè, seu errata quæ ex vitiatâ per originale peccatum naturâ profluunt, quod vnicè negabant Pelagiani ne Originale peccatum cogerentur admittere, & quod omni studio assertum veluti dogma Catholicum, volebat Augustinus. Ostensum est pluribus quæ afferuntur locis, de iis quæ per ignorantiam affectatam, aut aliquomodo vincibilem perpetrantur, loqui Augustinum, non verò de iis quæ per ignorantiam inuincibilem committuntur. Denique nullus est locus, nulla auctoritas, quam non ex mente S. Augustini, Hieronimi, & Concilii Palæstini, Catholicè planè atque euidenter explicarunt, Ripalda tom. 3. de ente sup. Disp. 10. Moraines in Antijansenio. disp. 16. Annatus in Augustino à Baianis vindicato lib. 6. toto. & denique vt antiquiores eosque celeberrimos Theologos omittam, recenter & quidem acutatissimè Ludouicus Scildere de Consc. tract. 2. c. 1. §. 2. Nihil intactum permittunt doctissimi hi acutissimique viri; difficultatem omnem amoliuntur, quidquid obscurum est dilucidant. Et tamen quasi si nihil ab his actum esset, rursus nouis libellis, etiam vernaculâ linguâ, vt sibi plausum faciant, conscriptis, eadem ingerunt, eandem semper trahentes serram, Augustinum obiiciunt, Augustinum obtrudunt, bene an malè id quidem perinde

Quæ fiunt ex ignorantia inuincibili errata sunt seu peccata impropriè, non vero propriè, seu quæ pœnam meretantur.

Ripalda Moraines Annatus. Scildere.

Aduersarii semper eadem argumenta proferunt, quantumcumque eis respondeatur.

inde est, modò nomen Augustini populus exaudiat. Quid facies huic hominum generi? si centies iis respondeas, dissimulatis responsionibus centies sua protrudunt. An hoc demum non est veritati fucum facere, & non tam veritatem inquirere, quàm eam clamoribus velle pessumdare?

50. Rursus, quàm istud sibi malè cohærens est dogma; *inuincibilis ignorantia facti* inquit, *perspicuum est* quòd à culpâ excuset *Ignorantiam quoque juris Diuini inuincibilem, à peccato immunem reddere, juxta doctrinam Augustini, verisimilius est.* At verò de inuincibili ignorantiâ juris naturæ id dici non potest. Cur non? quia hæc ignorantia ab originali peccato exorta est, inquit, & est pœna peccati. Atque hæc est *radix arcanæ illius & tremendæ doctrinæ* ita enim eam vocat. Egregium ehimuero fucum. Nam *primò*, cùm omnis ignorantia etiam facti, etiam juris Diuini positiui, error verus sit, omnisque error à statu naturæ integræ fuisset abfuturus (error enim, malum intellectûs est, & quidem maximum) sanè manifestum est, etiam ignorantiam hanc ab originis peccato profluxisse. Cur non igitur æquè peccata sunt ea quæ ex ignorantiâ hâc committuntur, quàm quæ ex ignorantiâ juris naturæ? *Secundò*: an omnia quæ ex vitio naturæ corruptæ pullulant, propriè dicta peccata sunt? Profectò motus omnes concupiscentiæ primò primi, ex corruptâ per originale peccatum naturâ obueniunt: eos compescere in manu nostrâ quòd non sit, ex illo nascitur. Et an erit quisquam tam demens, vt motus concupiscentiæ primò primos & indeliberatos, peccata lethalia esse decernat? & tamen impotentia illa, etiam pœna peccati est. *Tertiò* an omne id quòd perperam fit ex eo quod pœna peccati est, etiam peccatum propriè dictum esse quis contendat? Certè miserias omnes quibus corpora nostra nunc inuoluuntur, pœnam peccati originalis esse docet Iansenius. Cœcitas igitur quæ homini obuenit, pœna peccati est. Ita sit. At si cœcus quis, casu fortuito, per tabulata agatur præceps, seseque lapsu lædat grauiter, aut etiam interimat, an homicidium commisisse eum dicet homo sobrius, sic vt propterea æternis ignibus damnandus sit cœcus? Ridiculum id est inquies. Sic est: & tamen ex cœcitate, quæ pœna peccati originalis esse statuitur à Iansenio, ortum suum habuit hoc homicidium. Quid ergo ad rem facit, ignorantiam inuincibilem juris naturæ, pœnam pec-

Dogma contrarium male cohæret.

Ianss. ib. cap. 5.

ibid. c. 4. & 6.

Ianss. to. 1. c. 15.

cati esse aut non esse, vt ex eâ facta, dicantur esse crimina, nec à culpâ excusari possint; cùm hæc facti ignorantia à crimine reddat innoxium lapsum, qui tamen ex cœcitate profluxit, quæ non minus pœna peccati est, quàm ignorantia juris naturæ? Atque eccum radicem & fundamentum *arcanæ illius ac tremendæ doctrinæ*; quod quando D. Augustini auctoritatibus oblinitur, videtur aliquid habere soliditatis; cùm verò detegitur, apparet quàm sit malè connexum & futile.

Occurritur cuidam adversariorum calumniæ

Manum tollo de tabulâ, quam præstantissimis coloribus Theologi eximii expresserunt. Hæc tantùm rogatos velim dogmatis tam arcani sectatores; *Primò* vt Theologis illis respondeant, si ita videatur: sed noua afferant, & non decies decantata & retusa argumenta; aut certè taceant. *Secundò* cùm toties ad rauim vsque clament & repetant, per hanc, quæ tamen sana est, Scholasticorum doctrinam, omnia moralis Theologiæ destrui fundamenta, pietatem tolli, Catholicæ religionis vetustam austeritatem eneruari, atque his similia; quibus in vulgum sparsis, non exiguos excitant animorum motus, auctoritatemque sibi conciliant, quasi primæuæ pietatis assertores; illud inquam enixè ab iis postulo, vt clarè nobis edicant, quæ demum illa sint sanctissima moralis Theologiæ fundamenta, quæ vellent tantopere inconcussa? vbique ea jactitant, nusquam clarè produnt. Sanè arcana ea nobis patefaciant, vt videamus quid iis commodè possit superstrui. An autem alia sunt quàm hæc? 51.

1. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fieri.* Propos. 39. Baii.
2. *Hominem peccare, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.* Propos. 67.
3. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, esse impossibilia.*

Hæc verò si sint; fateor per communem Scholasticorum sententiam, non tantùm ea concuti, sed prorsus etiam prorui & deturbari. Verùm alia, si sapiunt, præter hæc afferant Theologiæ suæ fundamenta. Nam duo prima jam dudum à tribus Pontificibus sunt proscripta & condemnata, vt minimùm tanquam scandalosa & piarum aurium offensiua: tertium verò à duobus Pontificibus, hæresis notâ euidenter est inustum. Sed de his satis sit: quæ si non sufficiant ad peruicaciam aliquorum retundendam, vsui tamen erunt homini cordato, & veritatis amanti, vt non

vt non sinat se phaleratis & ad pompam compositis verbis facilè circumueniri.

§. VIII.

Quænam sit ignorantia culpabilis, quæ ex eâ facta, à peccato propriè dicto non excusat.

52. HÆc cùm ita sint, certissimumque sit Ignorantiam quamcumque inuincibilem, deinceps facta à peccato absoluere; illud etiam æque certum est, si per culpam contracta sit ignorantia; aut si non per culpam contracta quidem primò, per culpam tamen continuetur porro deinceps, neutiquam commissum ex eâ crimen, per eam excusari. Tacitus enim vult malum, qui istud ignorare affectat, ne deserat. Talis mali ignorantia, mali appetentia est: & in foro etiam Conscientiæ, æquiparantur *Scire & nolle scire*. Iniustum profectò appellat Sanctus Dauid eum Psal.35. v.4. *qui noluit intelligere, vt bene ageret.* Ideò nempe *quoniam dolosè egit in conspectu eius* nempe Dei; dolosè autem egit, quia fide malâ. Nemo sanè mihi persuaserit, præceptum Ecclesiæ eum non velle excutere, qui cùm ignorat quis dies sit, Iouisne an Veneris, & ignorantiam agnoscit, rem tamen dissimulat, nec ignorantiam vult dedoceri, vt carnibus vescatur; quasi verò tum eas impunè comederet & inculpatè. Nemo dicat se hæresis suæ erroribus intricari non velle, qui Fidei veræ & Catholicæ, cuius passim audit elogia, doctrinam examinare negligit, ne hæresis suæ fallacias tandem agnoscat. Ignorans vt sit, suâ culpâ ignorans est; & sic, suo etiam malo & scelere, erroribus implicatur. Nemo etiam sibi persuadeat, impunè se multa quæ ad salutem necessaria sunt ignorare, qui, vt ea non audiat, sacris cœtibus & concionibus abstinet; neque dicat se nescire agendum quid sit. Scire enim agenda cùm non vis, nolle te quæ agenda sunt agere, manifestè conuinceris. Non vis enim quod primum in agendo est; hoc autem est; agenda scire. Multò etiam minùs à scelere extricaberis, si ne ad Conscientiæ quidem te edocentis aculeos vis attendere, vt tibi de ignorantiâ ineptè blandiaris.

Ignorantia affectata aut vincibilis numquam à peccato excusat.

Quæ sit ignorantia affectata.

Sanè

Minima mali suspicio, bonam fidem actionis faciendæ tollit.

Deus non patitur eos qui bona fide agunt, diu ignorare quæ sciẽda sunt.

Ignorantia Lacedæmonum circa adulteria, in plerisque fuit affectata.

Sanè dicendum est clarè. Prorsus credo ego ignorantiam juris positiui & facti, plurimùm inter humana commercia peruagari: at verò ignorantiam juris naturæ, præsertim in iis actionibus quæ pudorem & verecundiam secum ferunt, quamuis aliquos aliquando occupet, tamen passim aut non diu durare, aut esse plerumque aliquo modo affectatam. Bonam enim hominum fidem cùm videt Deus, adeo est misericors, vt ignorantiam in quâ versantur inculpatè, aut magistro aliquo & directore, quasi fortè submisso patefaciat; aut etiam Conscientiæ immissis stimulis dubitationem aliquam menti iniiciat. Hæc autem quantumuis minima, si inciderit, inquirenda deinceps est res, aut certè de bonâ fide & de inculpatâ ignorantiâ quod te palpes, non est. Hanc ob causam licet Plutarcho teste in vitâ Lycurgi, apud Lacedæmones, contra jus naturale, adulterium judicaretur esse licitum, tamen inquit Vasquez, *horum ignorantia culpæ imputabatur. Nam vel semper aliquis timor Conscientiæ remansit; vel certè nimiâ peccandi consuetudine extinctus fuit. Forsan in paruulis qui ab aliis docentur, pro aliquo tempore aliquorum præceptorum ignorantia contingere posset, at toto vitæ tempore non potest; quia semel aut iterum pulsabit animum fœditas & turpitudo peccati.* Ita præclarissimus ille Theologus. Et verò plerumque scelerum tam enormium affectatam esse, vti licentiam, ita & ignorantiam, acutè sane colligit Seneca ex ipsâ quâ teguntur & negantur sollicitudine. *Alioquin vt scias* inquit *subesse animis etiam in pessima abductis boni sensum, nec ignorari turpe, sed negligi, omnes peccata dissimulant.* Vt quid autem dissimulandum est, quod ne suspicione quidem turpitudinis vllius inficitur? bonæ fidei signum est euidens, facti prompta confessio; malæ verò, tergiuersatio. Atqui si vel minimâ mali suspicione tangeris, manifestum id est, te neque quod ex tali ignorantiâ suscipiendum suadetur opus, sine culpâ posse aggredi; nec si inceptum fuerit posse prosequi, nisi re bene examinatâ error aut ignorantia penitus deponatur. 53.

Vasq. in. 1. 2. disp. 100. c. 4.

Sen. epist. 97.

Finem facio. Sufficienter etenim videor mihi demonstrasse quod ab initio fuerat propositum, Conscientiæ, quantumuis per errorem, actionem aliquam indubitatè & sine hæsitatione vllâ imperanti, obsequendum esse penitus: permittenti verò, & ex ignorantiâ inuincibili at innoxiâ licitum judicanti, impunè credi

credi & sine scelere. Deus det omnibus & scientiam agendorum, & promptam benè agendi voluntatem; qui tam facilem sese præbet, infirmitatique nostræ tam accommodum, vt præceptorum suorum scientiam, Conscientiæ nostræ bonâ fide agenti; eorum verò executionem, voluntati promptæ commendarit.

TRACTATVS IV.

DE CONSCIENTIA EX PROBABILI OPINIONE FORMATA.

Omne quod ex fide non est, peccatum est. *Ad Rom.* 14. v. 25.

Conscientiam in actionibus suis dirigendis, opinionem verè probabilem sequi posse sine vllo prorsus crimine.

PROOEMIVM.

EXposito vtcumque onere, quod voluntati incumbit, sese inclinandi in eam partem, in quam Conscientiæ dictamen certum & indubitatum, etiamsi sit ex errore conceptum, eam fert: istud nunc videndum est, quid porrò agendum sit, dum primum, quòd dictamen Conscientiæ præcedit intellectûs judicium, non omninò certum est de legis obligatione aut indulgentiâ; neque vllum de rei veritate judicium ferre potest, nisi tantùm probabili ratione efformatum. Certum est enim, nihil quidquam agi posse sine crimine, nisi certò statuat Conscientia, actionem eam quæ præ manibus est non esse illici-

Agendum est quo pacto ex opinione probabilis formari debeat Conscientia, seu judicium practicum certum.

tam, ac proinde sine culpâ posse exhiberi. Verùm quo pacto id prudenter à Conscientiâ potest statui, si de legis obligatione nihil in vtramuis partem omninò constet, nisi quod vtrimque probabilibus tantùm, & non certis assequitur argumentis? Hoc nunc ago: illudque ostendendum, quâ ratione ex opinione quæ tantùm, sed verè tamen est probabilis, elici possit Conscientiæ dictamen practicum & certum, cui voluntas securè adhæreat, atque obediat inculpatè.

Magnos hac quæstio hodie in Ecclesiâ excitauit tumultus: exponitur causa.

Dabit mihi hanc veniam æquus Lector, vt materiam hanc tractem præter morem meum paullò prolixiùs. Magnos enim hæc disputatio per hosce annos toto Belgio & Galliâ concitauit animorum tumultus: quos quidem exacuisse videtur peruersa huius materiæ in populum sparsa explicatio, & nimium fortasse omnia admordendi & conuellendi studium; idque, nescio quo veteris Ecclesiasticæ austeritatis, pulchro quidem, sed falsò prætextu. Hinc fit vt omnia sese componere populo cùm persuadent, non nisi maximos cieant tumultus, quibus & pax publica Ecclesiæ, & Conscientiæ priuatæ tranquillitas penitus perturbetur. Exponam itaque rem totam, & vti spero eâ claritate, vt, quamuis Theologica sit, nemo tamen vnus sit, qui eam dilucidè non percipiat; æquumque, modò partium studio præoccupatus non sit, de re totâ judicium ferre non possit.

§. I.

Proponitur status quæstionis.

QUamuis id planum sit & indubitatum, prout diximus Conscientiæ certò & sine hæsitatione actionem aliquam decernenti, promptè esse obsequendum, quantumuis erroneum sit judicium quod de obligatione, siue à naturâ, siue à Diuinis, humanisue legibus impositâ fert intellectus, modò bonâ fide & absque dolo malo agat Conscientia; à quâ ne istud quidem quærendum sit, an error ille judicii à falsitate rationum argumentorumque fallaciâ, an à legum ignorantiâ, an à merâ incogitantiâ obligationis oriatur, modò inuincibilis inculpatusque sit error, qui Conscientiæ, actionem eam, hisce circumstantiis, imperandi dedit occasionem: illud tamen etiam aduertendum est non indi- 1.

ligenter,

ligenter, sæpissimè contingere vt certum de obligatione actionis ponendæ aut omittendæ judicium, sibi effingere mens non possit. Cùm verò id accidit, vacillat intellectus, hæret Conscientia incertitudine rei quasi suspensa; & sic voluntas angitur, nescia in quam sese partem sit datura. In alterutram verò si se dederit, & res peracta si iam sit; tum rursus molestiis implectitur sanè grauissimis, eò quòd Conscientiæ suæ judicio non acquiescat; vtpotè de quo dubitari possit sincerumnè fuerit, an verò dolo aliquo aut malitiâ perturbatum. Hîc nunc difficultates aggredimur bonæ mentis, quam tamen ipsamet, quantumcumque bona sit, Conscientia reddit inquietam.

2. Vt itaque tumultus animi componamus, istud exponendum est, tum cùm non est certum & indubitatum judicium, quod de bonitate aut malitiâ actionis ponendæ fertur; siue cùm non certò constat, an hîc & nunc legibus obstringamur, quâ ratione tum formanda sit Conscientia, sic vt legitimè statuat, an actio quæ præ manibus versatur, facienda sit an omittenda. Aliud enim est judicium certum ferre de lege, an hîc & nunc obliget & vim habeat; aliud verò, certò statuere an actio hæc, circa quam versatur aut versari videtur lex, sit exhibenda. Certum est enim, vt jam dixi, numquam voluntatem quidquam posse agere sine crimine, nisi quod Conscientia certò & sine hæsitatione vllâ judicat posse agi innoxiè; illudque si Conscientia judicet inculpatè, etiam vbi lex obligat, inculpatam nihilominùs esse voluntatem, judicio tali Conscientiæ si adhæreat. At quid si Conscientia ipsa, de legis obligatione dubitat, aut non planè est certa, quo pacto tum poterit certò & indubitatim statuere, actionem illam aut præstandam esse omninò, aut planè deserendam, cùm ei de legis in alterutram partem obligatione planè non constat? & tamen sine hoc Conscientiæ decreto & sententiâ, scilicet an agendum sit an non agendum, nihil aut agere aut non agere licitum est voluntati, nisi in errores grauissimos & crimina vult deuolui. Hic nodus est, hæc difficultas.

Aliud est judicare an lex obliget necnè, aliud verò an actio præstanda sit nec ne.

Sine secundo judicio nihil agitur recte.

3. Quam vt expediamus, dicendum est duobus modis posse contingere, vt de legis obligatione Conscientia judicium certum ferre non possit, sic vt incerta sit aut potiùs non certa. *Primò* quidem, si in neutram partem rationes vllæ ei occurrant, per quas possit decidere an legis adsit obligatio, an non adsit: aut si occurrant

Incerta potest esse Conscientia de obligatione legis, eò quòd verè dubitet.

currant aliquæ, iis tamen ita irretitur, vt suspensus hæreat animus & planè incertus; sic vt nihil prorsus audeat, aut etiam ratione bonâ possit statuere. Non enim rectè dicet, aut est aut non est, obligat lex aut non obligat. Sic, vt me dixisse memini, qui nocte Iouis inter Venerisque diem subitò expergefit, non potest discernere an lex abstinendi à carnibus obliget an non obliget: & si die Veneris sacris operari statuerit, prorsus incertus est, an bibendo jeiunium naturale possit soluere, an verò potui indulgere. Quamdiu sic hæret quasi suspensa Conscientia, vocatur dubia. Potiùs dicenda esset nulla; nihil enim de legis obligatione judicat. Quod si autem suspenso sic judicio, voluntas in actionem prorumpat, procul dubio agit perperàm. Nihil enim adhuc de actione ponendâ aut omittendâ decreuit Conscientia: & tamen solum hoc decretum impunè voluntas sequitur, sic vt criminis exors sit. Sine decreto enim Conscientiæ, id est, sine actionis benè faciendæ firmo judicio si voluntas operatur, peccandi se periculo spontè exponit. Perinde autem est peccatum adamare, & eius perpetrandi manifesto periculo sese committere. Quomodò autem, cùm de legis præcepto dubia est Conscientia, sese debeat gerere, & quid de actione circa quam versatur lex, ponendanè sit an omittenda debeat judicare, id deinceps Tractatu sequenti disputabimus.

Item potest non certa esse Conscientia de legis obligatione, ob rationes probabiles vtrimque occurrentes.

Secundò, judicium quod Conscientia de legis vi sibi efformat, 4.
potest esse non certum, quod etiamsi rationes habeat bonas & vrgentes, quibus inducitur, vt credat rem ita esse, & jus à lege stare; tamen etiam alia obuoluantur argumenta, neque tenuia aut minimi ponderis, quibus non ineptè induci possit, non vrgere legem, suamque voluntati stare agendi aut non agendi libertatem. Hæret hîc rursus intellectus; aut si vni parti adhæret, ita adhæret vt non aliquâ errandi formidine percellatur. Quid hîc itaque aget voluntas? nam vti primâ fronte apparet, Conscientia nullum de actione, præstandane sit an omittenda, certum potest eo casu ferre judicium: & tamen sine hoc judicio præuio, nihil à voluntate rectè fit. Rem claritatis causâ familiari explicemus exemplo. Antecineralis diei nocte, mensæ accumbitur, editur opiparè. Nox interim circa vmbilicum est; non longè abesse videtur hora noctis duodecima, quæ bacchanales dies à Quadragesimâ dirimat. Aures erigis, campanæ, horam designantis,

Exponitur tota quæstio familiari exemplo.

tis, ictus vt excipias. Cùm ecce in æde D. Petri duodecimam horologium isthic in turri expositum designat; eodem ferè tempore, quo medium duodecimæ, horologium in D. Pauli campana proclamat. Hîc nunc hæret Conscientia quid de lege carnes post duodecimam vetante statuendum sit, an eo temporis momento obstringat nec ne. Quid agent conuiuæ? Non enim liquidò & certò potest statui, horam esse duodecimam, ac propterea legem obstringere: nam licèt id ratione bonâ dici possit, quòd sic ferat D. Petri horologium, tamen non esse nisi medium duodecimæ, etiam ratione optimâ potest statui, ac ideò carnium vescendarum libertatem persistere; quòd pro eâ stet Horologii in D. Pauli testimonium; vtrumque autem eiusdem esse statuo apud omnes illius vrbis ciues, fidei, auctoritatis & famæ. Quæro, inquam, quodnam eo casu judicium certum & indubitatum ferre possit conuiuarum Conscientia; non quidem an sit an non sit hora duodecima; istud namque certò ferre non potest, cùm rationes sint vtrimque eæ quæ certitudinem mutuam elidant: sed de esu carnium? protrahendumne statuet conuiuium, an illicò abrumpendum?

Quæritur quid agendum sit eo casu.

5. Ego verò inquies, sequerer id quod tutius est, carnibusque abstinerem, neque legem infringendi periculo me exponerem. Rectè id ageres, præsertim in hôc casu, in quô si carnibus abstineas, nullum aut sanè exiguum secuturum est incommodum. Ast istud quæro generatim, an obligatio homini incumbat agendi semper id quod est tutius; & vtrum peccandi periculo se exponat, id si non agat? Et quid si tutiora amplectentem, grauissima certò certiùs incursura sunt incommoda? Quid si, inquam, rationes bonæ occurrant quibus contractus aliquis ostendatur vsurarius, aliæ verò ab vsurâ absoluant; quid si de amplæ hæreditatis aditione vtrimque ratione bonâ disputetur; quid si de beneficio Ecclesiastico lis sit, an simonia aliudúe vitium donationem infecerit, & vtrimque stent rationes non exiguæ; an illicò rescindendus est contractus, illicò cedendum est hæreditati, illicò dimittendum est Beneficium, aut jus illud acquirendi? Nemo sanè id fecerit, ne illi quidem, qui tutiora pleno ore clamitant semper esse amplectenda. Atqui tutius semper est in his euentibus juri cedere: ab omni enim injustitiæ, etiam materialis vt vocant periculo, per cessionem Conscientia extricatur; cui exponi videtur, si jus suum

An tutò agendum sit id quod tutius.

probabile prosequatur. Verùm suspendite paulisper judicium, antequam quidquam de hâc quæstione decernatis. Facite mihi audientiam, rem omnem dilucidè exposituro. Atque vt ordine progrediamur, prius statuendum est, quæ sit opinionum quas Conscientia amplectitur differentia.

§. II.

Quæ sit opinio probabilis & quæ eius natura; quæ probabilior; quæ minus sit tuta, & quænam vulgò dicatur tutior.

Quid sit probabile.

PAucis rem hanc expedio; & cùm communi Theologorum consensu, dico eam sententiam probabilem esse, quæ firmis solidisque rationibus, quamuis rem neque veri neque falsi planè conuincentibus, innititur: si enim alterutrum euincitur ac demonstratur, jam id non probabile tantùm est, sed prorsus certum. Eæ verò dicuntur firmæ solidæque rationes, quibus benè expensis & discussis, homines considerate agentes beneque consiliati, prudenter solent assentiri. Opinio itaque probabilis, est judicium prudens quo statuitur rem ita esse, latum tamen cum aliquâ formidine de oppositio, seu, fortassis non ita esse vt videtur. Non igitur sufficit vt primâ fronte res ita appareat, subitoque ita esse judicetur; non enim prudens id est judicium, neque homini cordato vsitatum; vtpote qui non nisi expensis probè rebus soleat judicare. Non etiam sufficit vt leuibus nixum sit fundamentis & rationibus, quas si attendantur, facilè sit discutere; nam neque tales solent prudentes viri judiciis sibi efformandis adhibere. Sed firmas, beneque discussas rationes esse necesse est; quas quia nequit dissoluere intellectus, meritò etiam iis assentitur; & sic judicium sibi format prudens de rei veritate. At quia ex aduerso etiam eiusmodi sese rationes offerunt, quæ omnia contraria suadeant, judicium fert cum formidine aliquâ, quæ judicantem non sinit sententiæ suæ tamquam omninò certæ acquiescere. Atque hoc judicium dicitur opinio: sic autem iudicare, est propriè opinari. 6.

Quæ sit opinio probabilis.

Quòd si autem opinionis huius naturam attentiùs consideras, illicò 7.

illicò comperies, *Primò* nullam ei subesse falsitatem aut errorem, etiamsi falsum esse opinetur id quod verum est, & licitum quod est illicitum. Non enim absolutum est iudicium rem veram esse & licitam, aut sanè falsam & illicitam; tali enim assensui error subesse posset & falsitas: sed solummodò est opinio; id est iudicium, tales esse rationes ex quibus meritò possit colligi rem ita esse, permissam nimirum lege aut prohibitam. Si autem rationes fuerint eiusmodi, iudicium istud sanè est verissimum, quantumuis falsum sit id circa quod opinio versatur; non enim tam censet rem ita esse, quàm rationes solidas esse quibus ita esse comprobetur: in hoc autem judicio nullus error est; nam vtcumque res ita se non habeat, tamen istud est verissimum, rationes esse, ob quas jure merito ita esse judicetur: hoc enim est aliquid esse probabile. Atque hoc sedulò est attendendum, vt cauillis nonnullorum, qui Conscientiam probabilem immeritò falsam vocant & erroneam, satisfiat.

Opinioni probabili nulla admixta est falsitas.

8. *Secundò* istud est etiam consectarium, neminem de re vllâ opinionem habere probabilem quod vera sit aut licita, quin etiam reipsâ aut virtute, vti aiunt, etiam habeat opinionem probabilem, rem fortè falsam esse aut illicitam. Si enim contrariam partem improbabilem planè censeat aut falsam, jam sanè non opinatur, sed prorsùs absolutè de re judicat ita eam esse prout sentit: quod quidem est contra hypothesim; ponebatur enim, ipsi de totâ re non nisi probabili ratione constare. Probabiles autem rationes non sunt, nisi & contrariæ partis rationes iudicentur esse probabiles. Hoc autem qui judicat, iam profectò etiam eam veram esse opinatur.

Qui opinionem probabilem habet de rei veritate, etiam de eiusdem falsitate opinionem habet probabilem actualiter aut virtualiter.

9. *Tertiò* denique istud videtur esse consequens, duas opiniones inter se contrarias vno eodemque tempore intellectum posse complecti; siue probabilitas vtraque opinionum, ex principiis quæstioni intrinsecis, hoc est ex rationum argumentorumque pondere oriatur; siue probabilitas vnius quidem opinionis, ex principiis intrinsecis. alterius verò ex extrinsecis, id est ex auctoritate virorum præstantium atque ita sentientium exortum ducat. Opiniones, inquam sibi sic contrariæ, in eodem intellectu possunt sociari, imò quantùm capio, sociantur pœnè semper. Ita Theologi grauissimi Thomas Sanchez, Bresserus, Arriaga, Bardus, Bossius & alii. Neutra enim opinio de rei propositæ veritate aut falsitate, neque

Possunt esse duæ opiniones probabiles & contrariæ simul in eodem intellectu.

Sanch. l. 1. in decál. c. 9. n. 12. & 15. Bress. l. de Consc. probab. l. 3. c. 6. Arriaga in p. a. disp. 24. sec. 2.

neque de lege obligante aut non obligante quidquam absolutè statuit; illud tantùm vtrimque decernitur, rationes esse ob quas meritò statui possit obligare legem; alias verò, ex quibus non obstringere meritò etiam possit decerni. Atque adeò quamuis contradictoria sint judicia quæ statuunt obligationem legis adesse & non adesse, rem esse licitam & non esse licitam (quæ quidem simul in eodem intellectu non possunt consistere, cùm sese inuicem elidant) attamen judicium quod decernit, rationes esse tales, quæ rectè obligationem negent, non contradicit quidquam judicio, quod rationes esse statuit, quibus obligatio ea affirmetur; Vtrumque enim est verum. Ita disertè D.Th. *esse & non esse sunt contradictoria: sed opinio quâ opinamur quod bonum est bonum, est contraria opinioni quâ opinamur quod bonum non est bonum: non igitur contradictoria.* Ac proinde si vtrimque rationes illæ sese menti offerant (quod fieri posse nemo negarit) non est cur ab eodem intellectu duæ tales opiniones excludantur. Non igitur contradictoria hæc sunt, *Probabile est legem obligare*, & *Probabile est legem non obligare.* Negatio enim totam propositionem non afficit. Contradictoria verò essent. *Probabile est legem obligare*, & *Probabile non est legem obligare.* Hæc licèt judicia vna mens ferre non possit, nihil tamen est priora vt illi denegentur. Erit fortassis hæc opinionum in vnâ mente combinatio, dicendis non paruo vsui.

Bardus de Consc. discep. 4. c.12.n.3. Bossius de Consc.n. 102.

D.T.1.2. q 64.a.3. ad 3.

Quæ sit opinio probabilior, quæ tutior, quæ minùs tuta.

10. Atque his de probabilis opinionis naturâ ritè expositis, facilè erit intelligere quænam opinio dicenda sit *probabilior.* Manifestum enim est eam esse, quæ firmioribus nixa est fundamentis. *Tuta* est, quam sine vllo peccandi periculo datur executioni mandare. *Tutior*, ea quæ magis à periculo materialis peccati ex eâ operantem remouet: *minùs tuta*, quæ illi periculo agentem magis admouet. Potest itaque probabilior opinio esse minùs tuta. Omnia hæc, in exemplo, quod jam proposui, planiùs explicemus.

Exponuntur hæc omnia exemplo.

11. In conuiuio antecinerali quod per noctem protrahitur, in æde D.Pauli audiebas horam proclamari; diligenterque attentâ campanæ mole (minor enim est quæ dimidias, præ eâ quæ horas absolutas indicat) numeratisque sedulo ictibus, medium duodecimæ adhuc fluere rectè & certò judicas. Ex hoc judicio formas Conscientiam; statuis, inquam, sine fluctuatione vllâ, actionem institutam

tutam te posse prosequi, & genio indulgere. Hactenùs rectè & bellè: omnia certa sunt. Certum enim est judicium quod Conscientiam præit: nimirum necdum esse noctis medium: certum item est judicium, quod de comedendis carnibus Conscientia efformauit. At paullò pòst ex æde D. Petri nuntiatur horam esse duodecimam. Hîc iam subitò percelleris, suspendis paullulùm quod antè indubitatò tuleras iudicium, illudque in opinionem decrescit. Neque enim iam amplius certò iudicas, licitum esse vesci carnibus, sed tantùm opinaris: iudicas enim cum formidine; quam quidem ingessit de dimidiatâ nocte contraria opinio, ab horologio D. Petri excitata. At verò cùm æquè firma sit ratio quæ vtramque fulcit; nimirum horologiorum æqualis, vt ita dicam, fama & auctoritas, Conscintia hîc stat inter duas opiniones perinde verisimiles, & æquè probabiles. Quòd si verò sic inter vtramque opinionem hærenti in mentem veniat, eo die aut aliàs sæpiùs, horologium D. Petri præ D. Pauli horologio, à Solis horâ aberrasse; aut certè si in tertio D. Andreæ horologio etiam audiatur medium duodecimæ, cùm duodecima est in D. Petri, tunc sanè accrescit opinio, quā ex D Pauli horologio priùs conceperas; & sic medium tantùm esse duodecimæ, ac proinde lege ieiunii te necdum obstringi, est opinio præ alterâ probabilior. Quòd si tum statuis carnibus te vesci posse, opinionem probabiliorem secutus esse censeberis: nam plures firmioresque rationes cùm sint, quæ medium duodecimæ esse decernant, quàm quæ duodecimam; probabilius est etiam ita rem se habere. Denique quamuis probabilius longè sit, legem necdum obstringere, ideò quòd dies Martis verosimiliùs euolutus adhuc non sit; si tamen ob formidinem quam incutit D. Petri horologium, cuius sententia etiam adhuc est probabilis, nec per contrarias rationes planè elisa, statuat Conscientia carnibus abstinendum, tum quidem minùs probabilem, sed tamen magis tutam opinionem secuta vulgò dicetur. Longè enim à peccato materiali committendo, remotior est eo casu carnis abstinentia, quàm comestio. Fieri enim posset, vti sæpè fit, vt opinionis illius, longè licèt probabilioris, obiectum esset falsum nihilominùs; & sic lex ieiunii infringeretur saltem materialiter. Infractionis autem nullum est periculum, si minùs probabili adhæret opinioni Conscientia. Vt enim sit minùs probabilis, est tamen magis tuta. Atque hîc demum est quæstionis, tantis

ſtudiis, tantâque contentione animorum per hos dies agitatæ ſtatus, quantùm reor expoſitus dilucidè.

Tria itaque dicenda ſunt. *Primò* an in actione quæ præ manibus eſt decernenda, opinionem tantùm probabilem, Conſcientia poſſit adhibere. *Secundò* an cùm altera eſt probabilior, huic inſiſtere non teneatur. *Tertiò* an non ei quæ tutior eſt, neceſſariò, ne peccet, ſeſe actionemque ſuam debeat applicare. Primum hoc Tractatu; reliqua ſequenti expediemus. 12.

§. III.

PROPOSITIO.

Conſcientia in decernendis actionibus poteſt ſequi opinionem probabilem.

Quantis conuitijs impetatur hoc dogma ab aduerſarijs, exponitur.

Licitum eſt Conſcientiæ ſequi ſententiam verè probabilem.

ET quidem vt ad primam quæſtionis partem, quæ totius controuerſiæ caput eſt, reſpondeam, dico prout communis Theologorum, quos mox afferam, fert ſententia, licitum eſſe Conſcientiæ in actionibus ritè decernendis, opinionem ſequi quæ verè ſit probabilis. Probabilem autem vocamus; quæ firmis, & *alicuius momenti* nixa ſit rationibus. Alicuius verò momenti non dicuntur rationes *alicuius ponderis quantumuis exilis*, prout ad inuidiam ſanæ doctrinæ concitandam, non ſatis ſincerè ea verba interpretatur Sinnichius: ſed eæ quæ verè pondus habent & momentum, & quæ hominis rem benè prudenterque perpendentis animum in ſuas inflectant partes. Talem itaque opinionem, Conſcientiæ licitum eſſe ſequi aſſerimus. 13.

Conuitijs impetitur hoc dogma.

Hîc verò totâ turbatum eſt Hieroſolimâ. Et neſcio quo perculſi œſtro, veteriſque ſanctitatis tuendæ prætextu, aſſurgunt quidam acerrimè. Libros alii, alii libellos famoſos protrudunt, alii domos, alii pulpita, alii ſi placet fœminarum adita clamoribus replent, ſententiam impetunt, Theologorum proſcindunt famam; & quaſi ſi monſtrum aliquod (ita enim vocant) ex inferni faucibus proſiliiſſet, ita vndique, vt iſtud diſcerpant, vociferantur ad arma. 14.

arma. Quinimò putidè admodum & insulsè in theatrum pro comœdiâ, nuper portentum hoc Probabilitatis deridiculè & scenicè ornatum protrusêre, vt populo risum facerent. Res fuit frigida, nec inuento tam præclaro successus par. Sic nempè Theologorum toto orbe celeberrimorum auctoritas, plebi deridenda proponitur; pueris hominibusque de triuio, propudiosa per tales artes, vt ipsi rentur, posthac futura declamatio. Denique vbique clamant & declamant, vbique vociferantur, & nihil dicunt interim, nisi desultoriè. Hoc sanè non est agere virum moderatum. Calumniis autem & conuitiis, bona causa, vt sese tueatur, non indiget; mala verò apud viros frugi, nihil admodùm promouetur. Vt autem aliqua ex multis decerpam, quibus animi perturbati non exigua dant indicia; sanè est, nempè Sinnichius, qui doctrinam hanc, quantumuis Theologis omnibus communem satis liberè vocet, *doctrinam Libertinis summoperè arridentem; priscæ Ecclesiasticæ disciplinæ non tam insidiantem, quàm insultantem.* Auctores verò eam docentes, *laxiorum opinionum inuentores & assertores* esse criminatur modò, modò *laxitatum præcones, & buccinatores*, modò *cæcos & duces cæcorum*, & denique, ne non loquatur clarè, *seductores Christianorum.* Festiuior est Montaltius quidam in suis quas vbique sparsit litteris Prouincialibus. Histrioniæ ignarus cùm non esset, facetiis & salibus doctrinam hanc suasque calumnias inspergit; vt saltem risum moueat aliis, dum ipsi commouetur stomachus, dicaturque inter fæmellarum & vulgi gregem, homo mordax nec insicetus. Impetuosior est is qui notas in hasce epistolas inscripsit Wendrockius; & quia sub ficto latet nomine, in tenebris factus est audacior, eaque effutit quæ pietatis asserendæ amantem Theologum, qualem se esse præfert, non admodùm sapiunt aut decent. Parum ei fuerat dixisse, doctrinam hanc *inanes cauillationes esse*; eam qui propugnarent, non nisi *flagitiosè* eam tueri, item *audacissimè eos defendere peruersissima eius doctrinæ consectaria*: vt enim quidquid in pectore latet veneni euomat, asserit: *Hoc probabilitatis dogma, tantum virus esse, vt omnem penè Theologiam infecerit.* Horrendam verò rem! Ad quos enim iam, consilii & Confessionis instituendæ causâ, diuertent homines, si penè omnes veneno infecti sint Theologi? Ad nos, inquiunt, qui veterem religionem asserimus & restituimus. Id porrò videbimus deinceps, cùm te nouerimus ex nomi-

Exponuntur hæc cauillia Sinnichij.

Montalij.

Wendrochij.

Sinnich. in Saule ex rege l. 1. c. 94. 95. 98. 99.

Montaltius epist. 5.

Wendr. in not. ad epist. 5. Montaltii sect. 1. §. 1.

ne, sciuerimusque quis sis. Audiamus ergo reliqua quæ de Probabilitatis sententiâ, non alto prem is pectore, cùm satis liberè ea effutias. *Ridenda*, inquit vanitas, *plectenda audacia homunculorum, qui humanis ratiunculis, probabilibus mendaciis, deleri posse Diuinam legem putant..... Hæc vanitas, hæc cæcitas, hæc audacia tota, in illo dogmate continetur: Opimones probabiles falsas à peccato excusare.* Sect.3.§. 4.

Rursus ne nihil adhuc dixisse videretur: *Latissimum*, inquit, *ad omnem impietatem aditum pandit.* Iterùm & vehementiùs. *Tam latè funduntur scelerati dogmatis rami, vt in totius Religionis apertè grassentur exitium, & in omnium denique Religionum horrendam permixtionem tendant.* Credo eundem fuisse calamum qui hæc effutiit cum eo, quem non puduit scribere, hoc dogma, esse *venenum supra omnia aconita lethiferum: clauem esse quâ referatur infernus miseris animabus.* Sect.3.§. 5.

Theologos generatim habent in cõtemptui.

Quàm verò de Theologis, viris inquam grauissimis, totoque Christiano orbe celeberrimis, proiectè & abiectè sentiat, id sanè exinde patet; quòd eos ne Theologorum quidem appellatione dignetur; sed *Probabilistas* modò, modò *Casuistas*, sic quasi per contemptum nominet. At ego Wendrockium, si nossem, libens rogaro, an ii tantùm sint Theologi, qui Theologiæ lauream, doctoris puta titulum, in Academiâ aliquâ sint adepti; sic vt cæteri omnes, quantumuis Theologiam & perceperint, & commentariis præclarissimè exornarint, dicendi tamen sint quasi ridiculè Casuistæ? hoc si ita est; rursus istud eum rogatum velim, an is qui ex Doctorum, cui insertus erat classe, Sorbonâ verbi gratiâ, per sententiam publicam exactus est, & ex Doctorum Theologorum numero expunctus, titulis & dignitate exciderit, an inquam talis deinceps etiam Theologus dicendus sit an Theologaster, aut potiùs Theologiæ fœtus abortiuus? Et tamen eius farinæ aut potiùs fursuris sunt homines, qui orthodoxos Theologos, summosque viros tam atrociter vilipendunt. 15.

Etiam nominatim aliquos impetunt conuitiis.

Cæterùm non Theologis tantùm generatim est iniurius, sed & particularium, quorum etiam nomen exprimit, nescio quâ inducius Conscientiâ an certâ an erroneâ, famam proscindit, conuitiis proborum virorum ingenium, nomen, auctoritatem admordet. De vno dicit, *neminem eo in Theologiâ esse magis hospitem, neminem judicio ac ratione corruptiorem*: de alio, eum esse *vnum omnium audacissimum*; de omnibus verò, quos isthic nominat (iis 16. Sect.6.§. 1.

autem

autem inserit & Thomam Sanchez, virum non doctrinâ tantùm, sed & sanctitatis famâ planè conspicuum) istud vniuersim pronuntiat, *eos esse quibus longè fuisset nihil sciuisse melius; id enim tantùm studio consecutos, vt natiuum in se rationis lumen extinguerent.* Denique de se fatetur, *si alterius judicio standum sit in aliquâ morali quæstione, vel hominis indocti at cordati*, vel eorum quos isthic nominat; *sexcenties malle se indocti illius sententiæ acquiescere, quam istorum retorridorum Casuistarum.* Prætereà nihil agere, *qui decem aut viginti Casuistas in aciem producunt, & à se stare docent; facilè enim sese istud argumenti genus contemnere & repellere, etiamsi pro decem Casuistis, producant, si velint, decem millia.* Hæc ferè eius verba. Quæ quidem à comœdo Montaltio, quàm à Wendrokio Theologo, vt præ se fert, dicta fuissent haud paullò concinniùs: planè enim Thrasonismus hic Plautinum redolet Bombomachydem.

Sect. 6. §. 2.

17. Non deerat hîc quod reponerem. Istud tantùm dico, planè confirmari me dum hæc audio, dari ignorantiam juris naturæ & quidem inuincibilem, quæque à peccato excuset, quod tamen ipsi negant præfractè. Video enim naturæ leges Decalogique præcepta per calumnias, conuitia, libellosque famosos ab ipsis penitus infringi. Non autem existimo tam perditæ eos esse Conscientiæ, vt Deum sese arbitrentur offendere hæc qui agunt. Ad ignorantiam itaque inuincibilem recurrendum est, aut ad aliam ignorantiam mihi hactenus ignotam, à scelere eos tam aperto quæ absoluat.

Legi naturæ aduersum est cõuitiis agere.

18. At quâ ratione Conscientiam alienam se velle reformare & restringere, persuadere populo volunt illi, suæ Conscientiæ qui tam laxa fræna dant? laxitatum inquiunt præcones sunt, qui probabilitatis doctrinam tuentur, laxitatum buccinatores, seductores Christianorum. Verùm laxare ora in calumnias, famam Theologorum passim proscindere, conuitiari, pessumdare, an id non laxæ tantùm, sed & dissolutæ prorsus, & in jus naturæ peccantis est Conscientiæ? Vbi nunc est illa naturæ lex; *generalis*, inquam illa teste Sinnichio, *& transcendentalis ipsius legis sanctio, quam Augustino teste omnes habent in corde fixam, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris?* Hæc verò lex si in eorum corde fixa est, quo pacto & calamo & ore eam non exprimunt, imò contrà penitus proscindunt & proculcant? hoccinè est veterem Ecclesiasticam

Nec adhuc dum restricta Conscientia signum est, iniuriis quemquã oppetere.

Sinn. l. 1. c. 100 §. 377.

sticam disciplinam, quam semper ore crepant, restituere? Certè modestiam nos Paulus docuit: veterumque Christianorum antiquissimum fuit institutum modestè agere, & modeste de se sentire. Si quæ Theologia, alia omnia sibi statuit esse licita, neoterica ea est, vetustatem non sapit; sed Lutherum & Caluinum Theologorum omnium contemptores. An autem in hisce quos adduxi viris, non aliquid modestiæ requiratur, non est meum id discernere; iudicent, qui hæc legerint.

Condemnati sunt conuitiantium libri Romæ.

Quòd si tamen aliqua iudiciis publicis, Pontificum præsertim, danda sit auctoritas; non pigebit dicere, ab hodierno Pontifice Alexandro VII. damnatas esse atque proscriptas Montaltii quidem litteras anno 1657. die 6. Septembris. Quod quamuis supremum tribunal sit, & præ omnibus venerandum, iuuerit tamen afferre eam quam de Montaltii litteris, notisque à Wendrockio & Irenæo affixis, Episcopi Doctoresque Parisienses, quibus legitima ad rem examinandam data fuerat auctoritas, expensis examinatisque diligenter omnibus, tulêre sententiam anno 1660. 19.

Parisiis combusti.

asserunt illi, *in eo libro à tribus prædictis auctoribus manifestè propugnari & defendi Jansenianas hæreses ab Ecclesiâ damnatas.* Asserunt præterea, *maledicentiam & petulantiam tribus illis auctoribus adeò esse familiarem, vt nulli hominum conditioni parcant, non Pontifici, Episcopis, Regi, Religiosisque familijs. Adeoque librum esse dignum pœnâ libellis famosis & hæreticis à iure constitutâ.* Atque hâc tandem, punitus est 14. Octobris & manu carnificis, Parisijs ex Regij Senatus-Consulto publicè exustus. Pœnam verò hanc longè ante tulerant Montaltii litteræ, Aquis-sextiis Summi Senatus sententiâ condemnatæ, & simili igne per tortorem flammis traditæ, anno 1657. die 9. Februarii. Atque hinc, quam inter Catholicos mereantur fidem, statuet Lector, partium studio non præpeditus. Cui vt magis constet de Parisiensium condemnatione, Senatus decretum, non Parlamenti, sed sanctioris Concilii Regii, quòd vocant Statûs, prout impressum est Parisiis, subnectimus, vt Lectori ad manum sit, & innotescat.

Et Aquis Sextiis. Aix en Prouence.

ARREST

ARREST
DV CONSEIL D'ESTAT
PORTANT QVE LE LIVRE INTITVLÉ
LVDOVICI MONTALTII
LITTERÆ PROVINCIALES, &c.

Sera laceré & bruſlé par le mains de l'Executeur de la haute Iuſtice.

Enſemble la Sentence du Lieutenant Ciuil donnée en conſequence dudit Arreſt : & le Procés verbal d'execution.

Avec l'Avis & Iugement des Prelats, & autres Docteurs de la Sacrée Faculté de Theologie de Paris, qui ont examiné ledit Livre.

EXTRAIT DES REGISTRES
DV CONSEIL D'ESTAT.

VEu par le Roy eſtant en ſon Conſeil, l'Arreſt donné en icelluy le 12. Aouſt dernier, ſur le ſuiet de pluſieurs plaintes renduës à ſa Majeſté, de ce qu'encore que les Conſtitutions des Papes Innocent X. & Alexandre VII. condamnent la doctrine de Ianſenius Eveſque d'Ypres contenuës dans le livre intitulé Auguſtinus, *& que leſdites Conſtitutions ayent eſté receuës par l'Aſſemblée générale du Clergé de France, publiées par le Prélats dans leurs Dioceſes, exécutées par les Vniverſitez, meſmes confirmées par les Declarations de ſa Majeſté, leſquelles ont eſté regiſtrées dans les Cours de Parlement : Neantmoins on voyoit tous les jours dans le public de nouveaux écrits & imprimez, qui tendoient à ſoûtenir ladite doctrine condamnée, & vn entr'autres ſous le titre de* Ludouici Montaltij Litteræ Prouinciales, &c. *lequel outre les propoſitions heretiques qu'il contient eſt outrageux à la reputation de feu Roy Louis XIII. de glorieuſe memoire, & à celle des principaux Miniſtres qui ont eu la direction de ſes affaires : Par lequel Arreſt ſa Majeſté pour y pourvoir inceſſamment, afin d'en prevenir les mauvaiſes ſuites à ordonné, que ledit livre intitulé,* Ludouici Montaltij Litteræ Prouinciales, &c.

&c. *ſeroit remis pardevers le ſieur Baltazar Commiſſaire à ce deputé, pour eſtre veu & examiné, & avoir le ſentiment des ſieurs Eveſques de Rennes, Rodez, Amiens & Soiſſons: enſemble des ſieurs Grandin, Leflocq, Morel, Bail, Chapelas, Chamillard, du Sauſſoy, & des Peres Nicolai & Gangy, Docteurs en Theologie de la Faculté de Sorbonne, que ſa Majeſté à commis à cet effet pour donner leur avis, en eſtre dreſſé procés verbal, & le tout rapporté à ſa Majeſté, y eſtre pourveu ainſi qu'il appartiendra. Le proces verbal deſdits Commiſſaires du 7. du preſent mois de Septembre, par lequel apres avoir diligemment examiné ledit Livre, ils declarerent que les hereſies de Ianſenius condamnées par l'Egliſe ſont ſouſtenues & defenduës, tant dans leſdites Lettres de Montalte, & dans les Notes de Guilleaume VVendrok, que dans les Diſquiſitions adiointes de Paul Irenée: que cela eſt ſi manifeſte, que ſi quelqu'vn le nie, il faut neceſſairement ou qu'il n'ait pas leu ledit Livre, ou qu'il ne l'ait pas entendu, ou ce qui pis eſt, qu'il ne croie point heretique ce qui a eſté comme heretique condamné par le Saincts Pontifes, par l'Egliſe Gallicane, & par la Sacrée Faculté de Theologie de Paris: que la detraction & petulance eſt tellement familiere à ces trois Auteurs, qu'ils ne pardonnent à la condition de perſonne, non pas meſme au Souverain Pontife, aux Rois, aux Eueſques & aux principaux Miniſtres du Royaume, à la Sacrée Faculté de Theologie de Paris, ni aux familles Religieuſes: & que ledit livre eſt digne de la peine ordonnée de droit pour les libelles diffamatoires & livres heretiques: Oüi le raport dudit ſieur Baltazard & tout conſideré, Sa Majeſté eſtant en ſon Conſeil, à ordonné & ordonne que ledit livre intitulé* Ludouici Montaltij Litteræ Prouinciales, &c. *ſera remis pardevers le ſieur Daubray Lieutenant Ciuil au Chaſtelet de Paris, pour à la diligence du Procureur de ſadite Majeſté le faire lacerer & bruſler à la Croix du Tiroir, par les mains de l'Executeur de la haute Iuſtice, dont ſadite Majeſté ſera certifiée dans huitaine. Faiſant cependant treſexpreſſes inhibitions & defences à tous Imprimeurs, Libraires, Colporteurs, & autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer, vendre & debiter, ni meſme retenir ledit livre ſans Notes, ou avec les Notes, Additions & Diſquiſitions deſdits VVendrok, & Paul Irenée, ſur peine de punition exemplaire. Et ſera le preſent Arreſt executé nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, dont ſi aucuns interviennent, ſadite Majeſté s'eſt reſervé la connoiſſance d'icelles, interdite à tous autres Iuges. Fait au Conſeil d'Eſtat du Roy, ſa Majeſté y eſtant, tenu à Paris le 23. Septembre mil ſix cens ſoixante. Signé,*

PHELYPPEAVX.

LOVIS *par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à noſtre amé & feal Conſeiller en nos Conſeils, le ſieur Daubray Lieutenant Civil au Chaſtelet de Paris: Salut. Nous vous mandons & ordonnons par ces preſentes ſignées de noſtre main, que l'Arreſt de noſtre Conſeil d'Eſtat, dont l'extrait eſt cy-attaché ſous le contreſeel de noſtre Chancellerie, vous ayez à mettre à deuë & entiere exécution, ſelon ſa forme & teneur. De ce faire vous donnons pouvoir commiſſion & mandement ſpecial par leſdites preſentes. Commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis ſignifier ledit Arreſt à tous Libraires, Colporteurs & autres que beſoin ſera, & leur faire les defences y contenuës ſur les peines y declarées, ſans demander autre permiſſion: car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le 23. jour de Septembre l'an de grace 1660. & de noſtre Regne le dix-huitiéme. Signé* LOVIS, *& plus bas, Par le Roy,* PHELYPPEAVX, *& ſellé.*

SENATVS-

SENATVS-CONSVLTVM
CONCILII STATVS,
QVO DECERNITVR LIBRVM CVI TITVLVS
LVDOVICI MONTALTII
LITTERÆ PROVINCIALES, &c.

Lacerandum & flammis tradendum, manu carnificis.

Item ſententia Vicarij Ciuilis lata ex vi eiuſdem Senatus-Conſulti: & renuntiatio executoria.

Vnà cum conſultatione & judicio Præſulum, & aliorum Doctorum Sacræ Facultatis Pariſienſis, qui præfatum librum examinarunt.

EXTRACTVM EX REGISTRIS
CONCILII STATVS.

VIſo à Rege præſente in ſuo Concilio, eiuſdem Senatus conſulto edito 12. menſis Auguſti nouiſſimè elapſi, occaſione plurium querelarum quæ ſuæ Majeſtati fuerunt exhibitæ, eò quòd quantumuis Conſtitutiones Pontificum Innocentij X. & Alexandri VII damnent doctrinam Janſſenij Epiſcopi Yprenſis, contentam libro cui titulus Auguſtinus ; *& dictæ Conſtitutiones admiſſæ fuerint in Concilijs Generalibus Cleri Gallicani, promulgatæ per Præfectos in ſuis Diœceſibus, executioni mandatæ per Vniuerſitates,*

imò confirmatæ per declarationes ſuæ Majeſtatis, quæ etiam relatæ ſint in curiarum ſupremarum monumenta; nihilominùs videre eſſet indies publico euulgare noua ſcripta & impreſſa ad ſuſtinendam præfatam doctrinam condemnatam; inter quæ vnum, cui titulus Ludouici Montaltij Litteræ Prouinciales, &c. quod præter propoſitiones hæreticas quas complectitur, contumeliam facit exiſtimationi Regis defuncti Ludouici XIII. glorioſæ memoriæ, præcipuorumque Miniſtrorum qui negotijs eius gerendis præerant. Quo Senatus conſulto, vt abſque morâ præuenirentur mala exinde nata conſequi, conſtituit ſua Majeſtas, vt dictus liber cui titulus Ludouici Montaltij Litteræ Prouinciales, &c. committeretur Domino Baltazard Commiſſario ad id deputato, vt inſpiceretur, examinaretur, & haberetur judicium Dominorum Epiſcoporum Rhedonenſis, Rodij, Ambianenſis, & Sueſſionenſis; nec non Dominorũ Grandin, Leſtocq, Morel Baïl, Chapelas, Chamillard, du Sauſſoy, & Patrum Nicolai & Gangij, Doctorum Theologiæ in Facultate Sorbonicâ, quos huic cauſæ commiſit ſua Majeſtas, vt judicium ſuum ſuper hâc re ferrent, inſtitueretur proceſſus verbalis, omnibuſque ad ſuam Majeſtatem relatis, debitè huic negotio proſpiceretur. Item audito proceſſu verbali dictorum Commiſſariorum 7. currentis menſis Septembris, quo poſt diligens dicti libri examen declarârunt, damnatas ab Eccleſiâ Janſſenij hæreſes ſuſtineri ac defendi, tam in prædictis Montaltij Litteris & notis Guilielmi VVendrockii, quàm in diſquiſitionibus adiunctis Pauli Irenæi; & id ita manifeſtum eſſe, vt ſi quis id neget, neceſſe ſit vt aut non legerit dictum librum, aut non intellexerit, aut quod peius eſt, non credat hæreticum quod tamquam hæreticum damnatum eſt per Sanctos Pontifices, per Eccleſiam Gallicam, & per ſacram Facultatem Theologicam Pariſienſem: detractionem verò & petulantiam adeò familiarem

familiarem esse tribus illis auctoribus, vt non parcant vlli hominum conditioni, non ipsi supremo Pontifici, non Regibus, non Episcopis, non præcipuis Regni Ministris, non Sacræ Facultati Theologicæ Parisiensi, non familijs Religiosis: & prædictum librum dignum esse pœnâ à jure decretâ in libellos infamatorios, & libros hæreticos: Auditâ relatione dicti Domini Baltazard & omnibus perpensis, sua Majestas præsens in hoc Senatu, decreuit & decernit, vt dictus liber cui titulus Ludouici Montaltij Litteræ Prouinciales, &c. *committatur Domino Daubray Vicario Ciuili in Casteletto Parisiensi, vt agente Procuratore dictæ suæ Majestatis, curetur lacerari, & ad Crucem Tractoriam manu carnificis comburi, de quo peracto suæ Majestati intra octiduum constabit. Interim seuerè admodùm inhibet & prohibet omnibus Typographis, Bibliopolis, Baiulis & alijs cuiuscumque statûs & conditionis, ne imprimant, vendant, distrahant, imò ne penes se retineant dictum librum, aut sine Notis, aut cum Notis, Additionibus, & Disquisitionibus dictorum VVendrocki, & Pauli Irenæi, sub interminatione punitionis exemplaris incurrendæ. Atque hoc Senatusconsultum executioni mandabitur, non obstantibus oppositionibus aut appellationibus quibuscumque. Quæ si interueniant, sua Majestas earum cognitionem, interdictam quibuscumque alijs judicibus, sibi reseruauit. Actum in Regio Concilio Statûs, suâ Majestate illic præsente, habito Parisiis. 23. Septembr. anni Millesimi sexcentesimi sexagesimi. Signatum,* PHELYPPEAVX.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Franciæ & Nauarræ, dilecto noſtro & fideli Conciliario in Curiâ noſtrâ Domino* Daubry, *Vicario Ciuili in Caſteletto Pariſienſi, Salutem. Nos mandamus tibi, & per præſentes manu noſtrâ ſignatas litteras præſcribimus, vt Senatus-conſultum noſtri Concilij Statûs, cuius extractum hiſce affixum eſt, ſigillo Cancellariæ noſtræ munitum, debitæ & integræ executioni mandes juxta eius formam & tenorem. Ad hoc exequendum damus tibi poteſtatem, authoritatem, & ſpeciale mandatum per has præſentes. Imperamus primo noſtro Apparitori ad hoc requiſito, vt dictum Senatus-conſultum notum faciat omnibus Bibliopolis, Baiulis, & alijs quibus id opus erit ſignificari, illisque prohibitiones iſthic contentas faciant ſub pœnis inibi declaratis, ſine petitione alterius permiſſionis: ita enim Nobis placet. Datum Pariſiis die 23. Septembr. Anno ſalutis* 1660. *& Regni noſtri decimo octauo. Signatum* LVDOVICVS, *& infrà, Per Regem,* PHELYPPEAVX, *& ſignatum.*

§. IV.

§. IV.

Respondetur Scripturis perperam à VVendrockio, & loco D. Augustini malè à Sinnichio allato.

20. CÆterùm cùm ad Scripturas Sanctosque Patres prouocet Wendrockius, easque à se stare tam magnificè proclamet, vt hominis præsidentiam fucosque detraham, quibus veritati os oblinit, & populo palpum obtrudit; juuerit, saltem quæ ex sacrâ paginâ affert testimonia, breuiter perstringere. Patebit sanè, quàm de nihilò sint, quæ tam præsidenter & præseruidè jactat doctrinæ suæ fundamenta. Et quidem primus locus est ex D. Matthæo, apud quem Christus ait, *sinite illos; cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, nonne ambo in foueam cadunt?* hic exilit Wendrockius; *quis enim* inquit, *neget cæcum esse qui opinionem falsam sequitur?* Ego sanè id nego, & negant omnes quotquot prudenter eum agere censent, sequendo quod est probabile, vti suprà numero 7. ostendi, & ostensuri sumus porrò deinceps. Qui autem prudenter agit, cæcus esse aut cæco modo agere censendus non est. Et verò, vt aliqua opinioni probabili cæcitas inesset aut ignorantia, an illa est cœcitas de quâ Christus agit, & quæ in foueam ducit? Hoc inquam quæro, an Christus isthic asserit omnem omnino cœcum in foueam proruere, & omnem omnino cæcitatem peccato mortali esse obnoxiam? Sanè de Pharisæis isthic loquitur, quos paullò antè egregiè perstrinxerat hypocrisis, id est malæ fidei fictæque virtutis: illos inquam, qui legem naturæ de honorandis parentibus non ignorabant, sed peruertebant nefariè, quique meris falsimoniis & legem Dei & populum deprauabant. Denique hos hypocritas esse asserit *de quibus bene prophetauit Isaias: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Tales autem cæcos, id est voluntariè & affectatâ cœcitate laborantes, quorum cor longè est à Deo, asserit in foueam ducere. An idcircò cœcitatis tam damnabilis & impiæ dicendus est hoc loco condemnari is, cuius cor adeo non longè est à Deo, vt non aliud velit nisi scire quid Deus à se exigat:

Dissoluuntur ea quæ obiciuntur ex scripturis.

Prima objectio.

Matt. 15. v. 14.

Wendr. sup. sect. 2. §. 2.

Matt. 15. v. 6. 7. 8. 9.

Ibid. v. 8.

exigat : sanctamque eius voluntatem cùm certò nequeat assequi & interpretari, eam sequitur quam Dei voluntatem esse prudenter judicat, probabilibus inquam inductus fundamentis ? Sanè ne per vmbram quidem hic est Scripturæ sensus. Cæci in foueam cadunt, sed malitiâ & peruersitate suâ cæci : error, sed affectatus, in peccatum proruit, non verò inculpatus & inuincibilis : vti tractatu superiore planum fecimus. Probabilem autem opinionem quisquis sequitur, non est quòd sibi à foueâ extimescat. Nam vt rectè Psalmista, solus is qui *parturiit injustitiam... & peperit iniquitatem, lacum aperuit & effodit eam; & incidit in foueam quam* ipse *fecit.* Ps.7.v.15. 16.

Secunda obiectio. Alter è sacrâ pagina locus est è Prouerbiis desumptus, *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima illius ducunt ad mortem.* Quid validius inquit Wendrockius ? Et quid imbecillius inquam ego, vt pedem figat, suumque commentum fulciat ? Est, inquit Sapiens, aliqua via quæ videtur homini recta, & quæ tamen ad mortem ducit : igitur omnis via quæ videtur homini recta ducit ad mortem, id sanè prorsus non sequitur. Neque id etiam asserit Sapiens. *Quid enim est aliud via quæ videtur recta & non est*, inquit Wendrockius, *nisi falsa probabilitas?* Ita sit vt vult. Ergo ducit ad mortem ; hoc certè prorsus nego : neque consecutionem eam esse legitimam vlli, ne sibiipsi quidem facilè comprobarit. Est sanè via aliqua quæ videtur homini recta ; *via nempe cupiditatis* inquit A lapide, *affectus inordinati, voluptatis, ambitionis* ; hæc hominibus affectione nimiâ excæcatis recta videtur, honesta, & commoda ; & tamen non nisi morte concluditur. Istud autem quid hic facit ad rem ? aut cur eiusmodi fallaciæ, in re sane grauissimâ obtruduntur ? hoc certè est Scripturis abuti ; & ex sacris oraculis temerè prorsus patrocinium quærere falsitati. Prou 16. v.25. A Lapide in eum loc.

Tertia obiectio. Tertium & palmare est, quod ex Euangeliis affert. *Nulla* inquit *vmquam opinio falsa, fuit probabilior, quàm ea quâ Judæi, quibus minùs bene cum vxoribus conueniebat, fas esse censebant dare illis libellum repudij ; nullus id apud ipsos doctus vel suspicabatur illicitum. Apertè enim id permiserat Moyses ad duritiam quidem cordis eorum, vt ait Christus. At id vnde poterant elicere ? Et tamen ex Christi verbis, qui repudium, tantùm ad duritiam cordis declarat esse concessum ; & demissam ab aliquo vxo-* Matt.19. v.8.

rem

rem sine adulterio duci non posse, constans Patrum traditio concluſit, numquam Judæis repudium licuisse. Ita sit Wendroki. Verùm an ii Patres qui asserunt Judæis numquam licuisse repudium, ac proinde contra legem naturæ peccasse materialiter, etiam dicunt formaliter peccasse, qui istud sibi permittente Moyse, ne suspicabantur quidem, vt tutè dicis, esse illicitum? Hoc autem Patres si non asserunt, quid locus hic ad rem nostram quæstionemque quam tractamus pertinet? Deinde quo quæso auctore id tam præsidenter asseris, probabilem fuisse apud Iudæos sententiam, sine crimine licuisse dare libellum repudii; cum deinde fatearis, nullum doctum vel suspicatum fuisse id esse illicitum? hoc verò si nemo suspicabatur, jam non id erat ipsis tantùm probabile, sed & certum? Et tamen peccarunt inquis. Hoc profectò nemo Sanctus Pater dixit, de iis qui illud non suspicabantur non esse illicitum. Verùm vt dicam quid sit de re, facilè erit eam expedire ex D.Thomâ in Magistrum Sententiarum. Testatur is, de Iudæorum repudiis, duplicem fuisse Patrum & Theologorum opinionem; & quosdam quidem censuisse, quòd *quamuis repudiare vxorem* atque alteram ducere, *per se sit malum, tamen ex permissione Diuinâ licitum factum*, dispensante nimirum per Moysen Deo, idque *ob duritiam cordis Judæorum*; id est, ad euitanda grauiora mala, quæ cæteroquin ob peruersitatem populi erant euentura. Quomodocumque autem dispensatum sit in lege, si verè dispensatum est, contra legem non peccari manifestum est. Itaque ex illorum sententiâ, ne materialiter quidem peccarunt Iudæi; cùm per Moysis indulgentiam, lex naturæ fuerit resixa. Alii autem, inquit D.Thomas, censuêre *eos qui sub lege, vxorem dato libello repudij dimittebant, non fuisse excusatos à peccato, quamuis excusarentur à pœnâ secundùm leges infligendâ; & sic libellum repudij permissum fuisse ..... propter maius malum cohibendum, scilicet propter vxoricidium, ad quod Judæi proni erant propter corruptionem irascibilis: sicut & permissum eis fuit fœnerari extraneis, propter aliquam corruptionem in concupiscibili, ne scilicet fœnerarentur cum fratribus.* Et tamen nec extraneis quidem fœnerari ipsis licuit absque scelere, quamuis à pœnâ fœneratorum per leges constitutâ aut inferendâ, essent absoluti. Sic sanè & modò à Republicâ meretricium aliquando permittitur, id est, auctoritate publicâ non punitur; & tamen non exercetur absque peccato. Peccarunt itaque

D.T.in 4. dist.33.q. 2.a.2.

De libello repudij duplex est Patrum sententia.

Neutra sanctet VVendrokio, aut ad eius rem facit.

que Iudæi, non quòd probabile id ipsis esset, indulgentiâ Legislatoris sublatam esse legem; nullâ enim ratione id ipsis erat probabile: sed quod legis pœnam indultum cùm esset euadere, legem ipsam naturæ, Deique mandata deinceps haberent, neque de eorum obseruatione magna ipsis esset curatio. Rectè igitur concluſit constans Patrum traditio, numquam Iudæis repudium licuisse. Rectè etiam concludet vnusquisque, eos semper idcirco peccasse, non materialiter tantùm, sed & formaliter. Verùm quomodò exinde concludet Wendrockius, eos quibus verè probabile est legem non obstringere, si verè tamen lex obstringat, peccare etiam formaliter, opinionem probabilem si sequantur? Hoc tamen ex allato Scripturæ testimonio fuerat conficiendum: aut fallendi tantùm gratiâ istud afferri, fit illicò manifestum.

Aduersarii in afferendis auctoritatibus, semper supponunt id quod probandum est.

Atque hæ sunt ex sacris paginis ab iis adductæ probationes: ex quibus, quam fidem mereantur in aliis, quas congerunt Patrum auctoritatibus, quasque longum esset persequi imò inutile, facilis erit conjectura. Qui enim sacro-sanctis testimoniis sic abutitur, quid is in humanis peruertendis non audeat? In quibus id sedulò aduertendum est, semper eos supponere, vt ajunt, quod probandum est; scilicet errorem materialem, qui per probabilem opinionem si falsa sit committitur, semper culpæ esse obnoxium. Hoc autem, quod tamen probandum erat, cùm populo imposuêre, tum verò Patrum fulmina, quibus illi qui voluntariâ cęcitate & peruersitate mentis in errores se conjiciunt, acerrimè perstringuntur, hi auctores, promiscuè etiam in eos qui innocenter errant, à Patribus intorta esse inuidiosè quidem, sed falsò criminantur. Quòd certè est agere fide non optimâ; aut sanè ita affectionibus suis esse excæcatum, vt in Patribus videant id quod non est, & videre tamen quod præfractè volunt. 23.

Non distinguunt inter errorem latè sumptū, & errorem Theologicū.

Denique amicè mihi monendus est Wendrockius, ne populo *erroris* & *erronei* vocabulis malè perceptis imponatur, vt eum quem Theologi harum vocum sensum statuunt & differentiam, non dissimulet, & quod peius est, non confundat. Nam vt præclarè Cardinalis Lugo, *Erroris vox latissimè sumpta, attribui potest cuilibet propositioni falsæ in qualibet materiâ. Nam qui falsum credit, errat à vero & decipitur. Communiter tamen ea vox* 24. Lugo de Fide disp. 20. n. 73.

solet

solet restringi ad falsum, quod opponitur non solùm verò, sed euidenti, vel certo quod apud omnes communiter certò scitur. Nec appellatur error in Philosophiâ quælibet opinio falsa, sed quæ opponitur dogmati certo, & pro tali apud Philosophos recepto. Quare in Theologiâ non dicetur error, nisi qui certæ alicui veritati aduersatur, quæ apud Catholicos & Theologos pro certâ habetur. Aliud est igitur sequi sententiam erroneam, id est errantem, aliud verò longè, sequi opinionem in Theologiâ erroneam, id est veritati quæ apud Theologos pro certâ habetur, aduersantem: certum est enim in moribus actionibusque dirigendis neminem hanc sequi posse.

ponitur differentia.

25. Cur verò differentiam hanc dissimulat Wendrockius, nisi vt tenebras rei claræ offundat, iisque inuoluat incautos? En nouum malæ fidei exemplum. Asserit D. Thomæ esse sententiam, neminem absque crimine sequi posse magistrum probabili ratione opinantem & docentem. Et vt id planum faciat, affert verba D. Thomæ, & quasi si apertè pro se starent, maiusculis ea characteribus exprimit. Verba hæc sunt: *In his quæ pertinent ad fidem & bonos mores* NULLUS EXCUSATUR, SI SEQUATUR ERRONEAM OPINIONEM ALICUIUS MAGISTRI; *in talibus enim ignorantia non excusat.* Triumphare hîc sibi videtur Wendrockius. Verùm agesis; illud interrogo, quid hic erroneæ opinionis nomine Sanctus intelligat? an illam de quâ hîc disputamus, quæque errorem latissimè sumptum continet? ne per vmbram quidem. De erroneis in Theologiâ opinionibus agit, quæque veritati apud omnes receptæ aduersantur. *In talibus* dicit *ignorantiam discipuli non excusare. Nec potest*, inquit, *excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequantur ..... Consulere enim debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit.* Et vt Sole clariùs mentem suam aperiat, pateatque omnibus, de quibus erroneis opinionibus agat, easque esse secundi generis, sic demum concludit. *Qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, siue contra id quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Atque hi sunt, inquit eodem articulo, de quibus dicitur, *si cæcus ducatum cæco præstet, nónne ambo in foueam cadunt?* Quid hisce verbis D. Thomæ

Dissimulat hanc differentiam Wendrockius, vt D. Thomam à se stare ostendat.

Wendr. sup. sec. 2. §. 1.

D. Tho. quodl. 3. a. 10.

Ibidem sed contra.

 potest

potest esse euidentius? Et cur ea Wendrockius non exhibuit? dissimulauit enimuerò, vt falleret, incautisque vt imponeret eam esse sententiam D. Thomæ, nullum excusari si sequatur quamcumque errantem opinionem alicuius Magistri, quantumuis probabilem. Cùm tamen manifestum sit, non nisi de falsis planè, quæque ab omnibus falsæ habentur, & non nisi pertinaciter defenduntur, Sanctum loqui. An autem hoc sit agere bonâ fide, & vt virum frugi decet, modesti judicent. Et hæc quidem Wendrockio dicta sint; cui, vtpotè ex latebris sua tela contorquenti, & istud ex D. Augustino monitum lubet mantissæ loco addere, *Tu verò in latebras tuas redi, nec quidquam insidiare sub nomine veritatis.* D. Aug. l. de vtil. cred. c. 14.

Malè confundit vitium & peccatum Sinnichius.

Verùm antequàm de hâc tabulâ manum tollam, est & in quo Sinnichium de bonâ fide, in proferendo pro se D. Augustini testimonio, interpellem. Istud depromit ex libro de vtilitate credendi. *Tria sunt*, inquit Augustinus, *velut finitima sibimet in animis hominum, distinctione dignissima; intelligere, credere, opinari. Quæ si per seipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium numquam sine vitio.* Ita est, verba sunt Augustini. Et quid deinde? *Si numquã sine vitio*, est opinari, inquit Sinnichius, *numquam ergo non vitiosum. Rursus si numquam non vitiosum, profectò numquam non inordinatum, numquam non monstrosum, numquam non naturæ rationali dissentaneum.* Egregiam enimuerò collectionẽ, vt probet id de quo disputamus! nam vt opinio vitium naturæ sit veritatem penitus penetrare impotentis, an eiusmodi vitium id esse asserit Augustinus, vt peccato aut sceleri verti aut debeat aut possit? Cæcitas, surditas, aliæque membrorum mutilationes, naturæ vitia sunt, & numquam homini insunt sine vitio; an idcircò scelestum est, cæcum esse aut surdum? Sic sanè, veritatis penitus peruadendæ impotentia, vitium naturæ sit, hebetudo nimirum intellectûs: an ideò nemo, sine scelere, veritatis ignorans est, nemo sine scelere opinatur? Sanè jam in sceleratorum ordinem redactus est Augustinus ipse, qui quamplurimas vbique opiniones suas in medium producit, atque sæpissimè de se fatetur *Ita mea fert opinio.* Et ne abeamus longè, hunc ipsum librum, ex quo allata est Augustini sententia, ita post paucas lineas orditur. *Quandoquidem hæreticus est, vt mea fert opinio, qui* &c. Opinatus est ergo Augustinus ipse, & cùm opinio *numquam sine vitio sit, numquam*

26.

Sinnich. in Saule exrege l. 1. c. 97. §. 364.

D. Aug. l. de vtil. credendi c. 11. to. 6.

numquam non monstrosa, numquam non naturæ rationali dissentanea, jam sanè patet in quem ordinem à Sinnichio redactus sit Augustinus. Non quæramus itaque nodum in scirpo, neque vt Latinè loquamur, inuoluamus rem. Longè sanè differunt, vitium naturæ & peccatum: de illo non quærimus, de hoc disputamus. Tu dicis Augustinum docere Opinionem esse naturæ vitium; ego verò à te peto vbinam Augustinus dicat, opinionem omnem peccatum esse, & scelera esse ea omnia quæ ex opinione probabili perpetrantur? Hoc verò si non ostenditur ex Augustino, nihil prorsus agitur ad rem nostram quod sit.

27. Non tamen hîc hæreo. Causatus enim sum, fide non bonâ producta esse Augustini verba; sensu videlicet quem, cùm hæc proferret, non habuit Augustinus. Fateor; dixit Augustinus hoc loco opinionem *numquam esse sine vitio*, Quinimò, quòd miror à Sinnichio omissum, paucis antè lineis, opinantes rigidissmâ censurâ perstringit; *Tria*, inquit, *sunt hominum genera, profectò improbanda & detestanda. Vnum est opinantium.* At de quibus opinantibus hîc agitur? Dicam. Certè nihil est manifestius, quàm quòd de Manichæorum opinionibus toto hoc libro sit Augustini disceptatio; quem quidem ad Honoratum amicum suum conscripsisse se testatur in proœmio, quem adhuc nouerat illorum erroribus detineri. Nolebant illi aut credi Ecclesiæ, aut quidquam ratione intelligere; sed opinione suâ volebant omnia circumscribere & definire: neque vllâ aut Scripturarum auctoritate, aut ratione inquirenda esse dogmata, quàm quæ ipsi opinione suâ tamquam rata & fixa statuebant; neque vlteriùs earum veritatem esse inuestigandam; satis esse, sese sic opinari. Atque hic erat apud Manichæos docendi modus. Contra hos inuehitur Augustinus; de his dicit improbandos profectò esse & detestandos. Et hanc quidem eius esse mentem, clarissimè euincit orationis contextus. Cùm enim dixisset, Tria esse hominum genera profectò improbanda & detestanda, *Vnum opinantium*: vt ostendat de Manichæorum opinandi genere sese loqui; statim subjungit, *id est eorum qui se arbitrantur scire quod nesciunt*. Et mox quibusdam interjectis, vt euidentiùs se de Manichæorum opinandi modo loqui demonstret, *opinari*, inquit, *duas ob res turpissimum est; quod discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit;*

Item malâ fide pro se affert locũ Augustini in quo non de probabili sed de Manichaâ opinione loquitur.

& per se, ipsa temeritas non benè affecti animi signum est. Quid verò hæc ad opinionem probabilem, de quâ nobis lis est, pertinent? an modus probabiliter opinandi, quidquam cum Manichæorum opinandi genere, vel per speciem habet commune? *Primùm* de illo, turpissimum esse asserit Augustinus sic opinari. Probabili autem ratione opinari, id est prudenter judicium ferre, quisquam hominum, ne dicam Augustinus, dicet esse turpissimum? *Deinde* qui probabiliter opinantur, non arbitrantur, id est non statuunt *certò se scire quod nesciunt*; sed quod non planè sciunt, arbitrantur se probabili saltem ratione assequi. *Tertiò*, qui probabiliter opinatur, doceri & potest & vult, neque quidquam tantoperè optat quàm de veritate penitus instrui; rationes omnes adhibet indagandæ veritatis: quam quia non datur funditus perueſtigare, gaudet saltem probabili ratione sibi eam esse compertam. *Quartò*, temeritate non agitur; nam prudenter rationem rebus applicat, neque adhæret nisi verè probabilibus, dum certas inuenire in manu eius non est. *Quintò*, optimè *affectus est animo*; nam istud optat, istud sibi præfixum habet, veritatem inquirere, eique inuentæ omni studio penitus inhærere.

Sincerè explicandi sunt Patres, ne alioquin populo videamur velle impenere.

28. Cùm ergo tanta sit inter Manichæum opinandi genus, probabilemque opinandi modum diuersitas, cur ea quibus Augustinus illos insectatur, probabili opinandi modo tam perperàm applicantur? cur dissimulatur Augustini mens? hoccinè est Sanctos Patres pro se afferre, an ad proprium sensum detorquere? Obsecro Sanctorum mentem sincerè explicemus, eorum verba dum proferimus, ne alioquin veritati nubem obducere, & legentes decipere velle videamur. Sed satis sit. Ego ad alia me accingo. Istud enim ostendendum nunc est, communem totâque Ecclesiâ peruulgatam sententiam, solidissimis nixam fundamentis, tenues auras, quantumuis malignas, non exhorrescere; eamque ventis aduersis non tam commoueri, quàm inuictum veritatis robur ostendere.

§. V.

§. V.

Conscientiam in actionibus decernendis sequi posse sententiam probabilem, auctoritate imprimis, & communi, toto orbe, proborum praxi probatur.

29. ET *primò* quidem auctoritate, è communi & peruulgato grauissimorum Theologorum sensu & consensu petitâ, firmanda est hæc res. Scio equidem Wendrockium istud argumenti genus contemnere; illudque facilè repulsurum, *si contra se, pro decem Casuistis*, id est Theologis, *producantur decem millia*, prout iactat, gloriosè enimuerò, sed nescio an satis sobriè: quid enim aliud dicat in foro rabula? Operæ pretium tamen me facturum existimo, si quàm magnificè de Theologorum, vnanimiter in vnam sententiam conspirantium auctoritate, senserit Ecclesia Catholica, in medium proferam: non vt Wendrockium nimiæ insolentiæ dispudeat, frustrà enim id agerem: latet in tenebris, & in tenebris facilè perfricatur frons; sed vt nemo Catholicus dicteriis eiusmodi moueatur, quæ per Theologorum latus, ipsam Ecclesiæ authoritatem dignitatemque impetunt. Notæ sunt Lutheri Caluinique fraudes, nota artificia; omnes præ se contemnunt hodiernos Theologos; Theologiam modernam à multis sæculis non nisi cymmerias clamant esse tenebras; & ne ex hâc parte obruantur, auctoritatem illis conantur detrahere, arma inquam, quibus se vident illicò debellandos. Neque multis tamen lubet, Theologorum vnanimi consensu rem vnam docentium, auctoritatem asserere: Patrum in Concilio Viennensi, Summique Pontificis Clementis Quinti, hoc est Ecclesiæ totius sensus Catholico homini hâc in parte sufficiet. Cùm itaque disputatum fuisset in Concilio, an paruulis in Baptismo præter originalis peccati condemnationem, etiam Gratia sanctificans Virtutesque infunderentur; & veteres quidem aliquos Theologos pro se haberet durior id negantium sententia, modernorum autem vnanimis consensus pro pueris staret; ita rem definit cum Concilio Pontifex. *Verùm, quia quantùm ad effectum Baptismi in paruulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi contrarias opiniones*

Vide supra n. 16.

Quanta in Ecclesiâ auctoritatis sit communis Theologorum consensus.

Theologos contemnere hæreticorum mos est.

Clementina vnica de summa Trinit.

nes habuisse ... Nos ..... opinionem secundam (quæ dicit tam paruulis quàm adultis conferri in Baptismo informantem Gratiam & Virtutes) tanquàm probabiliorem , & dictis Sanctorum , ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem , sacro approbante Concilio, duximus eligendam. Hinc optimè ratiocinatur ad rem nostram Melchior Canus. *Si ergo,* inquit , *in re, quæ olim inter ipsos etiam Scholasticos Theologos controuersa fuerat , opinio concors iuniorum, tanti apud Patres in Concilio fuit : quantò magis nos, res omni tempore ab scholâ præscriptas tenere ac reuereri debemus?* Et post pauca, sic demùm concludit. *Scholæ igitur communem consensum, non nisi impudenter & temerè rejiciemus.* Hisce fidem si non habeant aduersarii ; ego sanè fidenter dico, Ecclesiæ me judicio prorsus acquiescere. Credulitatis verò nimiæ si me arguant, istud cum D. Augustino constanter profitebor , *credidisse me* Ecclesiæ *famæ celebritate, consensione, vetustate roboratæ. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti , & tam noui , nemini dubium est , quin nihil dignum auctoritate præferatis.*

Canus de loc. Theolog. l. 8. c. 4.

D. Aug. lib. de vtil. cred. To. 6.

Sententiã Communẽ libris impressis tenuere auctores centum octoginta nouem.

Vt autem constet quanto Theologorum omnium consensu recepta semper fuerit , quam proposuimus, sententia , exinde id conficitur , quòd ne vnus quidem sit Theologus aut juris Diuini humaniúe Consultus in Ecclesiâ , qui contrariam sententiam libro impresso vmquam ediderit & propugnarit , præter vnicum Sinnichium & aliquot anonymos veteris Ecclesiasticæ auctoritatis , vt sese jactitant, assertores. Nullus verbis expressis docuit, numquam licere ex opinione vllâ probabili quidquam agere sine peccato : item certò constare debere de veritate rei , antequàm Conscientia quidquam de re faciendâ definiat; & nisi veritas ipsa attingatur, semper peccatum committi ; nullus inquam, isthæc dicta dixit , nullus docuit. Et ex aduerso, tam peruulgata est , quam proposuimus , sententia , vt præter eos qui me fugerunt , centum octoginta nouem sint auctores grauissimi , qui eam publicè lucubrationibus impressis, Ecclesiâ spectante , Pontificibus conscíis & approbantibus euulgarunt. Horum omnium auctorum nomina ad calcem hujus Tractatus quarti dabo ordine alphabetico. Inueniet in illo Lector Episcopos, Archiepiscopos , Cardinales, Doctores Theologiæ & vtriusque juris celeberrimos ; omnium denique ordinum & Scholarum Magistros toto orbe clarissimos , vno ore sententiæ huic tamquam indubitatæ suffragari.

30.

Et

Et quamquàm aliqui (pauci tamen) ex his inter se dissentiant, an ex duabus probabilibus, eligenda sit probabilior, an verò sufficiat probabilem esse, impunè vt possit eligi, tamen in hôc omnibus conuenit, certò & indubitatò veram esse non debere semper opinionem eam quæ praxi à Conscientiâ adhibetur. Nam vtcumque probabilior sit quæ adhibetur, numquàm tamen veritatem certò attingit, sed ratione tantùm probabili & verisimili: adeoque vltra probabilitatis terminos non ascendit. Omnes igitur hi auctores, nouis illis Theologiæ moralis, sed inauditæ, restauratoribus aduersantur; qui tamquam basim veteris austeritatis in Ecclesiam reducendæ statuunt, semper peccari agendo, cùm veritas ipsa non attingitur: atque adeò sic ex opinione probabili agere, semper esse illicitum & culpæ obnoxium; quòd nempè veritatis non attingendæ, id est, peccandi formaliter, inquiunt, periculum adeatur.

31. *Secundò* præter hos centum octoginta nouem auctores, scriptis egregiis claros, sententiam nostram asseruisse dicendi sunt Episcopi & Theologi, qui vmquam toto Christiano orbe, quæstionem aliquam Conscientiæ forum spectantem, ex opinione tantùm probabili deciderunt, licitumque judicarunt quod fortè erat illicitum. Nisi quis sit adeò insolens, vt omnes illos spectatissimæ virtutis viros, lethaliter velit peccasse; atque adeò, cùm populum in errorem induxerint nec vmquam errorem reuocarint, æternis esse ignibus condemnatos. Et quid si ex his multi, ab Ecclesiâ, Sanctorum Catalogo sint adscripti? Vt rem exemplo explicemus: approbati fuêre Montes Pietatis in Belgio in quibus fœnus enorme persoluitur, accepto pignore. Approbationi subscripsêre Episcopi Belgii septem, teste Ludouico de Scildere, & in his Archiepiscopus Iacobus Boonen, & Gandensis Episcopus Antonius Triest. Subscripsêre præterea Doctores Theologi Louanienses octo, & inter hos Cornelius Ianssenius, postmodùm Episcopus Yprensis. Atque ex eorum judicio, in hisce Montibus fœnera per Belgium, etiam modò præstantur. *Et tamen*, inquit præclarè Scildere, *non nisi probabilis est eorum justitia: cùm illis, in multis plures contradixerint, vt ex consultatione Episcoporum & Doctorum aliunde satis patet.* Aut igitur dicendi sunt, existimasse se ex probabili opinione legitimè & inculpatè agere, aut sanè dicendi sunt, *cæci & duces cæcorum*; quòd non quæ tutiora erant, consulen-

Item omnes Theologi & Episcopi, qui ex opinione probabili casus Conscientiæ resoluerunt.

Scildere de Consc. tr. 2. c. 2. §. 2.

consulentibus responderint. Et si ambo in foueam prolapsi sunt, tum qui Montium fænora dixerunt esse licita, tum qui ea exegerunt aut præstiterunt, jam sanè magna pars Belgii in æternum corruit exitium.

Item omnes Doctores Theologi qui in Academiis sententias probabiles etiam juris naturæ proposuerunt & propugnarunt.

Tertiò sententiam nostram liquidò profitentur, quicumque in Academiarum Scholis Doctores, disputationibus publicis & thesibus, vt solet, impressis proponunt propugnantque opiniones probabiles, licèt oppositæ sint probabiles, quædam probabiliores, omnes verò tutiores. Harum autem Thesium exhibitiones, in omnibus toto orbe Christiano Academiis, sunt frequentissimæ. Certè in solis Academicis publicisque Scholis Louanienſibus, ab anno 1640. circa varias juris naturæ probabiles opiniones, propositæ fuerunt & typis impressæ theses omninò quadraginta nouem; quas summâ diligentiâ collegit Ludouicus de Scildere, libroque suo inseruit. Operæ erit pretium eas isthic accurratè expensas legere. Vbi & istud non indiligenter notatur, quasdam ex illis à Doctoribus esse propositas, *qui tenent illicitum esse in materiâ juris naturæ, sequi opinionem probabilem, tutiore relictâ.* Verùm hîc non hæro, fortiùs vrgenda est res. 32.

Peto enim an quotquot sunt in Academiis Doctores, qui probabiles & non omnino certas discipulis sententias exposuerunt, peccati mortalis statuendi sint rei, *quod nempè cæci fuerint duceſque cœcorum?* Deplorandam enimuero Magistrorum conditionem, hoc si ita sit! non enim video quâ ratione sanctissimum quemque, qui pro cathedrâ docuit, ab æternâ damnatione possim eximere; nisi istud dixero, omnes omnino docuisse quod certum est, neque ad minimum quidem vnguem à veritatis apice desciuisse. Hoc autem quâ fronte quæso dixero, qui passim video à doctissimis viris contraria prorsus doceri, & quæ vtrimque vera esse non possunt? alteruter ergo dicendus est errasse. Et cùm nullus error, prout mordicùs defendunt aduersarii, à peccato errantem excuset, constat jam profectò alterutrum lethali crimine intricari: errorique, hoc est peccato mortali immortuus si sit, ignibus æternis esse addictum. Enimuero manifestum hoc est aduersariæ doctrinæ consectarium. Iam autem sic pergo: ponamus inquam, duorum sanctitate & doctrinâ illustrium virorum, in contraria tamen abeuntium opiniones, D. Bonauenturæ, inquam & D. Thomæ. Certè D. Antonino teste, 33.

D. Antonin. 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10.

teste, sententia D. Bonauenturæ fuit, hominem in mortale scelus prolapsum, *teneri statim confiteri sub præcepto, habitâ copiâ Cõfessoris.* Negat id tamen D. Thomas. *Beati Thomæ opinio*, inquit D. Antoninus, *communiùs tenetur, quæ tamen minùs tuta videtur.* Ita ille. Ego verò rem meam sic absoluo. Neutra sententia certa est. Vtraque hactenùs est probabilis, quamuis D. Thomæ sit probabilior. Alterutri ergo subest error, contrariæ sibi cùm sint, & ex diametro oppositæ. Errorem itaque docuit aut hic aut ille; cæcus fuit alteruter & dux cæcorum. Alteruter itaque ex aduersariorum mente peccati mortalis reus fuit Neque sententiam alteruter reuocauit, sed ei est immortuus: itaque mortali crimine implexus, ex hâc vitâ discessit alteruter. Non enim per ignorantiam quantumuis inuincibilem, aut bonam fidem excusari quemquam à lethali crimine, palmarium est aduersariorum dogma. Æternis itaque ignibus addictus est alteruter. Et tamen legitimè & Canonicè Sanctorum numero adscriptus est vterque: canonizatus ergo est, totiusque Ecclesiæ cultui propositus, damnatus aliquis. Errat itaque manifestè Ecclesia quæ vtrumque Doctorem vniuersim colit; cùm certum sit, alterutrum æternis ignibus cruciari. Atqui hinc denique conficio, neutri, id est neque D. Thomæ, neque D Bonauenturæ, sacros honores sine scelere posse exhiberi; cùm certum necdum sit vter errarit, atque adeò quemcumque colueris, manifestum subeas periculum, colendi aliquem inferni suppliciis deuotum atque hostem Dei. Quæ omnia quàm sint absurda, quàm sint impia, & auditu horrida, nemo non videt nisi qui cæcus est, & cæcitate suâ nihilominùs delectatur; tenebrasque suas quamuis cymmerias, Soli vult offundere. Hæc tamen & plura eiusmodi dictu horrida, aduersariorum solemne dogma liquidissimè consequuntur. Quæ quidem numquam eneruabunt: neque Doctorum in ambiendis cathedris sollicitudinem, neque in exponendis sententiis studium, quantumuis sincerum, à peccato mortali eximent, quamdiu non fatebuntur, opiniones probabiles licitum esse Doctoribus docere, & doctis sequi.

Aut D. Thomas, aut D. Bonauentura non est colendus vt Sanctus, si non liceat ex opinione probabili dare responsa.

34. *Quartò* denique, in sententiam nostram consp*i*rent necesse est, quotquot sunt in Ecclesiâ juris periti qui legum apices commentantur; qui intricatissimis juris adeundi, possidendi, dissoluendi quæstionibus quotidiè implicantur; qui in Senatu jura dant,

Item omnes juris-consulti, judices, Consiliarii qui ex

opinione probabili, certa dant responsa.

dant, mutant, adimunt ; qui Regem Rerumque publicarum consiliis & administrationibus adhibentur. Nam cùm id sit certissimum, plurima & fere omnia quæ aguntur, probabilibus tantùm esse nixa fundamentis ; nisi opinionem probabilem Conscientiæ efformandæ, prudenter, adeoque inculpatè sese adhibere posse censeant, sanè actum est de omnibus ; & jam fere periit orbis vniuersus.

Omnes denique toto Christiano orbe viri probi & cordati.

35. Dicendum est itaque non Theologos modò omnes, pro nostrâ stare sententiâ, sed & quotquot sunt viri sapientes & probi, qui eam dum factis sequuntur, calculum nobis adiiciunt, & judicio suo censendi sunt eam approbare. Nisi profectò omnes hos sceleratos esse dicamus, & Cõscientiæ suæ dictamini pertinaciter refragari ; quod horribile est auditu, & prorsus incredibile. Ex quibus omnibus istud conficio, probabilem vt minimum dicendam esse hanc sententiam, siquidem teste Aristotele *probabilia sunt quæ videntur omnibus aut plurimis, aut sapientibus ; & in his, vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus & probatis.* Sapere autem velle præ omnibus & contra omnes, nescio an id sit admodùm sapere. Illis autem rerum nouandarum cupidis, istud rursus ex D. Augustino ingeram : *Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium est quin nihil dignum auctoritate præferatis.* Interim istud meminerint Prophetæ Isaiæ oraculum. *Væ qui spernis, nonnè & ipse sperneris ?*

Arist. 1. Top. c. 1.

D. Aug. l. de Cred. vtilit.

Isa. 33. v. 1.

Sententiam confirmat auctoritas D. Augustini.

36. Tandem vt locum hunc ab auctoritate petitum concludam, tam clara est hâc in parte D. Augustini sententia, vt nesciam quo artificio possit obfuscari. Agit de viro justo sub Imperatoris sacrilegi signis merente stipendia, & belli fortassis injusti causam propugnante. Quæri posset an id licitè agat ? Respondet Sanctus Doctor. *Cùm ergo vir justus, si fortè sub Rege, homine etiam sacrilego militet, rectè possit illo jubente bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans ; cui quod jubetur, vel non esse contra præceptum Dei, certum est, vel vtrum sit, certum non est : ita vt fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi : quantò magis &c.* Quid hâc auctoritate potest afferri euidentius in meam rem ? Criminis absoluit Augustinus militem nefarii Regis auspiciis militantem, non tantùm quando certum ei est, bellum justum esse quod infertur,

D. Aug. l. 22. cõnt. Faust. cap. 75. to. 7.

fertur, sed etiam tum *cùm certum ei non est*, bellandi causam esse justam. Quòd si autem de belli justitiâ certitudinem non habet, sanè opinionem tantùm probabilem de æquitate caussæ quam propugnat, habere dicendus est. Et tamen cum hâc agentem militem, Imperatorisque sui mandatis obsequentem, ab omni prorsus crimine absoluit Augustinus. Censet itaque manifestè, probabilem opinionem, ab omni culpâ, eam dum sequitur, Conscientiam excusare.

37. Verùm istud etiam ex hoc Augustini loco jam vrgeo. Quâ inquam, ratione aduersarii toties ingerant, eam D. Augustini mentem esse, semper peccari quoties etiam per errorem inculpatum veritas rei, aut justitia actionis non attingitur; cùm hîc euidenter asserat, *Virum justum, si fortè sub Rege etiam sacrilego militet, rectè posse illo jubente militare .... etiamsi fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi*, dummodo militi id non constet. Certum est enim si bellum injustum sit, militis actionem injustam esse materialiter,, cum à Iustitiâ caussæ prorsus aberret. Aberrat miles, & tamen rectè eum militare & agere asserit Augustinus. Non igitur id ex Sancti Doctoris mente est, peccatum esse quod culpæ vertatur & vitio, quoties aut per errorem inuincibilem & inculpatum, aut per opinionem verè probabilem, à lege, aut à verâ Dei mente justitiâue aberratur; quod tamen semper declamant aduersarii. Volunt illi semper peccato lethali esse obnoxiam actionem illam, quæ iustitiam rei non attingit. Et tamen ecce militem injusto fortassis bello, bonâ fide dantem operam; sententiamque pronuntiat Augustinus, rectè id fieri. Sed satis sit; auctoritatibus datum est satis: rationibus altiùs promouenda est res.

§. VI.

Conscientiam in actionibus decernendis sequi posse sententiam probabilem, ratione demonstratur.

38. EQuidem scio, argumenti genus quod à ratione petitur, ab aduersarijs prorsus rejici, humanas per contemptum vocari ratiunculas, Aristotelica sophismata Ecclesiasticis dogmatibus

non esse inserenda, neque ab Academiâ petendas esse morum regulas, sed à veteri Ecclesiâ, passim ab iis proclamari. Scio, inquam hæc omnia; sed & scio quò hæc vergant. Rationem omnem volunt extingui, neque illius rationem vllam haberi, quòd eâ se videant penitus conficiendos. Verùm & istud scio, nihil imprimis esse in omnibus quotquot fide Christianâ circumplectimur mysteriis, quod contra rationem sit; quamuis sint plurima Diuinitatis arcana quæ præter rationem sint, id est quæ ratione solâ non datur assequi, & nihilominùs indubitatâ prorsus tenenda sunt fide. In his verò quæ mores spectant, quæque in actionibus humanis ritè dirigendis seu à Deo, seu à Christo, seu ab Ecclesiâ & Pontifice, Christiano cœtui data sunt præcepta, manifestum est non solùm nihil præcipi quod sit contra rationem eique aduersetur, sed nequidem quod præter rationem sit, id est, quod non ratione bonâ, rectè præceptum esse, possit demonstrari. Nimis clara hæc sunt, quàm vt pluribus ea exequar; siquidem vt præclarè Nazianzenus *Deus ipsissima ratio est.* Si ergo Diuina voluntas rationi aduersetur, jam sanè sibi-ipsi repugnat Deus, sibi est injurius, Diuinitatemque suam vult destruere. Cùm itaque fieri non possit, vt Deus rationi repugnet, si istud liquidò ostenderim aduersariorum sententiam, non Aristotelicis ratiocinationibus, sed rationi ipsi penitus repugnare; rationi inquam, quam Deus, naturæ auctor nobis inseuit, quamque *vt lumen vultus sui signauit super nos* Dauide teste; an non causam tunc euicero? Ad hanc itaque rationem, non heri in scholis natam, sed naturæ jam olim congenitam, aduersarios appello. Hoc sanè tribunal ab hominum nemine, nisi ab eo qui rationis prorsus exors est, credo posse recusari. Hic igitur stemus.

Deus nihil potest præcipere, quod rationi aduersetur.

Ps. 4. v. 7.

Atque vt radicitus & ab ipsis fundamentis eruamus rem, istud præmittendum est, idcircò ab aduersariis negari opinionem probabilem à Conscientiâ assumi posse, vt ex eâ quid sit agendum statuat, quòd opinioni eiusmodi possit subesse falsum, ac propterea eam qui sequitur, periculo se exponere aberrandi ab eo quod verum est: quod sanè est, inquiunt, à voluntate Dei deflectere; nam Deus veritas est: *Ego sum via veritas & vita*, & *veritas liberabit te*, & multa in hunc modum. Volunt itaque, hominem qui indagatis omnibus, veritatem tamen ipsam perquisti-

39.

Ioan. 14. v. 6. Ioan. 8. v. 32.

Semper peccari, agendo ea quorum veritas non certò percipitur, est aduersariorum dogma.

non re

re non potest, eamque tantùm probabili ratione assequitur, ab omni actione debere desistere; neque vllam sine culpâ lethali posse exhibere, nisi & veritatem ipsam attigerit, & certus sit se eam attingere, nullumque se peccatum materiale committere. Quòd si autem à vero aberraueris, quantumcumque arbitreris te rectè agere, semper tamen te lethali crimine, quodque tibi innocenter agenti nihilominùs à Deo imputetur, innodari. Hoc nouæ illius, quam tamen veterem appellant, moralis Theologiæ fundamentum. Quod quamuis superiore Tractatu euerterimus, vbi ignorantiam juris inuincibilem & inculpatam (qualis in hâc quam tractamus quæstione sine dubio, inuenitur) ab omni peccato actiones absoluere, liquidò est ostensum, juuat tamen illud altiùs eruere.

Probatur Deum tale præceptum nec tuliſſe, nec ferè potuiſſe

40. Tota igitur ratio, vt aduersarii asserunt, cur illicitum sit actionem vllam opinioni probabili committere, est, quod Deus præceperit nihil prorsus ab homine agi, in quo vel minimum sit aberrandi à verò etiam ignorato periculum; vetueritque omnem omninò actionem, cui materiale possit subesse peccatum. Atqui præterquam quòd hoc præceptum nusquam extet, neque vmquam à Deo reuelatum denuntiatumque fuerit, (quod tamen in re tanti momenti, quæque per omnes penè actiones humanas peruagatur, à Deo non fuisset prætermissum, neque rectè potuit prætermitti) istud jam vrgeo. Præceptum istud, naturæ intellectusque humani ad pauca admodum contracti exilitati non esset accommodum: actiones pleraſque humanas, tum naturales, tum morales suspenderet, sine quibus tamen nec vita nostra, nec res priuatæ, nec publicæ; & hæ neque Ecclesiasticæ neque Politicæ aut ciuiles stant. Denique præceptum hoc societatem commerciumque humanum maximâ ex parte destrueret ac violaret. Istud autem in confesso est, hæc omnia & singula rationi repugnare, itaque à Deo tale præceptum ferri non potuit.

Non esset intellectûs humani imbecillitati accommodatum.

41. Neque hæc temerè à me dici quisquam existimet. Quid enim? an ea est intellectûs humani capacitas, vt omnium rerum veritatem possit percipere, non genericam tantùm, sed, quod in actionibus quotidianis est necessarium, peculiarem & individuam? Quantulum est in rebus humanis (Fidei mysteria si excipimus) quod verè scimus, & sine errandi periculo? Paucula prorsus sunt quorum habemus scientiam generalem; & hæc ipsa dum rebus

particularim applicantur, infinitis illicò circumstantiis implicantur. Adeò vt de veritate particularium rerum nihil admodum detur certò cognoscere, nisi fortassis oculis percipiantur & sensibus: & adhuc de veritate rei quæ per sensus percipitur, erit qui non ineptè possit aliquando dubitare. Si itaque præceptum sit, nihil prorsus agere, nisi id cuius veritatem intellectus liquidò & certò percipit, sanè veritatem rerum omnium indagare cogimur; nec indagare modò, sed & percipere. Quod cùm humani intellectûs imbecillitatem longè superet, manifestum est præceptum illud abs re esse, neque viribus humanis accommodum. Igitur rationi aduersatur, id est Deo, siquidem Deus sit *ipsissima ratio.* Non igitur præceptum istud à Deo ferri potuit, nisi fortè ad hæreticam & à Pontifice damnatam propositionem libeat confugere: *Aliqua Dei præcepta justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, esse impossibilia.* Quod quàm rationi omni repugnet, nemo non videt.

Deinde quia sic plurima actiones naturæ necessariæ, essent illicitæ.

Age verò; si semper sit illicitum ea agere, quorum certò & indubitatim intellectus non judicat veritatem sese attingere, sic vt ab eâ ne materialiter quidem aberret; quid demùm magnopere supererit, homo agere quod possit absque scelere, quantumcumque demum prudenter & ratione bonâ actiones suas fatagat instituere? *Primò* enim ne naturæ quidem munia poterit exercere, eaque adhibere quæ corpori sustinendo sunt necessaria. Quid? an venenum quisquam licitè epotabit, quo sese nouerit conficiendum? minimè inquies. Iam verò id quæro, quâ certitudine scire quis possit, cibum quem ori ingerit, innoxium esse, corporique minimè nociturum? certè de hâc re nemo tam certus est, vt error subesse non possit: plurimos enim vidimus credulitate suâ turpiter fuisse deceptos. Fac igitur errare te, & cibum te comedere quo tandem conficeris. Hîc certè materiale saltem à te commissum est homicidium. Neque si dicas *Ignorans feci*, quidquam proficis; ignorantia enim nulla prorsus excusat à scelere. Itaque verus tuiipsius es homicida, & quidem culpæ obnoxius. Cùm verò id contingere semper possit, quidcumque demum comedas, neque adeò certus sis, cibo, quò vesceris, homicidium istud non esse perpetrandum, ab omni comestione abstinendum erit posthac, præterquam ab eâ cui reuelatio Diuina fidem fecerit, innoxiam fore & prorsus innocuam- 42.

cuam. *Deinde* si corpori à morbo malè fuerit, illicitum erit medicos consulere, neque vlla sine scelere adhibebitur malo medicina. Non enim ea medici adhibent, nisi quæ probabili ratione profutura credunt medicamenta, & sic sæpe noxia applicant. Itaque si casu aliquo valetudini grauiter offecerint, & vitam ægro eripuerint, veri erunt homicidæ, culpæ mortalis rei; nam nulla ignorantia, ne quidem inuincibilis, quemquam excusat. Atqui æger ipse etiam lethalis culpæ reus est, quòd medicinæ, de cuius virtute omnino non constabat, vitam commiserit, atque adeo homicidii perpetrandi periculo. Hoc autem cùm in omni prorsus medicinâ locum habeat, omni prorsus est medicinâ abstinendum; & frustra corporibus curandis, aut herbas aut *medicum* vti sacræ tradunt paginæ *creauit Dominus*. Cæterum nec aëri me possum exponere, nec ventos captare nec auras. Numquam enim certus sum, actiones illas non esse noxias, mortemque allaturas. Quòd si autem inferant, illico mors illa mihi imputabitur, neque vllum ab ignorantiâ mali, innocentiæ meæ datur patrocinium. En quàm clara sint aduersæ sententiæ consectaria. Sanè si vera est, pleraſque naturæ functiones, vti jam patet, illi denegare necesse est.

Eccli. 38. v. 1.

43. Ad morales verò actiones, quod secundum erat, si mentis oculum deflectamus, quid demum agere erit licitum, si nihil agere liceat, nisi quod certò constat neque errori vlli neque periculo materialiter peccandi esse obnoxium? Agesis paternam hæreditatem, & quidem opiparam, cum fratribus ex æquo diuisisti, eâque frueris bellè & pacificè. At an certus es omnino, sic vt errare non possis, paterna bona jure ab ipso esse acquisita? hoc quidem non adeò certum est, quin falsum esse possit. Deinde an tibi etiam certum est, legitimum te esse filium, & non ex adulterio matris conceptum, fratribusque insertum dolo malo? hæc autem cùm possint contingere, fac contigisse, licet veritatem rei ignores tu. Profectò injusta injustè possides bona; neque vllo jure, cum cohæredibus ex æquo diuisisti non tua. Itaque injustitiæ saltem materialis teneris crimine. Cujus committendi discrimen ipsum cùm nefas sit, sanè quotquot sunt mortales, materna paternaque bona debent dimittere; cùm nemini hominum absque erroris periculo constare possit, ea se

Tertiò, destrueretur in plurimis humana societas.

justo

justo titulo possidere; & si fortè iniustus sit, quem probabili ratione justum existimat, ex probabili ratione bona retinens condemnabitur. Hanc profectò sententiam persuadere hominibus si possint aduersarii, breui immutata erit tota Reipublicæ facies. Nemo enim jure probabili & non indubitatim verò, bona possidere cùm possit absque scelere, omnes planè viri probi de possessione agrorum discedent, bona in commune conferent, sed nescio quo titulo (nam is etiam certò verus esse debet) & à quo posthac possidenda. Verùm sententiæ huius auctoribus & sectatoribus præferuidis, ante omnia istud suaserim, vt doctrinæ suæ, factis pondus addant; exemplo itaque cunctis præeant; bonis paternis, ea si possident, abeant; & si beneficiis Ecclesiasticis gaudeant, illa in patronorum manus resignent. Nam non est adeo certum, eos beneficii capaces esse, cùm tantùm probabili ratione constet eos Baptismi ablutos Sacramento. Cum hâc autem opinione non stat Ecclesiastici beneficii inculpata possessio. Nam si verè ei falsitas subsit, verè etiam ab ignorante materialis injustitia committitur: cuius, quia per ignorantiam non diluitur, etiam periculum, necessariò debuit euitari.

& commercium. Iam verò quod de adeundâ hæreditate dictum est, hoc & de legatis quibuslibet, donationibus inter viuos, donis gratuitis, aliisque, quæ passim inter homines aguntur, infinitis rebus dicendum est. Quâ enim certitudine mihi constat, hæc quæ offeruntur furtiua non esse, & jus donanti in ea competere, nisi solum eâ quæ ex probabili ratione petitur? hâc autem niti si non liceat, quâ demùm Conscientiâ acceptantur? Rursus infiniti contractus prohibendi sunt, initi quondam rursus rescindendi: nam prout in jure ciuili res agitur, infinita propemodum sunt, quorum rectitudo, non nisi probabilibus nititur fundamentis, neque aliam veritatem datur elicere; igitur & condemnandi sunt Iudices, etiam qui probabilioribus inducti rationibus tulêre sententiam; & ii omnes qui talis sententiæ adminiculo hæreditatem adiêre. Nam quantumcumque probabiliorem secuti sint opinionem, tamen intra probabilitatis tantùm terminos stetit res; veritas ipsa, à quo staret jus, non constitit. Itaque potuit errari. Sit ergo esse quod potuit, & verè erratum sit. Injusta itaque fuit sententia; & injusta, ab eo qui lite vicit, possidentur bona; ac sic injustitia materialis committitur, 43.

quæ

quæ sceleri vertitur. Huius autem committendæ periculum, cùm semper adsit, illudque euitari cùm Deus velit, cessent sanè donationes, cessent testamenta, cessent legata, cessent contractus, cessent judicia, dissoluantur Senatus, perpetuumque orbi Christiano indicatur justitium: ita enim ferunt nouæ Theologiæ, hesternæ, si placet, leges.

45. Verùm, non est quod de dissoluendo Senatu, ablegandisque judicibus magnopere sim sollicitus. Nam si illa toties decantata, & à veteri austeritate laudata Theologia, hominum mentibus benè imbibatur, pacata erunt posthac omnia, neque litium strepitu perstrepent subsellia. Nemo enim, quantumcumque jus probabile habeat, litem alteri sine scelere mouere poterit; nam certum cùm non sit jus, potest probabilitati subesse falsum; & si litem nihilominùs euincat, injusta possessurus est bona. Itaque ex hâc parte lites omnes cessare necesse est. Rursus si probabile sit jus rem aliquam exigentis, jam sanè necesse est, vt probabile tantùm sit etiam jus possidentis rem quæ exigitur. Igitur & hic sine vllâ judicis sententiâ, hæreditate omni, de quâ quæritur, debet cedere; ne fortè non sua dum possidet, materialem iniustitiam in re grauissimâ committat. Ad quem igitur ibunt bona? non ad actorem, cuius jus tantùm est probabile; non ad possessorem, cuius jus certum, probabilitate actoris superueniente, est infractum. Ad quem ergo? Nescio. Istud scio, lites omnes hoc dogmate esse accisas. Nemo enim probus actionem instituet nisi jus habeat saltem probabile; probabile autem si tantùm sit, jam nulla datur possessori defensio; frustranea enim erit probabilis (quod etiam tantùm habet) juris propugnatio; cum ex probabili opinione, nulla Conscientiæ licita sit actio aut possessio. Ecce vt commercium penè omne, societatemque politicam humanam extinguimus, si non, nisi certò veris, licitùm sit insistere.

Vix vlla bonorum possessio esset secura.

46. Quid quod & Religionis exercitio, non minima infertur labes; imò penè dixerim Sacramentorum vsui penitus interdicitur? Sanè sacrilegis sacrificiis assistere, homines Pœnitentiæ gratiâ adire qui absoluendi jurisdictione careant, aut fictè agant omnia, nemo non dicet esse sceleratum. At quam ego quæso certitudinem habeo, hominem quem video sacris assistere,

Quartò Religionis exercitium vt plurimùm esset interdicendum.

ſtere, aut baptizatum eſſe, aut legitimè conſecratum, aut bonâ fide & non ſacrilegè ſacra peragere? An certum eſt me in hoc homine non errare? Errem igitur. Iam ſanè ſacrilegium materiale committo, à cuius culpâ per ignorantiam veri non excuſor. Vt quid igitur ſacra adeo, quæ tali periculo ſemper ſunt expoſita?

Et abſtinendum à Sacramentorum vſu.

Deinde an quiſquam ita de ſtatu gratiæ certus eſt, vt ſcientiæ quam de ſe habet falſum ſubeſſe non poſſit? hoc certè nemo dixerit, niſi qui Concilii Tridentini fulmina non exhorreſcit. Certè id aduerſarii ſaltem nullo modo negare poſſunt: nam cùm etiam peccata quæ materialia paſſim vocantur, ea nempè quæ ex ignorantiâ inculpatâ & inuincibili committuntur, apud eos propriè dicta peccata ſint, ſanè negare non poſſunt, ex eorum ſententiâ, mortales grauiſſimis ſceleribus ſæpè, licèt id ignorent, implicari. Nemo igitur certus eſt gratiæ ſtatum obtinere ſe, quantumuis id probabili credat argumento. Quo pacto igitur ad Synaxim accedere quis deinceps audeat? implicitus enim lethali ſcelere, ſacroſancta ſi adeat myſteria, nouo ſeſe ſacrilegio contaminet neceſſe eſt. Atqui ſi de innocentiâ ſuâ omnem certitudinem non aſſequatur, fieri poſſet vt noxæ ſit obnoxius, ſaltem per ignorantiam inuincibilem contractæ. Id verò ſi ita ſit, ſacrilegio materiali rurſus inuoluitur. Quod quia præcepto Diuino penitus prohibetur, nec exerceri poteſt ſine lethali ſcelere, etiam periculum illud committendi neceſſariò cauendum eſt. Periculum autem iſtud cùm ſemper adſit, quotieſcumque tam ſancta tractantur Sacramenta, jam ſanè eorum vſui interdicendum eſt planè: neque ab Eccleſia potuit annua Communio legitimè indici, neque verò ab ipſo Chriſto inſtitui Sacramentum, cuius vſus abſque manifeſto ſcelere non dabatur. An idcircò fortaſſe, nonnulli veteris illius Eccleſiaſticæ auſteritatis ſectatores, per multos annos de Sacræ Synaxeos communione ſibi aliiſque interdixerunt, quòd Diuinâ ipſis reuelatione nihil quidquam de ſtatu Gratiæ conſtaret, nollentque certitudini morali, & quam probabilis gignit opinio, ſeſe committere? En in quas anguſtias veterem Eccleſiæ ſanctitatem, omnemque Religionis cultum contrahant, veteris Eccleſiæ reſtauratores egregii. 47.

Hoc

48. Hoc tamen jam non agimus: illud tantùm demonstrasse contenti, præceptum non agendi nisi ea quorum veritatem *certò* attingimus, nusquam extare: neque verò tale præceptum à Deo ferri potuisse; cùm commercio omni humano, & Reipublicæ tum politicæ, tum Ecclesiasticæ, & Religionis exercitio, prorsus adversetur, atque adeò rationi sit contrarium. Vnde euidenter patet, tum cùm rei veritatem intueri non datur, Deique mentem probabilibus tamen quis assequitur argumentis, istud sibi certò posse præstituere, sese opinionem verè probabilem sequendo, nullo prorsus crimine implicari. Agit enim prout humani intellectûs fert imbecillitas, cautè & prudenter. Nihil autem præterea, vt ne peccetur peccato propriè dicto, seu quod culpæ imputari possit, à Deo requiritur. *Conclusio.*

49. Hinc patet, vanam esse & emarcidam objectionem, quam quidam semper premunt, opinionem probabilem quisquis sequitur, eum sese peccandi periculo saltem exponere; periculum autem quisquis amat, in illo periturum, vt rectè Sapiens. Nihil, inquam, ad rem id nostram facit. Nam quamuis fatear errandi periculum adiri, nego tamen vllum esse peccandi; cùm jam non dubium, sed certum Conscientiæ judicium sit, præstare se actionem posse, dum probabili ratione constat rem esse licitam, quamuis etiam probabile sit esse illicitam. Non itaque in hoc euentu dubia aut hæsitabunda est Conscientia, sed certa de actionis suæ bonitate, quamuis de errore materiali à se committendo certa non sit. Tolerat autem, & dissimulat errorem talem Deus, ne vt diximus, ea exigat importunè, quæ humana non fert natura. Et hæc demum est ratio, cur peccata materialia, bonâ fide agenti, ad culpam à Deo non imputentur. Sic si dum ex D. Pauli æde medium auditur duodecimæ, tum cùm in D. Petri duodecima designatur, & verè duodecima sit, cùm Meridianam Sol attigerit; clarum est, eum qui in casu §. 1. à nobis proposito carnibus deinceps vescitur, materiale peccatum committere; verè enim lex tunc obligat. Non tamen sese vlli formaliter peccandi periculo exponit, cum ipsi sit verè probabile, non nisi medium esse duodecimæ: & aliunde prorsus certum, benè eum agere quisquis ex probabili opinione, hoc est prudenter, actiones suas moderatur. Materialis autem peccati, aut vt clariùs loquamur, erroris, ratio à Deo non *Qui opinionem sequitur probabilem, peccandi periculo nullo modo se exponit.*

exigitur. Quid enim ? si tum cùm in D. Pauli æde medium audiebatur duodecimæ sed malè, etiam in D. Petri reliquisque ciuitatis Horologiis idem commissus tu sset error, an non eo in euentu tutâ plane Conscientiâ carnibus & genio à conuiuiis tuisset indultum ? Quis dubitet inquis ? atqui tum materiale peccatum aut errorem nihilominùs commisissent, verè enim erat duodecima, & jeiunii obligabat lex. Vti ergo materialis ille error, crimini non objicitur, cùm per ignorantiam facti excusetur, prout præcedenti Tractatu disputauimus ; ita & is qui verè probabili nixus opinione à veritate aberrat, innocenter aberrat ; eamque qui agendo sequitur, nullum prorsus subit formaliter peccandi periculum, licèt adeat materialiter aberrandi. Hoc autem adire cùm res postulat, à Deo, vt sese humanæ imbecillitati accommodet, est indultum. Atque hoc modò primam disputationis huius propositionem enodauimus.

CATA-

CATALOGVS

AVCTORVM CENTVM OCTOGINTA-NOVEM;

Qui libris impressis docuerunt licitum esse agere ex opinione probabili.

ET quidem ii qui asteriſco notati non ſunt, docent etiam, & quidem plerique diſertis verbis, relictâ opinione probabiliore, licitum eſſe operari ex opinione probabili. Aut, quod idem ſignificat, quemlibet poſſe ſequi ſententiam quamlibet probati auctoris, modò tantùm ſit probabilis. Atque hi ſunt numero centum quinquaginta-nouem.

Reliqui verò aſteriſco ab aliis diſcernuntur, non quod omnes contrariæ ſint ſententiæ (ſunt enim ex his pauciſſimi, & ferè tantùm octo vel decem) ſed quod ſecundam hanc controuerſiam non attigerint, nec ex profeſſo pertractarint.

* Adrianus VI. Pontifex Maximus. *quodlib. 2. puncto 3.*
* Almainus Theolog. Profeſſ. Pariſiis. *in 3. d. 23. quæſt. 1. verſ. vnde qui. Tract. 3. moral. c. 3.*
Aluarez, Archiepiſcopus Tranenſis, Ordin. S. Domin. *in 1. 2. q. 19. art. 6. diſp. 80. n. 9.*
Aluarez de Valeſco, Senator Cancellariæ Nouæ-granatenſis. *In Iudice perfecto. Rubricâ. 14. annot. 7.*
Amicus. Societatis IESU. *to. 3. diſp. 15. ſect. 4. n. 76.*
* Angelus. Ord. S. Domin. *in Summâ Angelicâ v. Opinio. n. 2.*
Angles. Epiſcopus Boſanus in Sardiniâ. Ord. S. Franciſci. *in florib. Theolog. Parte 1. quæſt. de Confeſſ. Difficul. 8.*
* D. Antoninus, Archiepiſcopus Florentinus. Ord. S. Domin. *1. part. tit. 3. c 10. §. 10. doctr. 5.*
Armilla Bartholomæi Fumi, Ord S. Domin. *verbo Opinio. §. 1.*
Arragon, S. Theolog. Doctor, Ord. S. Auguſt. *in 2. 2. q. 63. a. 4. §. An autem liceat.*
Arriaga, Societatis IESU. *in 1. 2. diſp. 24. n. 2. & ſeqq.*
Ab Aſcenſione. Ord. Carmel. *in Theolog. morali. Tract. 1. c. 11.*

Auersa, Præpositus Generalis Clericorum Regularium Minorum. *in* 1.2.*q*.28.*sect*.18.*conc*.2.

Azor Societatis Iesu. *to*.1.*l*.2.*c*.12. *&* 16.

Bail, S.Theol. Doctor Sorbonicus. *l. de triplici Exam.par*.1.*q*.13.

Baldellus Societatis Iesu. *Theol.Mor.l*.4.*disp*.12.

Bañez, Ord.S.Dom. 2.2.*q*.10.*a*.1.*conclus*.4.

Baptista, Ord.S.Dom. *in* 1.2.*dis*.208.*dub*.6.*conc*.5.

Barbosa Augustinus, Episcopus Vgentius. *In collectaneo to*. 1. *in c. Capellanus n*.6. *de ferijs.*

Barbosa Emmanuel, Iuris Vtriusq.Doctor. *In remiss. doct. ad Ordines Religios. Lusitan. l*.3. *tit*.64.*n*.10.

Bardi, Societ. Iesu. *de Conscient. Discep*.4.*c*.9.

Bassæus, Ord. S.Franc.Capucin. *in Floribus titulo Conscient.n*.9.

Becanus, Societ. Iesu. *Theologiæ Scholasticæ p*.2.*Tract*.1 *c* 4.*n*.15.

Beja, Ord. S.August. *In varijs decis.casuum. par* 2.*casu* 6. *fol*. 60. *in edit. Veneta.*

Bonacina Episcopus, teste Allatio. *Disp*.2. *de peccatis. q*.4. *pu*.9. *proposit. vnicâ.*

Bossius, Clericus Regul. Barnabita. *To*.1.*par*.1.*tit*.1.*§*.17.

Bresserus, Societ. Iesu. *l*.3. *de Consc.c*.6.*n*.69.73.

Burgos de Paz. Iuris Vtriusq. Doctor. *In proœmio legum Tauri. n*.162.397. *& seq.*

Busenbaus, Societ. Iesu. *in medullâ Theolog. moral. l*.1. *tract*.1. *c*.2.*d*.2.

* Cabezudo. Ord.S.Domin. *in addit. ad* 3.*par. q*.8. *a*.5.*dub*.3.

* Cajetanus S. R. E. Cardin. Ord. S.Domin. *in summâ. verbo Opinionis vsus.*

Candidus, Ord.S.Dom. Magister sacri Palat. *to*.1. *Disq.mor.disq*. 3. *de absol. a*.20.

* Canus, Episcopus Canarienſis, Ord. S.Dom. *l*.8 *de locis Theol.c*.4. *concl*.1. *vltra medium.* testatur scholam suam, id est Thomisticam, magnam licentiam dare, vt quodcumque maximè probabile occurret, id liceat suo jure defendere. Tota igitur schola Thomistica sententiæ nostræ subscribit.

Caramuel, Episcopus Misiæ, S.Theolog.Doctor. *In Theolog. fundamentali. n*.275. *edition. Francofurt.*

Carbo, Theolog. Professor Perusij. *in summâ to*.1.*par*.1.*c*.14.

Caspensis, Ord.S.Franc.Capuc. *to*.1.*tr.de Consc,disp*.3.*sec*.2.

Castro-Palao, Societ. Iesu. *to*.1.*tr*.1.*disp*.2.*pun*.2.

* Ceuallos

* Ceuallos I. C. *in Præfat. ad practicas communes.*
* Comitolus, Societ. Iesu. *l.5. Respons.mor. q.15. n.4.*
Coninck, Societ. Iesu. *Disp.34.de Matrim. dub 10.n.84.*
* Conradus Professor Theolog. *Tr.7. de Contr.q.vltim.conc.7.*
Corduba, Ord.S.Francisci. *l.2.q.3.*
A Coriolano, Ord.S.Francisc.Min. *Tr.de Casib.reseru. par.1.sec.2. a.2.n.2.*
Cornejus, S.Theolog.Doctor Salmanticensis.Ord.Carmel. *tr.8. disp.3.dub.3.*
De Blanchis, Ord. S.Domin. *In disquis. de difficilioribus materijs casuum. pag.182. Venet.*
De Champs, Societ. Iesu. *in quæstione facti.*
De la Cruz, Ord. S.Francisc. *in exposit. Bull. Cruc. in append. de opin.Probab. dub.1.n.6.*
De la Rua, S.Theol. Doct. *To.2. Theol.Controu.controuers.6.dub.6.*
Diana Clericus Regularis. *2.par.Resol.mor.tr.13.de opinion. probab..resol.1.*
Du Vallius, S.Theol.Doctor Sorbonicus. *Tr.de Actibus q.4. a.12. fol.115.*
Escobar, Societ. Iesu. *Theolog.moral.l.2.c.6.probl.3.*
Fagundez, Societ.Iesu. *De præcep.Eccl.præc.2.l.3.c.4.*
* Ferro Manrique, Iuris Vtriusq. Professor. *Resolutarum quæst.p.2. qu.114.n.19.*
Filiucius, Societ. Iesu. *To.2.mor.qu.Tr.21.c.4.n.128.*
Fragosus, Societ. Iesu. *De Regimine Christianæ Reip.par. 1. l.4. Disp.10. n.196.*
* A Friburgo, Ord.S.Dom. *In summa Confessar.3.tit.33.qu.18.*
* Gabriel, Ord.S.Francisc.Min. *in 4. dist.15. q.13.a.2.corr.1. & præcedentibus.*
Gallego, Ord.S.Dom. *Tr.de Consc. de probabili. dub.1. num. 19.* apud Mendo infra.
Gallo, S.Theol. Doctor Salmanticæ. Apud Salas. *in 1.2. Tr.8. disp.vnic.sect.12.n.118.*
Gamachæus S. Theolog. Doctor Sorbonicus. *in 1.2. q.19. c.2. conc. & reg.1.*
Garcias, Nicolaus I.V.Doctor. *de Benef.par.11.c.5.n.361. & seqq.*
Garcias, Hieronimus, ex Ord. S. Hieron. *in summâ morali. Tr. 1. diff.5.dub.2.n.5.*

Gesualdus,

Gesualdus, Ord. S.Francisc. Capuc. *To.1.oper.moral.tr.24.c.5.*
Gordonus, Societ. Iesu. *l.1.Theol.mor.q.9.c 6.n.33.34.*
Granadus, Societ. Iesu. *in 1.2. controu.2.Tr.12.n.23.*
Guazzinus, Congreg.Oratorii Ciuitatis Castelli. *in Tr.moral.l.2. c.26.n 14.*
Gutierez I.V.Doctor. *l.1.quæst.Canon. c.13.n.23. & seqq.*
Hacquetius, Ord. S. Domin. *in Controuersorio. in 1.2. Tract. de Consc. Controu. 14.*
Habertus, Episcopus Vabrensis. *Apud Raynaudum infra.*
Hallus, S.Theol.Doctor. *Tr. de Consc.l.2.c.9.*
* Herincx, Ord.S.Franc.Min. *parte 2. Summæ Theolog.disp.4.n.22.*
Henriquez Henricus, Societ. Iesu. *l.14. de irregularit. c.3. n.3. littera B. vide citationes.*
Henriquez, Ioannes, *in quæst.pract.sect.1.n.6.*apud Mendo infra.
Hispanus, Theologus Duacenus. *in addit. ad summulas Cajet. verb. Opinionis vsus.*
Hostiensis S.R.E. Cardinalis. *ad cap. si vir. de Cognat. spirituali. Istud enim tibi.*
Homobonus, Clericus Regul. Barnabita. *in Exam. Ecclesiast. tra.12.c.4.q.17. resol.6.*
Hurtado, Gaspar, Societ. Iesu. *de actibus, disp.4.de Consc.diffic.15.*
De Ianuario, Congregat. piorum Operariorum. *In Resolut. varijs. Resol.4.*
A S.Ioseph. Cistercienſis. *lib.1.de leg.c.3.Resol.4.*
Isambertus S.Theolog. Doctor Sorbonicus. *in 1.2.q.19.disp 9. a.2. & a.4.*
Iustinianus, Bernardus. *de continuatione cambior.q.13.num.16.* apud Bardi.
Laloueyra. *Apud Reynaudum infra.*
Lanfrancus, Clericus Regularis. *Opusc.1.mor.c 4.n.16.*
Layman, Societ. Iesu. *l.1.Theol.mor.Tr.1.c.5.§.2.n.7.*
Leander, Ordinis SS. Trinit. Redemptionis captiuorum. *part.5. moral.Tr.1.disp.4.q.10.*
Ledesma, Episcopus Guaxaguensis, Ord. S.Domin. *de Pœnitentiâ, diffic.4. In summâ. par.2.Tr.8.c.22.*
Lessius, Societ. Iesu. *in 1.2 q.19.a.6.dub.7.n.45.*
Lezana, Carmelita, *In summâ quæst. regul. to.3. v. Opinio Regularibus tenenda, n.5.pag.458.*

Lopez,

Lopez, Ludouicus, Ord. S. Domin. S. Theol. Doctor. *1. par. Institutorij, c. 287. conc. 2. q. 2.*

Lorca, Ciſtercienſis, S. Theol. Doctor Complutenſis, *De Actibus, diſ. 39. memb. 1.*

* Lorichius, S. Theolog. Doctor, *in Theſauro nouo vtriuſque Theol. verb. Opinio. n. 2.*

Lugo, Franciſcus, Societatis Iesu. *De actibus, decursûs præuij p. 1. q. 2. n. 28.*

Lugo, Joannes, S. R. E. Cardinalis, Societatis Iesu. *De jure & Juſt. part. 2. diſp. 37. ſect. 10. n. 113. in fine.*

Machado, S. Theolog. Doctor Limenſis. *In perfecto Confeſſario, Diſcurſu practico, art. 3.*

* Major Ord. S. Franciſci, *in 4. in Prologo concl. 5. 6.*

Malderus, Epiſcopus Antuerpienſis, *in 1. 2. q. 19. diſp. 86. conc. 3.*

Malletus, Ciſtercienſis, *To. 1. moral. Theolog. Malleat. 8. tr. 4*

Mancius, S. T. Doctor Salmanticæ, apud Salon. *in 2. 2. q. 63. a. 4. Controu. 2. ante concl. 1.*

Marchantius, Ord. S. Franciſc. *in Tribunal. tr. 5. tit. 5. q. 7. conc. 1.*

Martinez, Ord. S. Dom. S. Theol. Doct. *to. 1. in 1. 2. q. 19. a. 6. dub. 6.*

Mauder, Theolog. *in præcepta. Præc. 8. diſcur. 2. n. 10. diſp. ſec.*

Medina, Bartholomæus, Ord. S. Domin. apud Gammachæum, *in 1. 2. q. 19 a. 6. conc. 2. & conc. 3. §. Sed ex hoc naſcitur.*

Medina, Joannes, S. T. Doctor Complutenſis. *Cod. de rebus reſt. de rebus per luſum acquiſitis ad 6.*

Mendo, Societ. Iesu. *In ſtaterâ opinionum. diſſert. 13. q. 15. n. 199.* circa finem.

Menochius I. C. Senator Mediolan. *de Præſumpt. l. 2. præſ. 71. n. 16. & ſeqq.*

Meratius, Societ. Iesu. *To. 2. in D. T. Tr. de Juſt. & jure, diſp. 10. ſect. 2. n. 5.*

Mercado, Ord. S. Domin. *l. 2. de Contract. c. 5. edit. ſecundæ pag. 29. & l. 4. c. 18. fol. 217.*

Mercerus, Theolog. Profeſſ. Louanij. *Comm. in 3. par. pag. 382.*

Merolla, Congregat. Oratorii Neapolitani. *tom. 1. diſp. 3. c. 4. num. 24.*

Monaldus, Ord. S. Franc. *in Prologo ſuæ Summæ.*

Monteſinus, S. T. Doctor Complutenſis, *in 1. 2. diſp. 39. n. 201.* apud Ouiedum.

Morinus, Congregat. Oratorii, D.N.Iesu Christi. *l.8. de Pœnit. c.4 n.19.*

Moria, I.C. *in Emporio juris, p.1. tit.2.q.2.* apud Dianam *1.part. Tr. 3. de Parlam. Resol.20.*

Naldus, Clericus Regul. Canonum Professor, *in Summâ. verbo Officium Diuinum n.18.*

Nauarrus, Martinus Doctor Canonum, *in c. si quis de Pœnit. dist. 7.n.50. & 53. In sum. c.27.n.281.288.*

* Nauarra, Petrus, Theolog. Toletan. *De restit.l. 3.c.1. dubitat. 12. num.267.*

Nazarius. Ord.S Domin, In opusc. Theol. *Opusc.2. de statu Relig. de voto obed. dub.4. conc.2.*

Nider, Ord. S.Domin. *In Consolatorio timoratæ Conscient. c. 11. & seqq.*

Ochagauia, Theologus Ecclesiæ Salmant. *Tract.de Sacr.de Bapt. q.11.n.11.*

Ouiedo, Societ. Iesu. *de act. Humanis, Tract.5. controu. 3.p. 2. num.14.*

Palauicinus, S.R.E. Cardinalis. *in 1.2.d.9.q.4.a.4. Quamuis tamen.*

* Paleota, S.R.E. Cardinalis. *In sacri Consist.consultat.p 5.q.5.col.6. versu. Illius verò.*

* Paludanus, Patriarcha Hierosolymitanus, Ord. S.Domin. *in 4. dist.17.q.2.a.1.*

* Panormitanus. Abbas & Archiepiscopus Panormitan. *in c. Capellanus de feriis n.6.*

Pasqualicus, Theatinus, S. Theolog. Professor. *In Decis. moral. decis. 5.*

A S.Paulo, Ord.Carmelit. S.Theolog. Professor. *In Theol. mor. Tr.1. Disp 2.n.13.*

Pellizarius, Societ. Iesu. *In Manuali Regularium To.1.tr.5.c.12. num.56.*

* Perez, Ordinis S. Benedicti. *In laureâ Salmant. Certam. 10. num.55.*

* Pesantius, S.Theolog.Doctor, *in Comment.Theolog.ad 1.2.q.19. a.6.disp.2.n.3.*

* Pontius, Basilius, Ord.S.August. *De matrim.l.10.c 15.n.4.*

Pontius, Joannes, Ord.S.Franc. *in Cursu Theol,disp.24.q.3. conc.2.*

Portel,

Portel, Ord.S.Franc. *in dub. regul. verbo. Opinio, n.3.*
Præpositus, Societ. Iesu. *in 1.2.q.19.a.6. dub.5. concl.3.*
Quintanadueñas, Societatis Iesu. *de Sacramentis, singulari 18. num.13.*
Raggius, Ord. S.Franc. Capuc. *Centur.1.de Regim. Regular.p.3. dub.46.n.31.*
Reginaldus, Societ. Iesu, *l.13.n.90. & 95.*
Raynaudus, *To.18 in Arnoldo de Brixia. Allylucià 7.§.3.*
Rocaful, S. Theol. Doctor Valentiæ. *In praxi.Theol.moral.3.p. Tract.de Consc.l.3.c.6.n.49.*
Rodriguez,Ord. S.Franc. *To.2.operum moral. Hispanicè c.69. n.7.*
* Rosella Baptistæ Trouamalæ, Ord.S.Francisc. Min. *verbo. Opinio. n.1.& 3.*
Sa, Societ. Iesu. *In Aphorism.verb.Dubium, n.3.*
Salas, Societ. Iesu. *1.2.q.21.Tr.8.disp.vnicâ.sec.6.n.66.*
Salon. Ord.S.August. *de justit.q.63.art.4.Controu.2.con.4.*
Sanchez, Joannes,S.Theolog.Doctor. *disp.42 in selectis, n.12.*
Sanchez, Thomas, Societ. Iesu. *l.1. in Decal. c.9. n.14.*
Sanchez,S.T.Doct.Salmanticæ,apud Salas,suprà, *Sect.12.n.118.*
Sanctarellus, Societ.Iesu. *1.par.Resol.mor.qu.44.n.7.& q.59.n.4.*
Sayrus, Ord. S.Bened. *In claui regiâ, l.1.c.6.n.4.*
* Scildere, Societ. Iesu. *de Consc. tr.2.c.2.§.2.*
Serra, Marcus, *in 2.2.q.67.ar.3.dub.2.* apud Mendo suprà.
Siluius, S.Theol. Doctor Duaci. *in 1.2.q.19.a.5.q.9.conc.3.*
Spinola, Congregationes Sommaschæ. *in opusc. de liberâ & prudenti agibilium electione in Præfat. & disp.3.sect.4.*
* Solorzano, Senator Regius, *l.3. de Indiar. jure c.2.n.38.*
Soto,Ord.S.Dom.S.Theolog. Profess. *l.3.de jure & just.q 6.a.5. & in 4.dist.18.q.2.a.5. in fine. §. At verò distinctio.*
Suarez, Societ. Iesu. *3 p.tom.5.disp.40.sec.5.n.6. & to.4. disp.22. sec.9.n.6.*
* Sylvester, Ord.S.Dom. *verbo. Opinio.n.2.*
Tamburinus, Societ. Iesu. *l.1.in decal. c.3.§.3.n.11.*
Tannerus, Societ. Iesu. *1.2.disp.2.q.6.dub.3.*
Temesuar, Pelbertus, Ord. S. Franc. *in aureo sacræ Theol.Rosario. to.1.ver.Opinio.§.13.*
* Tostatus,Episcopus Abulensis, *in c.4.Ruth.qu.65.col.2.Et tamen quando duæ sententiæ.*

Toletus S.R.E. Cardinalis, Societatis Iesu. *l.3. Instruct. Sacerd. c.20.n.4.*

Trullenchus S.Theol. Doctor Valentinus. *In opere. mor. to.2.l.8. c.1.dub.6.*

Turrianus, Societ. Iesu. *de jure & Iust. disp.13.dub.3.n.21.*

Valentia, Societ. Iesu. *1.2. dis.2. q.14. pun.4. Nunc quæritur quarto. Colum.2.*

Valerus, Doctor Canonum, Ord. Carthus. *verb. Opinio. differ.1.n.3.*

Vasquez, Societ. Iesu. *in 1.2. disp.62.c.4.n.14.*

Velasquez, Acatius, Episcopus Orisiensis, Ord. S.Dom. *Tom.2. resol. moral. verbo. Opinion. probab. resol.316.n.7.*

Vericellus, Cleric. Regul. Theol. I.V. Doctor. *in quæst. moral. & legal. Tract.2.q.10.n.9.*

Victoria, aut eius discipuli Ord. S.Dom. *in Summâ de Conf. n.177.*

Vidal, Clericus Regularis Theatinus, S.Theol. Professor. *in arcâ vitali. tit. de opin probab. Inquis. 2. n.8.*

* Viguerus. S.Theol. Doctor Ord. S.Domin. *Instit. Theol. c.15. §.1. ver 2.*

Vilar, Ord. S.Domin. S.Theol. Doctor. *in Summa Controu. in 1.2. D.T. tr. poster. de Consc. 4. par. §.6.*

Villalobos, Ord. S.Francisc. *In Summa to.1. tr.1. diffic.10. n.2.*

Vulpes, *in summa Theol. par.2.2. disp.72.a.1.n.3.*

Wigers, S.Theol. Doctor Louanii. *1.2.q.19.a.6. dub.1. conc.4.*

* Zecchus, Theolog. & I.V. Doctor. *in summâ moral. Theolog. c.4. prop.2. in fine.*

* Zerola, Episcopus Minorensis. *In praxi Pænit. c.22.q.3.*

Præter hos auctores optimâ fide relatos, vtpote quos ferè omnes ipsemet legi, inueni in *Consolatorio timoratæ Conscientiæ Ioannis Nider Ord. S. Dominici* (cuius librum peruetusto charactere impressum videre contigit in Bibliothecâ nostrâ Bruxellensi) quod pro communi sententiâ, præter D. Thomam, Monaldum, & Hostiensem (quos quia legere potui, Catalogo inserui) afferat præterea *cap.11.*

Vlricum *in 2. sent. d. 22.*

Wilhelmum Altissiodorensem.

Humbertum.

Wilhelmum, glossatorem Raymundi.

Atque

Atque hos vocat auctores antiquos. Additque eodem capite, se legisse inter antiqua responsa, quæ videntur, inquit, data à D. Alberto, *quod simplex frater, vel quilibet homo, cum salute potest sequi quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicuius auctoris magni opinionem sequatur.* Idem post Ioannem Nider, de Alberto Magno, totidem verbis habet D. Antoninus, loco quem attuli in Catalogo.

Denique *c.* 13. adducit Ioannes Nider auctores, quos vocat recentiores, nobis autem admodùm antiquos: nempe præter Paludanum, quem in Catalogo adduxi.

Godfridum de Fontibus, *Quodl.* 9. *q.* 16.
Ioannem de Cambaco, *l.* 14. *Consolat. Theol. c.* 8. *& in qq. de culp. & grat.*
Bernardum Claromontensem, *in replicâ contra Godfridum.*
Adamum Goudan, *in* 4. *dist.* 9.
Ioannem de Erdenberc, *in* 4. *dist.* 9.

Atque hi juncti iis quos in Catalogo exposui, conficiunt numerum centum octoginta nouem auctorum; qui omnes, licèt vniuersâ Europâ dispersi, vnanimi tamen consensu docent, Conscientiam ex merâ opinione probabili, rite & sine crimine formari posse. Et inter hos, sunt

Summus Pontifex vnus,
Cardinales sex,
Archiepiscopi quatuor,
Episcopi vndecim.

Aduertat non indiligenter veritatis amans Lector, Ioannem Nider, teste Xisto Senensi in Bibliothecâ, floruisse anno 1430. Ex quo quidem conjectura est facilis, quanta fides danda sit iis, qui vt sententiam antiquissimam, & toti orbi semper communem, quamque ante annos 230. in antiquioribus Theologis inuenit Nider, heri natam atque à Societate IESU confictam esse, ineptè penitus & malâ fide criminantur.

TRACTATVS V.

COMPARATIO OPINIONVM PROBABILIVM INTER SE.

Omne quod ex fide non est, peccatum est. *Ad Rom.* 14. v. 23.

Conscientia in actionibus suis dirigendis opinionem siue suam, siue alienam, modò verè probabilis sit, sequi potest, etiam probabiliori & tutiore desertâ.

Item reliqua quæ ad Conscientiæ probabilis directionem spectant expediuntur.

PROOEMIVM.

Proponuntur sex difficultates, quæ praxim applicandæ opinionis probabilis possent interturbare.

CErtum itaque sit, ex opinione verè probabili, illicitum non esse Conscientiæ, actiones suas componere: quod quia recenter tanto aduersariorum impetu negabatur, & ab auctoribus strictiùs, vt quibus res esset minimè dubia, tractatum fuit, fusiùs paullò censui demonstrandum. Nunc ea quæ à Theologis vberiùs sunt disputata, breuibus contraham; & fortassis ad rem meam quæ faciunt dum perstringo, exponam omnia. Quærunt igitur *Primò*, an si vtrimque æque probabiles opiniones sint, sic vt perpensis omnibus, in neutram partem diiudicari possit, magisnè probabili ratione dicendum sit legem obstringere quàm non obstringere, an, inquam, eo euentu vtramuis opinionem seligere possit Conscientia, vt de actione ponendâ certum quid statuat? *Secundò*, an sententiam alienam, siue opinionem quæ alteri, viro tamen docto & graui videtur probabilis, ob auctoritatem

ctoritatem viri possit sequi? *Tertiò*, hoc si possit; quot viri graues, aut auctores requirantur, vt verè probabilis censeri possit opinio quam tuentur? *Quartò*, an si quis propriam habet opinionem probabilem vetantem, id est dictantem rem esse illicitam, sequi possit opinionem probabilem alienam, quæ dicit rem esse licitam, nulliqúe obnoxiam peccato? *Quintò*, an relictâ probabiliori, liceat sequi opinionem probabilem. *Sextò* denique, an non ea eligenda sit quæ est tutior.

§. I.

PROPOSITIO I.

Potest Conscientia ex duabus probabilibus opinionibus, vtramvult eligere. Potest etiam vnius viri docti & prudentis opinionem sequi.

1. MVltis hæc multi disputant: sed si naturam probabilitatis, opinionisque probabilis definitionem, prout Tractatu superiore §. 2. fecimus, non indiligenter attendimus, facilis erit harum quæstionum explicatio. Et in primâ quidem difficultas nulla est. Nam cùm verè probabilis statuatur esse vtrimque opinio, sanè necesse est eas vtrimque sese rationes offerre, quibus benè perpensis considerati viri prudenter assentiri possint. Assentiantur ergo; & aliqui quidem opinioni licitum esse neganti, alii verò licitum esse affirmanti. Sanè vtrimque prudenter judicabitur, neque alterutra pars temeritatis arguetur. Quòd si ergo vtrumque prudens sit judicium, nihil obstat quo minùs id, quod prudenter sit, licitum mihi sit agere, illamque ex duabus æquè probabilibus eligere, quæ placuerit. *Ex æquè probabilibus eligi potest quælibet.*

2. At, quid si vnam jam elegeris, poterisnè mutatis quasi castris ad alteram transilire, & arbitrari jam licitum, quod antè opinabaris illicitum? Poteris sanè si fide bonâ agis, & non dolo aliquo ad eludendam legis vim. Atqui cùm illicitum antè judicabas, contraria opinio falsitatis à te condemnata est. Hoc enimuerò prorsus nego; neutrum enim judicasti. Et verò optarem magnopere *Et semel electa, potest deseri assumendo contrariam.*

pere, vt accuratè attenderetur id quod de probabilibus opinionibus dixi num. 7. Tractatûs præcedentis, magnæque in hâc materiâ euadentur tenebræ. Nam id sibi persuadent multi, illudque tamquam fixum certumque statuunt, numquam opinari quemquam ratione probabili (v.g. Verum quidquam esse quod audit, aut licitum esse quod agitur) quin contrarium judicet prorsus esse aut falsum, aut illicitum. Hoc tamen si inspiciatur intimiùs, ita non est. Nam talis opinio, non esset opinio, sed aut scientia rei certa, aut error. Opinio autem probabilis, scientia non est: quia veritatem rei nec certò attingit, nec sic, vt eam sciat se attingere. Non etiam error est aut esse potest; tantùm enim judicat rationes esse, cur possit prudenter credere rem esse veram aut licitam. Neque contrariam opinionem falsitatis arguit aut condemnat, sed potiùs approbat; fatetur enim etiam rationes esse, cur prudenter credi possit rem falsam esse aut illicitam. Sic ergo, qui desertâ vnâ opinione probabili quam habuit, contrariam amplectitur, nullo modo mutat quod de rei veritate aut legis vi habuit judicium; nullum enim certum habuit. Neque aliquid agit, vt quidam objiciunt, contra propriam sententiam; nullam enim tulit: sed opiniones quæ prudenter de eâdem re habebantur diuersæ, veræ cùm essent ambæ, vti ostendimus Tractatu præcedenti, amplexus est ambas; & pro rerum opportunitate, actionibus suis dirigendis ambas applicuit, nunc hanc nunc verò aliam. Hoc autem fecit jure suo; vsus nimirum licentiâ, quam dat opinio omnis quæ est probabilis. Atque sic primæ quæstioni credo esse satisfactum. Tract. 4. n. 7. & seqq.

Auctoritas aliena opinionem aliquam potest facere probabilē, sic vt eam tutò sequi liceat.

3. Alterum quod quærebatur erat, an etiam liceat opinionem alienam, probabilem tamen sequi; siue an auctoritas aliena mihi facere possit quidquam esse probabile. Tertium verò huic annexum est, quot demum requirantur aut auctores aut viri graues, vt opinionem aliquam faciant esse probabilem, ac proinde quam liceat tutò sequi. Vtrumque expeditur non admodùm difficulter, siquidem probabile id est, quod iis nititur argumentis, quibus viri considerati re benè perpensâ prudenter solent assentiri. Atqui si virum probum, rerumque quæ tractantur oppidò gnarum, fatentem audio, actionem aliquam esse licitam aut sibi videri licitam, legem aliquam non videri obstringere, & cætera his similia; illicò mihi manifestum est opinionem illam talibus insistere

ſtere argumentis, quibus vir grauis prudenter ſolet aſſentiri; habeo enim virum & grauem & prudentem, qui ita & non de nihilo ſentiat. Igitur habeo quòd ſit probabilis, & quidem etiam mihi. Mihi enim fit id probabile, quod video iis eſſe nixum rationibus, quibus viri conſiderati prudenter ſolent aſſentiri. Huic autem opinioni cùm viros prudentes video reipsâ ſubſcribere, illico manifeſtum mihi fit, rationibus iis eſſe nixam, quæ viris eiuſmodi reipsâ probentur; ac proinde & mihi facta eſt probabilis. Quod ſi autem eſt probabilis, jam ſanè actam rem agimus, ſi an eam ſequi liceat, iterum volumus diſputare.

4. Hinc oborta eſt mihi quædam cogitatio, quam Theologis, ſi ita videatur, examinandam relinquo: nempe non magnam, ſi praxim ſpectemus, eſſe differentiam, inter opiniones quas dicimus nobis probabiles intrinſecè, ſeu ob rationes nobis ipſis occurrentes, & inter eas quas vocamus extrinſecè probabiles, hoc eſt ob ita ſentientis viri auctoritatem. Video enim formam omnem quæ opinioni dat eſſe probabilem, huc tandem recidere, quod opinio iſta nixa ſit iis rationibus quæ viro graui prudentique non temerè probentur. Hoc ſi ſcio, ſcio ſanè opinionem eam eſſe probabilem. Iam verò, quid id magnopere refert, an mihi occurrerint rationes eæ quæ opinionem mihi perſuadeant, niſi id etiam ſciam aut judicem, ſaltem ratione probabili, eas à viris prudentibus approbandas? Nihil ſanè. Itaque tota, aut maximâ ex parte, probabilitatis ratio & natura, ab hoc prudenti rationes approbantium hominum judicio eſt deſumenda. Nihil autem referre videtur, an rationes illæ mihi occurrant, an verò alteri; modò hoc ſciam, rationes aliquas eſſe, opinionem illam quæ ſuadeant, & quæ à viris prudentibus approbentur. Illas autem certò ſcio opinionem illam fulcire, quam video ab homine probatæ virtutis, eximiæque ſcientiæ ſuſtineri; cùm iſtud mihi perſuaſerim, imprudenter eum non agere. Imò certior mihi videor eſſe quòd illæ rationes ſint probabiles, quas licèt ignorem, video tamen ab eiuſmodi viro approbari, cùm opinionem dicit eſſe probabilem (non enim ſine ratione id dicit, cùm agat prudenter) præ iis quæ mihi videntur probabiles: quandoquidem rationes à me inuentæ aut perceptæ probabiles non ſint, niſi ſint eiuſmodi, vt viris bene conſiliatis etiam probentur, aut probari poſſint. Quid autem illi, de meis quas affero ra-

Tam probabile videtur eſſe id quod ex auctoritate extrinſeca, quam quod ex intrinſecis rationibus fit probabile.

tionibus, arbitraturi sint, non adeò mihi certum est, quàm id quod reipsâ illos video de suis arbitrari. Atque hinc colligo, magis mihi debere esse probabile quod alii prudentes sentiunt, quàm quod, cæteris paribus, mihi, è meo sensu rem ponderanti, videtur esse probabile. Saltem hoc certum est, alienâ auctoritate fultum, probabilitatis gradum posse assequi: posse item ingenio & quasi motu proprio. Parum autem interesse videtur, ad locum aliquem an deuenerim pedibus & labore meo, an verò pedibus & auxilio vectus alieno. Sum vbi volo esse, neque modus itineris quidquam addit loco, aut demit. Neque magis aut minùs hoc in loco sum, vtcumque huc peruenero. Ita sanè, probabilitatem si consecutus sis, nihil refert an tuo ingenio, an id adeptus sis alieno. Neque magis est tibi probabile quod tuo studio scis, quàm quod auctoritate scis alienâ. Hoc quidem mihi jam videtur. Quid sit de re, despiciant illi qui humanorum actuum naturam intimiùs meditantur. Ad rem meam redeo.

Quandonam vnus auctor opinionem possit facere probabilem.

Hinc tamen ad tertiam quæstionem enodandam aperta est via: 5.
nam cum tota probabilitatis ratio, non tam à viris ipsis, quàm à rationibus petatur, quibus viri prudentes solent assentiri; liquet sanè, vnius viri quas ad opinionem suam confirmandam rationes affert, eas esse posse, vt præcedentium auctorum argumenta elidant, veritatemque probabiliùs inuestigent & attingant, etiamsi contra torrentem eant, & communi sententiæ aduersentur. Tum autem illa particularis viri opinio erit probabilis, si illi passim ab auctoribus non contradicatur; sed contra potiùs, rationibus ab eo allatis, vt plurimùm acquiescant. Cæterùm, quò plures auctores in vnam eandemque opinionem consentiunt, (auctores inquam qui non gregatim eunt in sententiam, sed qui rem vtrimque diligenter excusserint) eò res fit probabilior, etiamsi rationes ignorentur. Illud enim prudenter judico rationes illas quæ opinionem suadent magis esse probabiles, quò eas video à pluribus approbari. Tota autem probabilitatis ratio & natura, ab hac approbatione, veluti à fundamento dependet. Probabiliorem itaque opinionem facit auctorum numerus, non formaliter vt rectè & strictim Theologi, sed præsumptiuè. Formaliter enim probabilitatem opinioni addit rationum pondus; quod tamen præsumitur magis inesse opinioni, in quam plures conspirant: cùm eæ sint quibus plures viri graues, rationum

Pluralitas auctorum facit opinionem probabiliorem saltem præsumptiuè.

momentis

momentis vndique expensis, prudenter dant assensum. Plura sunt hæc omnia, & à grauissimis Theologis Vasquez, Ioanne Sanchez, Bossio qui & viginti duos auctores pro probabilitate ab vno auctore petitâ affert, vbertim exposita & disputata. Dicamus ergo quo pacto hæc praxi sint applicanda, neque inquiramus quâ ratione opinionum probabilitas à Theologis examinanda sit; sed quo modo ab omnibus, & præsertim ab illiterato homine rerum ignaro, quique rationum momenta nequit expendere, ad praxim actionemque sint admouenda.

Bossius de Consc. par. 1. l. 1. n. 36.

6. Dico igitur, & quemuis, & præsertim hominem litterarum expertem, sine vllâ peccandi formidine agere posse ea, quæ vnicus vir probus, & scientiæ aut artis illius, in quâ versatur quæstio, expertus, agi posse statuit, aut saltem probabile iudicat agi posse. Sic Medici, in sanando corpore, adhibendisque medicinis; Causidici & juris consulti, in examinandâ causâ justitiâ & æquitate; Theologi, in restitutionis materiâ & Sacramentorum vsu; Canonum perito, in Beneficiorum possessionibus; Confessarii, in Conscientiæ casibus & tricis euoluendis, si viri probi fuerint, iique de quorum improbitate nulla tibi incidere debet suspicio, opinionem tutâ securâque sequeris Conscientiâ. Sufficiens enim habes fundamentum, cui nixus, Conscientiam tibi formare possis, hoc est, judicium certum elicere, actionem illam tibi esse licitam, quam licitam esse talis viri fert sententia. Cùm enim vir sit probatæ fidei & virtutis, istud prudenter tibi persuadere potes, ex animi sententiâ eum loqui, neque velle te decipere; neque adeò tam insanum esse, vt tui causâ velit se crimini mortali, ignibusque æternis obiicere, sibique tam malè esse, vt tibi benè sit. Rursus verò, cùm vir prudens sit, scientiæque quam profitetur peritus, sufficiens habes argumentum, vt prudenter credas, virum illum seipsum etiam non decipere; ac proinde prudenter judicare rem ita certò esse, aut saltem id ipsi esse admodum probabile. Vtcumque judicet, seu certum seu probabile, manifestum est eius sententiam te tutò sequi; neque si errauerit, errare te, sic vt error tibi vertendus sit crimini; quandoquidem inculpatè errantem, sine dolo malo sequeris, ac propterea etiam inculpatè.

Vnius viri probi & docti opinionem probabilem, sine vlla peccandi formidine licitum est sequi.

7. Neque verò id satis possum intelligere, quo pacto horologiis

Amplius id probatur.

possim credere, horam esse duodecimam (vnde tamen dierum, quibus carnibus vesci licet aut non licet, pendent discrimina) sic vt sine vllâ anxietate animi carnes comedam, cùm hora auditur vndecima, neutiquam comesturus si duodecima Horologio designaretur: non intelligo, inquam, cur credere possim automati, quod sæpius errare mihi certum est; & non possim me committere judicio hominis Conscientiam meam dirigentis ratione bonâ & bene expensâ. Maneat id igitur, eius judicio te tutò posse acquiescere. Et si quidem Medicus aut Confessarius, carnibus in Quadragesimâ ægro tibi vescendum esse censeat, quantumuis tibi videare valetudine bonâ & quæ tali indulgentiâ non indigeat, eorum tamen judicio, peccati securus admodum, te committe. Si à restituendi debito, si à repetendis in Confessione peccatis, te absoluant pii doctique viri, atque alia his similia aut suadeant aut imperent, tu si illiteratus sis, rationes eorum ne examina, sed sententiæ penitus acquiesce. Nam quod de fidei nostræ mysteriis Augustinus, id pulcherrimè etiam huic conuenit materiæ, *Turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Litteratus verò si sis, rationes si ita videatur, examina, & si quid consulentis opinioni contrarium occurrerit, per me licet, oppone: at si auditis omnibus, nihilominus in sententiâ permanserit, tu ei si ita fuerit collibitum cede, & cedes prorsus innocuè, etiamsi erret. Perplacet enim ea Henriquezii, viri doctissimi sententia. *Errare*, inquit, *cum Platone aut insigni Theologo, dum latet ignota veritas speculatiua, non nocet in praxi. In quo Theologus differt à Medico; qui si morbi vim, quamuis sine culpâ ignoret, necis occasio esse solet. Sed qui sapientum ac prudentum sententiæ probabili acquiescit, nullum patitur periculum Conscientiæ. Deus enim ita nobis ignorantibus indulget, vt eam sententiam confirmet ad salutem: vt per medicum spiritualem, sanet etiam vulnera quæ inculpabili ignorantiâ ignota sunt*: Ita Henriquez doctè, breuiter, & neruosè rem omnem absoluit.

D. Aug. l. de vt. lit. cred.

Henrique in procœmio summæ.

§. II.

§. II.

PROPOSITIO II.

Licitè sequitur Conscientia opinionem probabilem alienam, contra propriam opinionem vetantem, seu dicentem rem de quâ quæritur esse illicitam.

8. DE probabili opinione, dum sola consideratur, egimus hactenus; nunc de opinionum oppositione, & quasi conflictu, dicenda sunt quædam. Tripliciter autem potest contingere hæc oppositio. *Primò* quidem, si dum propria opinio dictat quid esse illicitum, ac proinde vetet actionem poni, licitum esse dicat aliena. *Secundò*, si probabilis quidem sit hæc opinio, altera verò probabilior. *Tertiò* denique, si probabilis quidem, imò probabilior sit vna, opposita verò sententia sit tutior. Quæritur nunc quid hîc agere possit Conscientia, & vtri debeat adhærere. *Triplex est opinionum oppositio dum conferuntur inter se.*

9. Et de primâ quidem opinionum oppositione, vbi propria cum alienâ comparatur, nihil magnopere ab auctoribus est disputatum. Nam quibus id certum est (certum autem est omnibus quos adduxi in calce præcedentis tractatûs, paucos si excipias) licitum esse probabilem sequi opinionem, & ex probabilibus vtramuis eligere; certè illis etiam id constitutum est, contra opinionem propriam, licitum esse adhærere alienæ; cùm opinionis meæ probabilitas, probabilitatem alienæ opinionis penes me nullo modo elidat: quod tamen quidam sentit sed perperam, vt mox videbimus, & verò etiam ostendimus Tract. 4. num. 8. & num. 51. vbi nihil diximus interesse, an ex rationibus intellectui occurrentibus, an verò auctoritate alienâ decernatur quid esse probabile. *Licitum est contra opinionem propriam vetantem, sequi alienam permittentem.*

Vasq. 1. 2. disp. 62. c. 4.

Tract. 4. n. 8. & 51.

10. Est tamen Auctor oppidò doctus & grauis, qui accuratiùs hanc rem dum discutit, docet nemini licitum esse opinioni quam habet, de actione aliquâ quòd sit illicita refragari, & alienam id per- *Contraria sententia impugnatur.*

Scildere Tract. 2. de Conscien. §. 3.

permittentem sequi. At, quid si aliena opinio sit Prælati, & is actionem pro imperio imperet, quam subditus opinatur sibi illicitam? an continuò is obedire detrectabit? sanè ex auctoris huius sententiâ, debebit penitus obedientiam Prælato denegare. Quod tamen eo casu illicitum esse, luculentur docet Vasquez, alique passim auctores. Et quidem id si verum foret, ad eludenda majorum imperia, sic tamen vt de obedientiâ infractâ non detur actio, facillima & apertissima facta esset via. Posse autem eâ ratione subditum obedientiam majoribus subtrahere (quod nemini facilè probabitur) cùm legitimum esse viderem allatæ sententiæ consectarium, suspecta cæpit esse radix, cuius tam durus est primus surculus. Verùm hîc non hæreo. Vasq. in 1.2. disp. 62. c. 9.

Eius primum fundamentum proponitur.

Video enim non satis firmis nixam esse argumentis. Ea enim sunt quæ probabilitatis definitioni, & probabilium opinionum naturæ, quam §. 2. Tractatûs præcedentis explicuimus, aduersantur. En primum. *Quia vt omnes admittunt*, inquit, *is qui opinatur actum esse materialiter malum, & nihil scit de opinione aliorum contrariâ, non potest formare judicium practicum, siue Conscientiam, quod absque peccato formali illum positurus sit. Ergo nec ille qui scit alios judicare actum illum esse licitum. Quandoquidem enim non obstante illâ auctoritate aliorum, judicet actum esse materialiter malum, judicat, saltem virtualiter, opinionem aliorum esse falsam. Opinio autem aliorum, quam quis judicat esse falsam, non magis potest mouere quàm ignorata: cùm authoritas aliena tantùm possit esse motiuum, inquantùm præsumitur, niti ratione verâ; & præsumptioni rationis veræ locus non sit, vbi illa judicatur esse falsa:* Hæc prima auctoris ratio. 11.

& euertitur.

At quis non videat, si ea quæ diximus, accuratè expenderit, ista hîc afferri quæ probabilium opinionum naturæ penitus aduersantur, eamque euertunt? hæc enim argumentatio præstituit & tanquam indubitatum ponit, quod qui ex probabili ratione judicat actum esse materialiter malum, etiam judicet, saltem virtualiter, opinionem aliorum esse falsam. Hoc autem qui judicat, manifestum esse fateor, eum opinionem illam non posse amplecti. Ast istud nego, eum qui probabiliter opinatur suam sententiam esse veram, illicò judicare contrariam esse falsam. Nam si hoc certò judicat, jam non opinatur, sed aut scit aut prorsus errat. Eum autem, qui certò aliquid judicat, 12.

cat, non jam opinari probabiliter, ex ipsâ opinionis probabilis definitione, quam & ipse, & omnes ponunt Theologi, manifestè tenetur. Est enim *opinio probabilis, assensus cum formidine de opposito.* Qui autem oppositam sententiam liquidò falsam judicat, de suâ quid formidat? nihil prorsus. Ergo non opinatur. Astruit igitur hæc authoris ratio, & supponit, vt dicunt, id quod probabilis opinionis definitionem naturamque destruit. Igitur ad rem non facit allata ratio, cùm de merè opinantibus, & non de sententiæ suæ certò adhærentibus disputemus. Dico igitur & claritatis caussâ repeto, eum qui opinatur sententiam suam esse veram, non judicare contrariam esse falsam. Sed, cùm de rei veritate in neutram partem certus sit, judicat suam tantùm esse probabilem. Cùm autem hoc non judicet nisi cum formidine ne penes contrariam stet veritas, suam sanè prudenter judicare non potest esse probabilem, nisi & alteram quoque, seu per actum reflexum seu virtualiter, judicet esse probabilem; hoc enim si non judicet, nihil habet quod reformidet. Itaque qui probabiliter opinatur, non judicat penes quam opinionem stet veritas: illud tantùm asserit, rationes habere se, ob quas à prudentibus viris ea quam habet opinio, sit approbanda vt verosimiliter vera; sic tamen vt & contraria opinio iis nixa sit rationibus, ob quas ab iisdem viris probis & prudentibus, etiam vt verosimiliter vera sit admittenda, saltem falsitatis minimè condemnanda. Alioquin hæc opinio probabilis non erit, sed prorsus improbanda; & si hæc ita improbatur, tua opinio non tam probabilis tibi erit, quàm indubitata & certa.

13. Veniamus nunc ad ipsum argumentum, & facilè apparebit eius vis, si vbi initio argumenti ponit *is qui opinatur*, dicat *is qui certò judicat*, nam in eo positus est omnis error, argumentique fallacia. Sic ergo exponatur res. *Is qui sine hæsitatione judicat actum esse materialiter malum, & nihil sciens de opinione contrariâ* (optimè: nam si eam sciret, non judicaret sine hæsitatione actum esse materialiter malum) *is inquam non potest formare judicium practicum, siue Conscientiam, quòd absque formali peccato illum positurus sit.* Propositio sic exposita est verissima. *Ergo nec ille qui scit alios judicare actum illum esse licitum.* Distinguo consequens. Ergo nec ille qui judicat illos probabiliter illud

Respondetur argumento in forma syllogistica.

illud judîcare, nego: ergo nec ille qui certò scit illos id falsò & erroneè judicare, concedo totum. *Atqui inquis, qui certò judicat* (sic enim subsumptum oportuit) *materiale peccatum committi, judicat alios falsò & erroneè judicare, saltem virtualiter.* Concedo id quod assumitur, sed nihil id facit ad quæstionem in quâ versamur: agimus enim de probabiliter opinantibus, non autem de certò judicantibus de re. Igitur si sic subsumat. *Atqui qui probabiliter opinatur materiale peccatum committi, judicat alios falsò & erroneè judicare*, tum verò negabo subsumptum, & tota corruet argumenti vis: cuius fallacia in hoc est posita, quòd à judicio firmo & certo, transiliat ad judicium opinantis probabiliter; & huic perperam velit adscribere, quod certum est non nisi primo judicio conuenire. Hoc igitur dat auctorum contraria opinantium cognita authoritas, quod dare non potuit ignorata: nempe quòd si quis propter rationes quas tum nouit, verè & certò judicet peccatum actioni suæ subesse materiale, istud sine peccato vero & formali exhibere non possit. Quod si autem aliorum contraria sentientium auctoritas superueniat, eamque vim habeat, vt persuadeat illorum opinionem verè esse probabilem (in hoc enim euentu rem disputamus) tum dico, judicium istud, quod habebat antè certum, infringi, & in probabilem opinionem crescere, si verè errabat: decrescere autem, si veritatem casu attingebat. Et tunc assero tam prudenter agere si alienam sequatur sententiam, quàm si propriam; quod tamen antè ipsi non licebat. Hæc mihi nunc occurrit responsio, quâ primo & præcipuo doctrinæ huius fundamento credo satisfeciisse me, & communem opinionis probabilis non parum declarasse, vti naturam, ita & sententiam. Quoties autem non presse & propriè accipientur hæ voces *opinio* & *opinari*, semper errabitur in æquiuoco, & pro veris argumentis, non nisi paralogismi obtrudentur.

Istud autem mantissæ loco non illibenter hîc addiderim, patêre jam totam hanc controuersiam in eo versari cardine, vt liquidò prius statuatur, primò quidem quid sit *opinari*; deinde vtrum duas probabiles opiniones simul vna mens possit complecti, & vtramq; judicare probabilem. Quæ cùm sint quęstiones Philosophicæ, & prima quidem definitio sit arbitraria; secunda verò, id est duo illa judicia simul non posse consistere, ab auctore 14.

ctore sic demonstratum non sit, vt non meritò à summis Theologis contrarium asseratur; profectò non videtur fundamento tam debili contra torrentem doctorum benè niti ea sententia: ex quâ liquidò consequitur superiori docto & graui imperanti ex ratione verâ aut probabili rem, quæ subdito videtur illicita, licitè & sine culpâ obedientiam denegari. Nimis alta est hæc moles nimiique ponderis, quàm vt tam carioso & ex Philosophiâ malè petito fundamento superstruatur. Alia afferenda essent argumenta, quæ rem tantam euincerent. Hoc mihi quidem sic videtur; quid sit de re, judicent alii.

15. Alterum argumentum, quodque non paucos torsit, ex absurdo petitur. Si enim inquit, liceat contra opininionem propriam dictantem aliquid esse illicitum, alienam sequi sententiam, quâ probabiliter decernitur rem esse licitam; tum sanè hæreticus, qui ex Catholicorum consortio & rationibus vtcumque instructus, opinatur probabiliter penes Catholicos veritatem stare, tamen ob auctoritatem quam præ se ferunt virorum doctorum hæresim publicè docentium & propugnantium sententiæ, poterit censere eorum sententias etiam esse probabiles. Et quia licitum est sententiam probabilem alienam sequi, licitum ei erit quoque Conscientiam sibi efformare se rectè agere, hæresi quam probabilem judicat, si insistat; & sic tandem ei immorietur inculpatè & impunè. Miris modis hoc argumento triumphat Wendrockius; sibique ita applaudit, quasi si totam probabilitatis materiam expugnasset, communemque Theologorum sententiam debellasset. Fateor huic difficultati à variis responderi diuersimodè; alios quidem negare in negotio fidei, quod tanti momenti est, licitum esse sententiam sequi probabilem, tutiore relictâ, ne erretur circa finem vltimum: alios negare, quemquam sentire posse, hæreticos circa fidem opinionem habere probabilem. Alia respondent alii. Ex quarum responsionum varietate, illud saltem colligo, argumentum hoc, quamuis primâ fronte validum appareat, tamen nequidem esse probabile, cùm tot viris grauibus doctis & prudentibus, qui illud oppugnant, refellunt, & tandem rejiciunt, minimè approbetur. At malè non approbant, inquis, responsiones omnium retundo & refello. Hoc tu quidem dicis. Verùm cùm auditis omnibus, eos videam in sententiâ persistere, euidens

Fundamentum alterum contrariæ sententiæ proponitur.

Wendrockius in epist. 5. Prouincialem, Nota 1. sect. 3. §. 5.

& refellitur primò indirectè.

hoc mihi argumentum est, & responsiones non esse claras & euidentes, & argumentum adeò non esse demonstratiuum & euidens, vt viris prudentibus nequidem sit probabile. Quando autem argumentum opinionis nouæ, & quæ communi Theologorum receptissimæque sententiæ aduersatur, non est euidens, & quantùm materia fert demonstratiuum & conuincens; tum ego abs re esse statuo contra torrentem sapere: sed neruos potiùs omnes intendendos judico, vt argumenti illius vis infringatur, & fallacia quæ ei sine dubio subest, ratione bonâ detegatur. Hoc autem jam agam. Gaudeo sanè mihi hoc argumentum obuolutum; plurimùm enim quædam à me antè dicta confirmabit responsio, & quæ fortè non adeò dilucidè sunt aut exposita, aut intellecta, accuratiùs declarabit.

Ostenditur magna differentia inter obinantem probabiliter in materia fidei, & sic opinantem in alijs materijs.

Fateor itaque, hæreticum qui eo vsque ex errorum tenebris quibus offundebatur emersit, vt probabilem jam esse judicet Catholicorum, imò & hæreticorum contraria suæ sectæ sentientium opinionem; vtcumque, siue per errorem siue per meram pertinaciam judicet, probabilem quoque esse quam ab hæresis suæ sectatoribus videt teneri sententiam; nullo tamen modo posse Conscientiam suam huic opinioni conformare, quantumuis ei propter auctoritatem extrinsecam videatur esse probabilis. Fateor, inquam, hæc omnia. At verò exinde sequi, quòd in omni aliâ quæ commerciis humanis, actionibusque quotidianis sese passim offert materiâ, illicitum sit, suâ desertâ, alienam sequi opinionem, id verò prorsus nego. Disparitatis autem ratio hæc est, & quidem longè maxima. Quòd enim vbi rationes sunt vtrimque probabiles, vtramuis amplecti opinionem permittat Deus; hoc quidem exinde est, quòd veritatem ipsam altiùs assequi in manu nostrâ minimè sit quomodocumque demum perueſtigetur: ea enim hominibus manifestata non est; vnde prudenter agitur, cùm ea, saltem probabilibus argumentis, vtcumque conjicitur. Hinc quando, etiam in rebus quæ passim præ manibus sunt agendis, vlterior veritatis ratio inuestigari potest, majori & quæ vltra vires non sit, diligentiâ appositâ; fateor etiam hanc esse adhibendam, antequam ex probabili opinione rem definias. At verò in hoc qui proponitur euentu, alia sunt prorsus omnia. Nam imprimis hæreticus ille ex errorum tenebris, quibus antea implicabatur

16.

Quando alicuius legis aut rei veritas certa haberi potest vlteriori indagatione moraliter possibili, non

tur emergens, istud certò & indubitatim scit, aliquam esse in orbe Ecclesiam, de quâ dubitari an sit vera nefas sit. Scit præterea eam in aliquo esse hominum cœtu, apud quem Religionis veræ sinceritas sit indubitata. Scit igitur humano studio, & Diuinâ quæ præsto est adiuuante gratiâ, eam inuestigari & inueniri posse. Scit denique non nisi in veræ Ecclesiæ gremio, animæ salutem dari; nisi fortè per ignorantiam planè inuincibilem & inculpatam, homines quidam hebetes & rustici, cæteroquin probi, excusentur. At verò cùm hæreticus ille Catholicorum sententiam judicet esse probabilem, jam profectò de sectæ suæ veritate certus non est; neque per ignorantiam inuincibilem si erret, erroris habet prætextum sanum. Judicat igitur fidei veritatem opinionibus suis tantùm se probabiliter esse assecutum. Et cùm ipsi constet fidei veritatem certam & solidam, in aliquo hominum cœtu qui toti orbi manifestus sit esse, hunc sanè omninò tenetur inquirere, nec suæ magistrorumque suorum opinioni tamquam probabili potest acquiescere; & si acquiescat, veritatis contemptæ & neglectæ omninò reus est. Neque vllam negligentiæ suæ afferre poterit excusationem; præsertim cùm Religionis veræ & à Christo institutæ veritatem, tam facilè sit, sincerè eam inquirentibus, assequi. Tenetur igitur inquirendæ veritati studium adhibere, cùm de suæ sectæ veritate certus non sit; judicat enim Catholicam Religionem saltem esse probabilem. Atque adeò cùm de suâ opinione certus non sit; & certus sit tamen, quòd aliqua in hoc orbe Ecclesia à Christo sit instituta, cui veritas in comperto est, & quam datur assequi; manifestum est, quòd sine graui noxâ & magno veritatis contemptu, suæ opinioni minimè possit acquiescere. Nam vbi ad veritatem assequendam datur aditus, veritas liberabit vos, non verò opinio probabilis, quâ tantùm probabili ratione ad veritatem acceditur. Vbi verò veritas ipsa, quantumcumque inuestigetur, inueniri non potest, quod in infinitis humanis actionibus euenire jam ostensum est; etiam opinio probabilis, fide bonâ agentem à peccato liberat & excusat. Non enim ignauiâ aut peruersitate animi, aut ignorantiâ affectatâ veritatem nescit, sed imbecillitate mentis vlteriùs sese non extendentis, hæret vbi potest; & cùm vltrà non detur progredi, gaudet de veritate vtcumque inuentâ; nec Deus ei, quidquam succenset

licet agere ex probabili opinione quæ tum habetur.

censet, cùm eò progressum videat, quò eum intellectûs humani exilitas potuit ferre.

Respondetur argumento in formâ syllogisticâ.

Breuibus itaque, & in formâ syllogisticâ argumento respondeo. Potest quis, inquis, contra opinionem suam quam judicat esse probabilem, tutò sequi alienam eique acquiescere: ergo & hæreticus qui Catholicam Religionem judicat probabilem, poterit etiam hæresi suæ, quam ob authoritatem Magistrorum suorum judicat probabilem, semper adhærere, eique securus immori. Nego consequentiam. Disparitas exinde est, quòd hæreticus ille probabiliter tantùm opinatur circa rem quam scire potest, & cuius veritatem scit sese posse deprehendere. Hinc imprudenter & malè opinioni acquiescit eius rei, cuius dari potest scientia vera & certa, dummodò moralem ei indagandæ diligentiam adhibeat. In aliis autem materiis, cùm veritas certa inueniri non possit, quocumque demum studio inquiratur, prudenter omninò opinioni acquiescit, vltra quam non datur propiùs ad veritatem accedere. Quòd si enim morali adhibito labore, veritas rei possit erui, in quâcumque materiâ id sit; tum verò fateor ingenuè, probabilem opinionem quamdiu talis esse noscitur & decernitur, ab errore materiali quem certò potuit & debuit euitare, agentem ex tali opinione, ab infractâ lege non absoluere aut excusare. Sic qui in campanarum dissidio, probabile existimat non esse horam noctis duodecimam; si aliquâ aliâ ratione, horologio puta nocturno quod ad Vrsæ majoris stellas adhibetur, aut alio instrumento Mathematico, quod ad manum sit & cuius vsus ei notus, inuestigare certò possit an Meridianam Sol attigerit; certè ob probabilitatem quam campanæ pulsus attulit, carnibus vesci non potest, donec ei de veritate rei, quam in manu eius est scire, plenè, aut prout ex instrumento illo potest colligi, sincerè constiterit. Atque hoc modo, argumento, quo tantopere, sed ex vano Wendrockius triumphabat, abundè credimus satisfactum. 17.

§. III.

§. III.

PROPOSITIO III.

Licitè sequitur Conscientia opinionem probabilem desertâ probabiliori : nisi obstet lex Iustitiæ aut Charitatis, &c.

18. ALtera opinionum probabilium oppositio, ex comparatione opinionis probabilis cum probabiliore petebatur. An autem major probabilitas ex majori rationum pondere, an ex plurium aut grauiorum virorum auctoritate existat, perinde id est. Ponamus ergo, vt familiari exemplo, prout cœpimus, insistamus, tunc cùm ex æde D.Petri auditur duodecima, medium verò duodecimæ ex D.Pauli, eodem temporis articulo, etiam in D.Andreæ horologio duodecimam designari. Certè si campanæ probabilitatem dant, probabilius jam est, esse quàm non esse duodecimam. Rursus quod à pluribus auctoribus, cætera paribus, asseritur, probabilius id esse censetur; & quod à grauioribus præ eo quod à minùs expertis affirmatur, majus sine dubio habebit pondus; ita & id quod solidioribus nixum est fundamentis. Quæritur nunc, an præceptum sit, siue an Conscientia ita obstringatur probabiliori opinioni adhærere, vt sine peccato nefas sit sequi probabilem; an verò illâ desertâ, hanc possit amplecti, & vt exemplo allato inhæream, statuere in euentu exposito vesci carnibus esse licitum. *Exponitur propositio.*

19. Nolo huic quæstioni diutiùs inhærere, quod fusè & vbertim eam examinarint præclarissimi Theologi Joannes Sanchez, Baldellus, Castro Palao, Bossius, Pasqualigus, & alii, statuantque, quod reor esse verissimum, nullo modo Conscientiam obstringi, desertâ opinione probabili, ex probabiliori actiones suas componere. Nam si obstringitur, jam sanè præceptum est: nusquam tamen præceptum extat. Et si à Deo aut à naturâ latum dicis, non est sufficienter promulgatum, ac proinde non obligat. Si enim sufficienter est promulgatum, quâ quæso ratione factum est, vt id longè majori Theologorum parti non innotuerit? Nam qui istud asserunt, sunt perpauci; plurimi verò qui eiusmodi *Asseritur propositio, & Probatur primò quia præceptum non est contrarium, aut non sufficienter promulgatum.*

di præceptum negant. Sanè qui disertè asserant probabilem opinionem præ probabiliori non esse deserendam, inuenio auctores grauissimos centum quinquaginta quatuor, quorum nomina in Catalogo præcedenti Tractatui subnexo affero, eaque sunt quibus asteriscus non præfiguntur. Ne tamen cæteros omnes contrarium docuisse suspiceris; sunt enim ii admodùm pauci: sed plerique quæstionem hanc non pertractarunt. Igitur, cùm præceptum eiusmodi ad aures tot virorum rem studiosè perquestigantium non peruenerit, sanè manifestum est non satis esse promulgatum, ac proinde non obstringere.

Probatur secundò ex ipsâ aduersariorum sententiâ.

Deinde cùm id sit probabilius quod videtur pluribus, præser- 20.
tim cùm contrariæ opinionis argumentis & rationibus examinatis & rejectis, in vnam conspirant sententiam; profectò cùm decies octies ex recensitis plures sint, & auctoritate non minores, imò & majores non pauci, qui expensis omnibus contrariæ partis argumentis, nihilominùs probabilem opinionem, in conflictu probabilioris, non esse necessariò deserendam asserunt; jam sanè manifestum est, probabilius longè esse, probabilem opinionem eo casu non esse reiiciendam necessariò. Ac proindè qui ob probabilem campanæ, vt sic loquar, opinionem, carnibus vescitur, aut ob probabilem viri grauis sententiam, restitutionem æris non facit, licèt probabilius sit debere, eum tamen non restituendo, probabiliorem sequi sententiam. Nam licèt probabilior sit, eum ad restituendum obligari, tamen vt acutè monet Joannes Sanchez, vt non restituat duas habet pro se sententias; probabilem vnam, quâ non debere asseritur; alteram autem longè præ contrariâ probabilissimam, quod qui probabiliùs quidem, non certò tamen debet, possit probabilem sequi sententiam, & statuere se pro eo quod probabiliùs tantùm debetur, ad certam solutionem præstandam minimè obstringi. Itaque cùm probabilius longè sit, probabile præ probabiliori semper posse eligi, etiam ii, qui probabiliorem opinionem docent necessariò esse sequendam, fateri debent, non peccare eos qui amplectuntur tantùm probabilem; nam hoc licitè fieri longè est probabilius, quàm non licere. Verùm ad planiora & clariora veniamus argumenta.

Ioan. Sanchez disp. 44. select. n. 72.

Probatur tertiò ex

Et quidem nemo vnus mihi negauerit, eum qui prudenter agit, 21.
& præterea certò nouit, sese prudenter agere, minimè sic agendo

do peccare. Atqui qui agit quod probabili opinione est licitum, agit prudenter; id enim agit quod iis licitum esse rationibus comprobatur, quæ viris & doctis & prudentibus meritò approbantur, alioquin opinio quam sequitur non esset probabilis. Itaque non peccat; nisi si forte aliquando peccatum sit agere prudenter, quod nemo sanus dixerit. Neque id quidquam refert, si eum qui probabiliorem sequitur opinionem prudentiùs dixeris agere. Nam vt ita sit, certè modò quis prudenter agat, vitio ei verti non potest, quòd prudentiora non adhibeat, sequaturque consilia. Aliud enim prorsus est imprudenter agere, aliud verò non omnem, quæ possibilis est, prudentiam rebus agendis adhibuisse. Neque vsquam extat præceptum Dei, quo in omnibus prudentissimâ præscribatur incedendum viâ. Præceptum autem tam graue, sine ratione quæ prorsus sit euidens & demonstratiua effingere, illudque Conscientiæ obtrudere, arbitrarium prorsus est, ac proinde non acceptatur. Prudenter agere, naturæ rationisque præceptum est; agere prudentiùs, est consilii. Consiliorum autem arbitraria est, & libera electio.

naturâ opinionis probabilis.

22. Jam verò vt rationem hanc promoueam; an id est credibile, legem à Deo latam esse, quæ in infinitas hominem angustias adigat, & quæ vix ab vllo, imò à nemine possit obseruari? Quid enim? certè si probabiliorem in omnibus opinionem sequi debeo ex mente Dei, etiam mihi onus incumbit, diligenter inquirendi quæ opinio sit probabilior. An verò tantum onus humanæ vires ferunt? nam vtcumque quis doctus sit & litteratus, opinionemque habeat non probabilem tantùm, sed vt sibi tum videtur probabiliorem; tamen cùm sciat se falli posse, non tantùm momenta causæ ipse expendere, sed aliis etiam examinanda debebit dare, ne fortè peccet si aduersa fortassè probabilior sit opinio. Et cùm hodie appareat sæpè minùs probabile, quod heri videbatur longè probabilius, continuò cogetur actionem institutam abrumpere, & toties eam mutare, quoties probabilitatis pondera variantur, aut ipsis incrementi quidquam adiicitur aut detrahitur. Rursus si probabilitas opinionis ex doctorum virorum auctoritate existit; quotiescumque probabilis occurrit opinio, antequam ex eâ Conscientia quid agendum sit decernat, examinare debebit quot pro eâ opinione stent auctores, an non plures pro contrariâ. Rursus an æquè graues, & docti; denique an rem

Probatur quartò ex absurdo, nimirum ex præcepti si feratur ad implendi impotentia.

omnes

omnes pari ſtudio excuſſerint: ab his enim circumſtantiis deſumenda eſt maior minórue opinionum probabilitas. Hæc autem quis ferat? & hæc à quouis homine, etiam illitterato, perpendenda quis eſſe dixerit, quæ Theologi quamuis acutiſſimi aciem fugiunt; aut ſi non fugiant, ſuperent vires. Profectò legi huic vt ſatis fiat, non Theologos modò, juriſque omnis peritiſſimos eſſe, erit neceſſe, ſed & ingenio doctrinâque Angelos ſuperare. Sanè nihil quidquam rerum in orbe fiet, ſi tantâ accuratione examinanda ſunt omnia. Et tamen examinanda prorſus ſunt, ſi præceptum ſit non agere, niſi quod probabilior fert ſententia. Quis autem credat talem legem à Deo homini datam? Si verò data non eſt lex, quo pacto obſtringimur?

Obiectioni Vnicum hic reſtat quod quoſdam non modicè torquet, & verò etiam ab aduerſariis intorquetur. Nempè eum qui probabiliori opinione actionem ſuam moderatur, magis abeſſe ab *errandi* & *peccandi* periculo, quàm qui hâc deſertâ ſequitur probabilem. Periculum autem eiuſmodi remouendum eſſe quantùm fieri poteſt, videtur omnibus eſſe in confeſſo. 23.

Reſpondetur in noſtrâ ſententia nullum eſſe periculum peccandi, licèt incurratur periculum errandi. Verùm non difficilis eſt ad hæc reſponſio, ſi ad ea quæ jam ſæpiùs dicta ſunt attendimus. Nam vt *errandi* periculum majus ſit in eo qui probabilem præ probabiliori opinionem ſequitur (quod tamen negare poſſum; cùm ſæpè quod probabilius videtur falſum tamen ſit; & verum fuiſſe compertum ſit, quòd tantùm erat probabile; prout in multis euentibus, præſertim qui ex teſtium & ex famæ communis amplitudine dependent, ſæpiùs conſtat eueniſſe) vt tamen *errandi* periculum majus ſit, in eo qui probabili, præ illo qui probabiliori adhæret opinioni; nego tamen majus ab illo, quàm ab hoc, *peccandi* diſcrimen adiri. Nam vti jam ſæpiùs dictum eſt, neuter vlli prorſus peccandi periculo committitur. Vt quid ergo pericula peccandi comparantur inter ſe, vbi neutra pars periculum vllum fert? certa eſt enim vtrimque Conſcientia ſe benè agere & licitè; quamuis probabilius ſit vnam opinionem præ alterâ materialiter non errare. Iſtud enim repetendum eſt denuò; non ita in opinionibus probabilibus agere Conſcientiam, vt quidam malè putant; *Judico probabilius aut minùs probabile eſſe mihi comeſtionem hanc carnis eſſe licitam*; nullo modo; non ſic de actione ſuâ, id eſt, carnium comeſtione, ſtatuere poteſt Conſcientia, vt culpam euadat. Verùm cum 24.

intel-

intellectus hoc judicium speculatiuum præmisit, *iudico probabilius esse aut minùs probabile* (nihil refert, modò judicet probabile) *carnis comestionem nunc esse licitam*, tum demùm concludit & decernit Conscientia, dicitque, *Certa sum ego, comestionem hanc seu actionem à me exerceri posse*, cùm id quod videtur probabile, prudenter operi dirigendo adhibeatur. Et sic appareret tandem, quòd sententia probabilis in ordine ad suum objectum, vti ajunt, siue in inquirendâ rei veritate sit fallibilis, & sic potest alterâ esse fallibilior. Verùm in ordine ad dirigendas actiones humanas si spectentur, omnes esse infallibiles, id est, infallibili ratione operibus moderandis à Conscientiâ adhiberi; & sic ex hac parte omnes esse pares & æquales, nullamque alteram infallibilitatis gradu vel minimo superare, aut etiam alteri cedere. Si igitur fallitur Conscientia circa objectum, non tamen fallitur vt est actionis ponendæ regula.

Vna opinio licet probabilior alterâ, non est tamen in dirigendâ actione infallibilior.

25. Hinc patet manifestè, errasse Wendrockium turpiter, aut incautos fallere voluisse, cùm vt atrociùs in hanc sententiam inuehatur, tanquam certum indubitatumque præstituat, quòd *qui minùs probabilem opinionem, probabilius peccandi periculum eligat.* Tum indignitate rei commotus clamare incipit, *Quid aliud est contra Conscientiam agere, nisi sic agere?* quod vt probet syllogismum affert, quem, si diligentiùs attendatur, in scholis explosuri sint Logici. Sed id non ago. *Ille enim*, inquit, *vtique contra Conscientiam agit, qui id facit quod Conscientia judicat non esse faciendum.* Ita est Wendrocki, sed vide vt legitima sit subsumptio. Ita pergit. *At cùm aliquis probabilius esse censet aliquid esse illicitum quàm licitum, vtique etiam probabilius esse censet fugiendum id esse quàm non fugiendum; non faciendum id esse quàm faciendum.* Hoc tu asseris Wendrocki, ego verò nego. Non enim probabilius esse censet non faciendam esse actionem: sed contrà, statuit certò à se posse exhiberi, dum probabili ratione judicat legem non obstringere. Quid jam concludes obsecro? *Qui ergo sic affectus est*, inquit, *& cum eo Conscientiæ judicio illud ipsum nihilominus amplectitur & facit, id facit vtique quod potiùs* (id est probabiliùs) *non faciendum iudicat. Agit ergo contra lumen ac iudicium Conscientiæ suæ.* Iam ostensum est eum contra Conscientiæ judicium nihil agere, cùm nihil agat nisi ex Conscientiæ dictamine certo & indubitato.

Respondetur syllogismo VVendrockij, quamuis illegitimo.

Wendrockius in epist. 5. Nota 1. sect. 4. §. 1. circa finem.

Conscientiam autem hoc judicium ferre potuisse, jam satis superque est probatum. At syllogismum hunc Wendrockii afferre libuit, tum vt scrupulum qui menti posset inhærere, clariùs rem exponendo, eximerem: tum vt ex hâc syllogismi formâ plane illegitimâ pateat, quàm is insignis sit Logicus, qui omnes passim Theologos præ se contemnit.

§. IV.

PROPOSITIO IV.

Licitè operatur Conscientia ex probabili opinione, relictâ tutâ, aut tutiori, etiam vbi ex hâc nullum adesse videtur agenti incommodum.

Tutiorem semper sequendam esse sententiam aliqui docent.

TErtium hoc demum est opinionum certamen, in quo probabilis probabili quidem, sed magis tutæ opponitur. Nam vt probabile sit, in casu jam sæpius repetito, licitum esse vesci carnibus in horologiorum circa horam duodecimam dissidio, diuersisque, si fas sit dicere, campanarum sententiis; tamen qui carnibus vescitur, saltem materialis peccati periculo se exponit, cuius prorsus exors est is qui abstinet. Ac proinde cùm hæc pars sit tutior, imò tutissima, hæc videtur in omnibus amplectenda. Nemini enim non in votis esse debet, peccatum, etiam cùm potest, euitare.

Sed quamuis hoc possit aliquando esse consilii, non tamen est præcepti.

Fateor optanda foret res. Sed non omne id quod est optabile, illicò lege Diuinâ faciendum esse præcipitur. Sanè Corinthios omnes cælibem vitam instituere optabat Paulus, imò & volebat quodammodo, *Volo enim* inquit *omnes vos esse sicut meipsum*, id est cælibes; & tamen id quod optabat, præceptum non esse confitetur; de *virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et quid si consilio virgo non fuerit obsecuta, an idcirco crimini erit obnoxia? minimè, inquit Paulus, *& si nupserit virgo, non peccauit.* Consilii itaque sit, materiale peccatum euitare. At nos quærimus modò, non quid consilium, sed quid præceptum ferat. Itaque, idque cum communissimâ 25. 1. Cor. 7. v. 7. v. 25. v. 28.

muniſſimâ Theologorum ſententiâ, nullum præceptum à Deo datum eſſe aſſero, quo tutior ſequenda ſententia præſcribatur.

38. Et verò quæ demùm, probabiles inter, vocanda ſit tutior ſententia, non ſatis intelligo. Illa, inquiunt, cuius è directione ſi operaris, nullum ſubitur ne materialiter quidem peccandi periculum; vbi alteram ſi ſequaris, illi te committis. Sic ſanè, ſi in caſu expoſito carnibus abſtineas, nullum peccatum facis quæcumque demùm hora ſit; peccas autem materialiter, ſi sit duodecima, quantumcumque probabile ſit non eſſe. Rurſus, ſi probabile ſit creditori te non debere; tamen ſi reſtituis, nulli injuſtitiæ committendæ te exponis; exponis autem, ſaltem materiali, ſi fortè debeas. Itaque & iſthic abſtinendum eſt carnibus, atque hîc facienda reſtitutio, quia nempe vtrumque tutius. *Quanam dicatur tutior.*

29. Audio quidem iſta. Sed quid si vtrobique ſit materialiter peccandi periculum, neque decernere poſſit Conſcientia quid sit grauius, vtri parti tunc adhærebit? Probabilis inquam sit opinio, peccaturum te, actionem eam ſi exhibeas, quam altera opinio etiam probabilis, aſſerit ſine peccato non poſſe omitti. Æger es, exempli gratiâ, & quidem vi.a fert Medici ſententia, non tam grauiter ægrotare te vt in quadragesimâ veſci carnibus liceat; altera verò, etiam Medici, opinio ſtatuit, te ſine magno valetudinis detrimento, ac propterea ſine peccato non poſſe carnibus abſtinere. Quid hic aget Conſcientia? in quam ſe partem vertet? vtrimque peccati materialis eſt diſcrimen. Nonne in grauiſſimas anxietates conjicitur? ſi tuta ſeligenda eſt opinio; neutra tuta eſt, vtrobique materialiter peccandi euidens eſt periculum. Si autem ſequenda eſt tutior; quis hîc facilè diſcernet quæ ſit tutior. *Non poteſt ſemper diſcerni quæ tutior.*

30. Deinde ſi tuta aut tutior eſt, in quâ nullum eſt materialiter peccandi periculum, jam certè inter probabiles opiniones in reſtitutionis materiâ, nulla tuta eſt opinio, ac proinde nulla tutior. Nam probabile ſit, creditori debere me decem æris millia; probabile autem etiam eſt non debere. Ad ſolutionem me obſtringis tu, quod nempe tutius ſit, ne materialis quidem injuſtitiæ periculo ſeſe committere. Atqui ſi debitum ſoluo, nonne creditor idem diſcrimen ſubit, & quidem cooperante me? Non magis autem licitum eſt ad materiale peccatum quemquam inducere, quam idem committere. Quo igitur ſe vertet debitor? *In materiâ reſtitutionis, nulla probabilis eſt tutior.*

retinere æs non potest, ais tu, ne fortè alienum sit quod possidet. Restituere etiam ei non est licitum, ne fortè creditor ex alieno diues sit; injustæ autem possessioni, etiam ansam præbere, nefas est. Nec tandem poterit ea bona in pauperes distribuere, ne fortè alienum det. Perinde autem est, & æquè graue crimen, de alieno, vt aiunt, sarcinas suas domumque instruere, & de alieno erga pauperes esse liberalem. Quid igitur aget? nam si peccat retinendo æs, jam etiam ostensum est restituendo peccare, vtpote qui caussa sit cur creditor fortasse quod suum non est, possideat. Iam verò si ne tum quidem, cùm à debitore præstatur æs, quod probabili ratione videtur debere, creditor oblatum tutâ Conscientiâ potest recipere; igitur quotiescumque inter partes hinc atque hinc de possessione aut debito contendentes, probabile apparet jus, vterque caussâ ceciderit, cùm neuter aut debitum possit repetere, aut reddere, aut si redditur retinere. Sin autem alteruter, v. g. creditor, præstitum possit retinere, eò quòd probabili ratione nixum jus habeat, neque tutiorem opinionem sequi debeat: sanè nihil est, cur non & debitor eo priuilegio gaudeat, sibique æs, donec debitum jure euincatur, possit adscribere, & tutâ Conscientiâ retinere. Cæteris enim paribus, Charitas ordinata incipit à seipso.

31. Præterea istud quæro, cur qui tutam aut tutiorem opinionem sequendam esse affirmant, tantopere de materialis peccati periculo euitando sint solliciti, vt propterea tantum onus in nos conjiciant, cùm istud à Deo nobis impositum nequidem sit, vt formalia, id est, quæ verè nobis imputentur, isto modo crimina euitemus? An enim tutiora semper adhibenda sunt remedia, castè vt viuas? tutius est abstinere à publico, tutius euitare conuiuia, tutius secum agere procul ab hominum commercio, tutius cœnobii abditis includi, aut remotis in siluis sibi & Deo viuere. An tamen id vsquam præceptum est? atqui si id non agis, infinita sunt quibus obiiceris peccandi discrimina; neque materialium dumtaxat, sed & formalium quinimò scelerum periculo immergeris. Quod si autem, ne formalium quidem criminum discrimen, quando istud certum omnino & indubitatum saltem moraliter non est, tutiora persequi neminem cogit; cur ob materialis peccati, quod etiam non certum sed probabile solum est, tanta ad tutiora confugiendi imponitur necessitas? certè

Nullum præceptum obligat vt sequar id quod tutius est, ne quidem vt formale peccatum euitetur.

certè id prorsus fieri videtur abs re; neque tam ex Dei mente, quàm arbitrariò.

32. Denique si tutiora semper sectanda sunt, jam sanè quisquis lethali crimine se polluit, illico non modò conteri, sed & ex templò sacrâ confessione debebit se eluere, neque ad vnam horam, pœnitentiam poterit sine nouo scelere procrastinare. Est enim non nemo qui hoc asserat, & denique sic agere est securius. Rursus circa Pascha, dum quatuordecim designantur Pœnitentiæ & Sacræ Communioni ab Ecclesiâ dies, quibus legi latæ satisfaciendum est, vt tutiori lex expleatur viâ, omnes omnino (omnibus enim tutiora agere præscriptum est) ipso Palmarum die obstringentur legi satisfacere, & quidem simulatque Sol illuxerit, ne non agant quod est securius, & ne fortè mortis aut alio præpediantur casu. Neque aliâ ratione ostendetur liquidò, diebus Dominicis peccari ab eo, qui non summo manè, primo quod offertur, interest Sacrificio; ac propterea de nihilo esse quod prouecto jam die ad solemniora sacra populus inuitetur aut cogatur, cui tutiori incedendum est viâ; neque enim tam diu possunt homines sacrum differre, ne vlli sese, legis non explendæ, periculo objiciant.

Probatur denique ab vsu contrario communi.

D. Bonau.

33. Plurima sunt alia quæ in hanc rem afferri possunt. Sufficit ostendisse, neque quod tutius est, semper posse secerni ab eo quod minùs tutum est, neque si secerni possit, vlla nos lege ad id amplectendum à Deo obstringi. Vnde istud tandem cum Ioanne Sanchez, Castropolao & aliis præclarissimis Theologis asserendum est, omnes sententias probabiles in praxi esse æque tutas, neque vnam præ alterâ esse tutiorem. Sententiarum enim omnis securitas in eo est posita, quòd certum sit, eam qui agendo sequitur, Deum nullo modo offendere. Securitatem autem illam cùm Conscientiæ præstet quæuis opinio, dummodo sit probabilis, vt jam superùs est demonstratum; nihil prorsus est, cur non omnes æque tutæ dici possint & securæ. Non enim magis securus esse possum criminis, quàm dum certum est non peccari. Quando autem Theologi, sententiam vnam securiorem esse præ alterâ pronuntiant, id non de formalis peccati, sed de materialis incurrendi majori minoriúe periculo intelligunt. Iam verò, materialis peccati periculum, dum sententia est probabilis, à Deo non attendi, neque fugiendum præscribi, sæpius dictum est.

Omnes probabiles sententiæ in praxi sunt æquè tutæ, quoad imputabilitatem culpæ.

Ioan. Sãc. in sele. disp. 44. n. 66. Castrop. de Consc. disp. 2. punct. 2. n. 3. Bossius de Con. par. 1. tit. 1, n. 137.

Etiam vbi sine vllo iu commodo tutior eligi potest, non est, ne quidem sub veniali peccato eligenda.

Est tamen non nemo & non vnus, qui quamuis fateatur, dum probabiles sunt, vtramuis sententiam à culpâ esse innoxiam, neque tutiorem esse sequendam, dum eam amplecti non possumus sine incommodo proprio vel alieno; tamen si nullum incommodum subeundum intercurrat, tutiorem partem asserat esse eligendam. Neque sine ratione id videtur affirmari. Cùm enim magnâ ex parte, ratio ob quam lex naturæ & Diuina permittit opinionis probabilis vsum & exercitium, sint incommoda grauissima quibus homines implicarentur, & à quibus sese extricare non possent, si probabiliora & tutiora tantùm fas esset persequi; profectò cum cessant incommoda, id est legis ratio, videtur sanè ad tutiora assumenda lex obstringere. Si verò quanta ea sit obligatio interrogas, respondet illicò, venialis peccati incurrendi: *Major enim*, inquit, *nempè sub mortali, induceret consequentiam plurimarum anxietatum, nominatim pro examine causæ sufficientis, ad sequendam opinionem probabilem contra tutiorem.* Ita ille. Equidem fateor eo casu, consilii id esse ita agere; præceptum tamen esse, nequidem cum venialis noxæ interminatione promulgatum, animum non induco. Nam ea ipsa anxietatum incommoda, quæ à mortali peccato absoluunt, non est quod & à veniali noxâ agentem negentur eximere. Si enim tutiorem necesse est eligere, tum cùm nullo incommodo id fit; jam sanè iterum istud incumbet oneris, vt examinandum sit sedulò, an nullum sit incommodum quod aut sibi aut aliis immineat. Rursus an illud quod occurrit, verè incommodum sit eiusmodi, quod ab agendo excusset aut non excusset; non enim à jure agendi quod probabilis dat opinio, discedere quis compellitur, nisi cuncta sedulò vtrimque sint expensa & exæquata. Quæ omnia, cùm non nisi maxima pariant rursus incommoda, numquam sine graui incommodo, aut quod adest aut quod adesse potest, vlla eligetur opinio, si tutior aliquo in casu est eligenda, sic vt peccet, etiam tantùm venialiter, eam si non elegerit. 34. Scildere Tract. 2. de Conse. n. 18.

Hæc autem omnia intelligenda sunt nisi alia lex intercurrat, puta charitatis, aut

Atque hæc omnia de opinione probabili, eiusque sequendæ vel fugiendæ præcepto dicta sunt. Nam si aliud quoddam præceptum aut charitatis, aut conuentionis mutuæ, aut Reipublicæ aut Ecclesiæ detrimentum intercurrerit, tum verò constat hæc omnia non habere locum; & vel tutiorem vel probabiliorem esse sequendam; præsertim si contraria opinio, nullo tuo bono, bono proximi 35.

proximi grauiter officeret. Sic, quamuis sit probabile admodùm, digito abluto Baptismum verè conferri, sine necessitate tamen id agere nefas est. Sic Medici, si tuta ad manum sit medicina, non est quòd probabili adhibitâ, credant se benè agere; non enim agunt ex mente ægri, qui tutâ viâ curari vult, & conuentione tacitâ, vocando medicum, id est stipulatus. Tantùm igitur de iis tractatum est actionibus, quas quisque pro se agit, & non pro personâ publicâ, aut alienis obsequiis præpositâ aut conductâ. Cæterùm quid Superior, quid Medicus, quid Judex, quid Aduocatus, quid Consiliarius, quid Confessarius, ex probabili opinione debeant aut agere aut fugere, fusè id exponunt. Vasquez, Joannes Sanchez, Castro-Palao, Baldellus, Bossius, Bardus, Scildere & alii Theologi. Istud vniuersim dico cum Suarez, *Sæpè ex charitate vel justitiâ teneri hominem præferre opinionem probabiliorem minùs probabili.* Et ex hoc capite inquit, *in* sententiis *ferendis sequenda semper est judici probabilior pars.*

justitia aut Sacramentorum, &c.

Vasq. in 1. 2. disp. 63. & 64. Sanchez disp. 44. in selectis. Castro-P. de Consc. disp. 2. pu. 4. & seq. Baldel. de Consc. dis. 13. & seq. Bossius de Con. par. 1. ti. 1. §. 12. & seq. Bardus de Consc. discep. 4. c. 10. & seq. Scild. de Consc. tr. 2. c. 5. Suar. to. 3. in 3. p disp 16. sect. 2. Item de Char. sec. 6. n. 3.

Nolo in re à grauissimis Theologis copiosissimè expositâ diutiùs immorari, ne rem actam rursus agam. Istud tamen dissimulare minimè debeo, neque verò possum. Mirari sanè satis nequeo, cur aduersarii, dum aut scripto aut voce quæstionem hanc excutiunt, statum controuersiæ non exponant, prout ea ab auctoribus, quos impugnant, limitatur? Disertè tradunt hi, probabiliori opinione desertâ, licitum esse ex probabili operari, tum cùm de præcepto aut lege incidit disputatio, neque certum est an lex obliget an non obliget: sic vt meram virtutem Obedientiæ Deo aut legislatori præstandæ, sine vllius tertii præjudicio, spectet hæc controuersia; v.g. an jejunandum sit necnè, an carnibus abstinendum, si probabile quidem sit abstinendum non esse, probabilius autem sit esse abstinendum. At verò si de præcepto Charitatis aut justitiæ aliis impendendæ agitur, tum sanè probabiliorem minùs probabili præferendam esse, cùm Suare passim dicimus. Jam quæro, cur limitationem hanc dissimulent aduersarii, præsertim vbi apud ignaros controuersiæ sermones miscent? an vt per exempla quæ adducunt (adducunt autem ea quæ minimè controuersa sunt) populo imponant, rectè sentientibus inuidiam creent, populoque persuadeant Probabilistarum (ita eos vocant) doctrinam impiam esse, naturæ injuriam, & prout clamant *inferni monstro* similem? Hoc certè non est agere bonâ fide

Aduersarij statum cõtrouersiæ callidè immutant.

36.

fide: aut si bonâ fide agitur, haud parum hîc intercurrit ignorantiæ: cui discutiendæ vt occurram, juuerit vnam alteramúe contraria sentientis objectationem exponere, è quibus quid ad alias eiusdem farinæ respondendum sit, facilis erit coniectatio. Probabiliorem itaque semper sequendam esse opinionem *sic sibi persuasit* Faruacquius libello nuper edito. *Quid si enim*, inquit, *venatori probabilius sit patrem in sepibus latêre, & minùs probabile sit feram latêre; eritné integrum venatori insistere opinioni minùs probabili, & in sepes mortiferum telum dirigere?* & paucis interjectis quæ minùs rem vrgent: *Fingamus*, inquit, *animo, probabilius esse craterem veneno imbutum esse, minùs autem probabile idcircò oppositum. Eritnè cuiquam integrum & licitum opinioni minùs probabili insistere, & craterem epotare?* Ita ille. At quis non videat controuersiæ statum hîc aut dissimulari, aut certè ignorari? afferuntur profectò ad rem quæ faciant nihil. Nam in primò casu, lex Charitatis, non patri tantùm, sed cuiuis homini impendendæ, telum vibrari prohibet; in secundo autem, Charitas sibi ipsi debita, vitæque conseruandæ lex naturæ indita, craterem vetat epotari. Neque hoc tantùm eo casu quo probabilius foret veneno craterem infectum, aut hominem sepibus implicari, verùm etiam quamuis probabile tantùm id esset, imò etiamsi minima discriminis tanti subesset suspico. Ad rem itaque non faciunt hæc exempla; & doctrinam, quam de probabilibus opinionibus asserunt passim Theologi omnes, minimè labefactant, quia ne specie tenus contingunt quidem. Afferantur itaque exempla, quæ nec justitiæ, nec charitatis tertio aut sibi exhibendæ præceptis implicantur, & facilè auctor hic in Theologorum quos *multos esse fatetur hoc tempore*, ibit sententiam; & sanæ doctrinæ detrahetur inuidia, cauillationibus concitata; denique apparebit monstrum non esse, sed virtutis legitimam sobolem; non distortam vitio aut nimiâ docentium proteruiâ, sed placidam, rationi conformem; eam denique quæ modestè sapientium aut vultus, aut judicia non exhorrescat.

Faruacquius in disquisitione Theolog. de peccatis dubiis confiten. c. 8. §. 1.

§. V.

§. V.

PROPOSITIO V.

Conscientia in actionibus dirigendis non sequitur licitè opinionem improbabilem: parum autem admodùm probabilem, non nisi in extremâ necessitate.

Exponitur quænam opiniones sint improbabiles.

37. DEnique istud etiam dicendum restat, ex opinione verè solideque probabili, rectè actionem instituì, non verò ex improbabili. Improbabilem autem voco, *Primò*, quæ nullâ ratione suffulta est, & tantùm eam asserentium, sibique credi volentium pertinaciâ fouetur. Qualis olim Pythagoræ fuit opiniones suas promulgandi modus; quibus non alia patrocinabatur ratio, quam vnicum istud αὐτὸς ἔφα, talis & Manichęorum erat opinandi pertinacia, vti ex Augustino vidimus. Eiusmodi opiniones, quantumcumque plurimos habeant sectatores, semper sunt improbabiles, cùm illi ipsi auctores rationem omnem iis detrahant, probabilitatis vnicam animam, primumque fundamentum. Non enim quod pluribus videtur, id est probabile; nisi quòd, cùm prudenter agere censeantur, etiam præsumatur esse ratio, ob quam tot viri in vnam coeant sententiam. Hæc igitur si desit, non est quòd ab auctoritate hominum, non ratione, sed merâ pertinaciâ opinantium, vllum, opinioni tam vagæ petatur patrocinium. *Improbabilis opinio est, quæ nulli rationi innititur.*

Tract. 4. n. 27.

38. *Secundò* improbabilis est dicenda omnis opinio, cuius oppositа veritas manifestè jam tenetur. Et id quidem rursus clarum est; non potest enim prudenter verum putari, id quod falsum est, quantumcumque rationes videantur afferri verisimiles. Sic improbabile est, quod lumini naturæ manifestè repugnat, quod fidei mysteriis, quod Ecclesiæ, quod Pontificum definitionibus est contrarium; nisi fortè quis veritatem indubitatam & infallibilem iis detractam velit. Hinc hæreticorum rationes, quibus v.g. *Improbabilis est opinio cuius falsitas tenetur aut definita est.*

Eucharistiæ Sacramentum, aut Trinitatis mysterium impetunt, quantumcumque ratiocinationi humanæ adulentur & fucum faciant, improbabiles tamen sunt; quòd veritati nobis reuelatæ eas aduersari jam constet. Frustra etiam est, quòd vt sibi liberam peccandi viam sternant, pluribus è naturâ petitis rationibus, fornicationem de communi peccantium consensu commissam, aliquo casu, sibi aliisque quidam improbè conantur persuadere non esse illicitam. Nam vt tales essent rationes quas dissoluere & expedire esset difficile, tamen ex Sacris paginis manifestè tam pernicioſi erroris falsitas & improbitas jam tenetur, & ab Ecclesiâ est proscripta. Quòd si ergo falsa hæc opinio, sanè probabilis non potest dici ratio, quæ falsitati dat patrocinium.

Item quæ contraria Pontificum decretis.

Hinc denique, nemo sibi de probabilitate opinionis suæ blandiatur, si quis ei mordicus inhæreat, quam à Pontificibus proscriptam scit & condemnatam; neque sibi à contraria sentientium, sibique fauentium numero, vel auctoritate solatium petat. Frustrà id est profectò; & in re tanti momenti, & à quâ stat genuinusne sis Ecclesiæ filius, an projectitius & abortiuus, non est quòd sibi quis humanis rationibus palpum faciat. Aut Pontifices errare posse fatendum, quod quidem horribile dictu est, & non nisi desperatæ causæ, deprehensique erroris vltimum perfugium; aut istud statuendum, falsas esse rationes omnes, quæ dogma damnatum persuadere videntur (falsi enim rationes, veræ esse non possunt) ac proinde in id incumbere debent legitimi Ecclesiæ & veritatis filii, vt eas vel refellant; vel si refellere suo marte non possunt, tamen tanquam indubitatim falsas, penitùs rejiciant. 39.

Nullum opinioni improbabili datur patrocinium ab auctoritate:

Hoc est, quod, vt verum ingenuè fatear, numquam satis æquo animo legere potuerim, id quod Neotericus quidam Doctor pro suis opinionibus stabiliendis attulit, quas tamen fatetur à Sede Apostolicâ esse proscriptas. Ita loquitur Libro de Naturâ lapsâ, sibique objicit. *Quid ergo ad propositionem quam proscripsit Apostolica sedes? Hæreo* inquit, *fateor.* In re tamen certâ hærere, vt parum dicam, admodum est temerarium, incertique euentus. 40. Ianss. tom. 2. de nat. lapsa l. 3. c. 22.

Ne quidem D. Augustini.

Cùm autem hæsisset paululum, mox resumpto spiritu, *sed quid ad doctrinam,* inquit *Augustini clarissimam constantissimamque, quam toties probauit & sequitur, sequendamque monuit Apostolica sedes?*

des? Itane verò, Sedis Apostolicæ decreta vis esse aliquando in rebus fidei sibi inuicem contraria, & infractam hactenus auctoritatem existimas posse conuelli?

41. Sanè si mihi libros D. Augustini peruoluenti ea occurrerent, quæ aliquâ ratione decretis Pontificum viderentur esse contraria, multa statim ad manum essent quæ mihimet ipsi responderem. Ac *imprimis* dicerem, doctrinam illam quam in Augustino mihi legere videor, clarissimam non esse mihi; errare me, mentemque auctoris tanti, cùm ea Pontificis decreto aduersa mihi videatur, penitùs me non intelligere: denique non esse me virum illum, qui Augustini mentem in omnibus planè perspiciam sic vt errare non possim; quasi non nisi à me Augustinianæ sententiæ petenda esset interpretatio. Atque hoc est primum quod opinionibus meis, quas Sedi Apostolicæ video contrarias, sedandis responderem; de Augustini, inquam, doctrinâ à me perceptâ modestè sentirem, neque dicerem eam esse clarissimam. Quod si autem nihilominus mihi occurreret, eum tamen esse virum me, *qui per viginti annos & eo amplius*, indefesso labore sanctissimi Doctoris scriptis inhæserim, ea sæpius euoluerim, eiusque mentem sagacitate maximâ indagarim; istud illicò retundendæ nimiæ, quam de me habeo, existimationi opponerem, idcirco me Augustini sententiam non percipere, quòd mente non bonâ lucubrationibus tanti viri incubuerim. Id est, vt clariùs loquar, faterer legisse me Augustinum, non vt eius sensa perquirerem, sed vt præsumptis à me opinionibus, à tanto auctore peterem fulcimentum. Sic sanè video hæreticos passim, non viginti modo annos, sed & vitam omnem Sacris paginis indefesso labore, vti jactitant insudare, omniaque ipsis esse *clarissima:* neque tamen Orthodoxus quis diffitebitur, immani improboque studio, nihil eos admodum veritatis assecutos. Non enim sacros Codices euoluunt, vt auctoris Dei mentem percipiant, sed vt ad errores jam antea à se præconceptos, lecta detorqueant. Hoc autem non est Sacris litteris, aut Augustino, aut vllidemum auctori incumbere, sed suis erroribus cicatricem obducere, maloque suo peruicaciter adulari. Neque tum crederem ego per viginti annos Augustinum legisse me, sed me measque opiniones quæsiuisse in Augustino. Hoc autem non est lectorem agere, sed malæ causæ consarcinatorem

Quid respondendum sit auctoritati D. Augustini quæ videtur Pontificum decretis contraria. Prima responsio.

peſſimum. Etenim ſolus ille, & quidem vt præclarè D. Hilarius, *Optimus lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis, potiùs quàm imponat; & retulerit magis quàm attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum.* Atque hæc quidem prima eſt reſponſio. D. Hilar. l. 1. de Trinit.

Secunda reſponſio.

Secundò ſi in Auguſtino doctrina occurreret planè Sedis Apoſtolicæ definitioni aduerſa (quæ nuſquam tamen eſt, vbi Auguſtinus perperam non exponitur) ſi tamen occurreret; reſponderem illicò, vt ſua Apoſtolicæ Sedi ſtet authoritas, quam in rebus fidei contraria ſcio fundere non poſſe oracula; reſponderem inquàm mihi, non eſſe doctrinam eam, *conſtantiſſimam illam quam toties probauit, & ſequitur, ſequendamque monuit Apoſtolica Sedes.* Satis enim conſtat, non omnia quæ Auguſtinus docuit, eo modo ab Eccleſiâ eſſe comprobata, (quod tamen falsò perſuadere populo quidam voluêre) ſed ad quædam capita ea redigi, quæ quidem toti Eccleſiæ venerationi ſunt, eruntque ſemper apud Catholicos omnes indubitata; non quòd apud Auguſtinum legantur, ſed quòd à tanto viro lucubrationibus expreſſa & illuſtrata, à Pontificibus tanquam fidei dogmata, deinceps fide Diuinâ credenda, toti Eccleſiæ fuerint propoſita. Si itaque doctrinam aliquam in tanti viri libris inuenirem, clarè & manifeſtè Pontificum definitionibus contrariam, dicerem ſanè eam non eſſe de numero dogmatum, quæ comprobauit Eccleſia, neque conſtantiſſimam illam doctrinam, quam toti Eccleſiæ obſeruandam per Pontifices commendauit. 42.

Tertia reſponſio.

Tertiò talis doctrina Pontifici manifeſtè contraria in Auguſtino ſi occurreret, ego ſanè doctrinæ Auguſtini non adhærerem, neque crederem auctori Eccleſiaſticam doctrinam oppugnanti. Hæc enim errare non poteſt, ille poteſt. Neque verò Auguſtinus ipſemet ſibi in hoc euentu crederet, ſi quidquam protuliſſet Eccleſiaſticæ auctoritati contrarium, cum de ſeipſo iſtud præclariſſimè fateatur, *Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ moueret auctoritas.* An verò credibile eſt, modeſtiſſimum virum Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem ita reuereri, vt contra eius mentem, ne Euangelio quidem habiturus ſit fidem, & tamen tam præfractè ſuæ inhæſurum opinioni, ſi aduerſam Eccleſiæ ſciret, vt ſibi potiùs quàm illi diceret eſſe credendum? Abſit profectò à viro ſanctiſſimo tantum ſce- 43. D. Auguſt. lib. contra epiſt. fundam. c. 5.

lus.

lus. Et ne quis fortè cauilletur, Ecclesiæ Catholicæ, non verò Pontificis auctoritatem Augustino tantoperè commendari; indigna, vt parum dicam, est homine Catholico ista tergiuersatio, & D. Augustino prorsus iniuria, qui sese auctoritatem Ecclesiæ fatetur suscipere *in eo* inquit, *qui Ecclesiæ, propter Apostolatûs sui primatum, gerit figuratâ generalitate personam*, id est Petro, eiusque successore Pontifice. Dignam profecto Augustino sententiam, quæ meritò omnium, qui sese tanti Doctoris discipulos profitentur, semper animis obuersetur; ne, dum ab Augustino opinionibus suis petunt patrocinium, eius menti penitus aduersentur. Atque hæc sunt quæ respondenda judico ad Augustini auctoritatem, tum cum eius doctrina, Pontificum definitionibus videtur esse contraria. Illudque vniuersim de rationibus, quibus quod verum est impugnatur, est dicendum, improbabiles nimirum esse & falsas, quantumcumque non vnius viri, sed multorum, sese in eundem errorem quasi protrudentium, stipatis agminibus propugnentur.

D. Aug. tract. 124. in Ioan.

44. *Tertiò* denique, si praxim spectes, quasi improbabilis reputanda est opinio illa, cui modica quædam ratio affulget, quæ nec tanta sit vt prudentibus viris planè approbetur, nec tamen tam exilis, quin eâ vtcumque moueantur, sic vt sententiam illam, falsi saltem penitus non coarguant. Eius generis opiniones, dirigendæ Conscientiæ nemo rectè admouerit: cùm nemo, nisi admodum imprudenter, eas humanis actionibus, negotiis inquam, rebusque adiaphoris soleat adhibere. Quod autem rebus familiaribus prudenter dirigendis non sufficit, id sanè non nisi per summam imprudentiam, rebus Deum salutemque animæ concernentibus, applicatur. Quod verò imprudenter fit & tamen liberè, semper fit malè.

Improbabilis in praxi est etiam, quæ parum admodum habet probabilitatis.

45. Vt quid ergo, inquies, de opinionibus quæ parum sunt probabiles, in scholis à Theologis disputatur? Dicam. Vt nempe in necessitate constituto, ad manum sint, eique tunc possint suffragari. Nam quem necessitas incautum opprimit, is sanè, si à re, etiam debili, subsidium postulat, aliud cùm non suppetit, prudenter agere res suas censendus est. Sic qui fluminis impetu abripitur, exiguos si qui occurrant ramos manu prudenter apprehendit, vt è vorticibus eluctetur; quos tamen amplecti, si validi objiciantur periclitanti funes, planè insanum sit & temerarium.

Adhibenda tamen in extrema necessitate.

rarium Ita prorsus hîc agitur; in necessitate nisi quis sit, & quidem extremâ, parum probabilibus, & tantùm non falsis opinionibus vti, imprudentis omnino est. At verò si extrema vrgeat necessitas, opinioni eiusmodi adhærere, cùm alia sese via eluctandi è discrimine non ostendat, prudentis est. Et quia prudenter adhibetur, nonnumquam eiusmodi opiniones sequi non tantùm est licitum, sed etiam Charitatis lege sæpissimè præscriptum. Sic, quamuis parum admodum esset probabile cereuisiam tenuissimam, Baptismi materiam èsse legitimam; si tamen aliquem probabilitatis gradum habeat hæc sententia, quòd aquæ naturam, vt fortè dici posset, cereuisia illa non exuerit, eam adhibere oportebit infanti morituro, dum alia ad manum non est aqua; vt puero, si vera aqua forsan ea sit cereuisia, succurratur: quæ tamen adhiberi minimè posset, si nulla ei probabilitas suffragaretur, veram esse Baptismi materiam. Sic in nullâ necessitate vinum baptizando puero rite adhibetur, quòd satis superque constet, materiam Baptismi non esse; vnde illegitimè illi adhiberetur quocumque in euentu, ac propterea sacrilegè.

In omnibus agendum bonâ fide.

46. Atque hæc quidem facilè erit aliis casibus applicare. Istud tamen seriò attendendum est, omnia quæ de probabili sententiâ actionibus suis applicandâ dicta, sunt, de iis quæ verè probabiles opiniones sunt, talesque sincerè existimantur, intelligenda esse. Dolo autem malo si quis agat, probabileque sibi fingat, quod tamen judicat improbabile, is sanè velum peruersitati suæ obtendit; sed crimen quod nollet agnoscere, non euadit. Seriò cum Deo in salutis nostræ negotio agendum est: illudque sibi præfixum habere oportet, nolle se prorsus, ne ad minimum quidem vnguem, ab eius sanctissimis legibus, justâque in omnibus voluntate discedere. Ac propterea hæc inquirenda est omni studio: huius scientia, votis precibusque ab illo Sapientiæ omnis fonte enixè flagitanda. Quod cùm pro tuâ virili egeris, nec tamen id fueris consecutus, vt veritatem illam adeò expetitam, penitus datum sit peruadere; tum sanè tam benignus est Dominus, & imbecillitati nostræ legislator tam accommodus, vt probabili ratione voluntatem suam, id est, diuinam conjectanti non succenseat, si fortè à veritatis apice aberrarit: legi

suæ

ſuæ intercedit, quam nullo dolo malo videt infringi; actione mque quin imò approbat, quam quaſi non diſpliciturам, à mortali homine, hoc eſt rerum ignaro admodum, fide bonâ ſibi viderit exhiberi.

§. VI.

In quo ſtatu ſit hodiè apud aduerſarios tota de opinione probabili controuerſia, & quantùm in eâ promouerint.

47. HÆc cùm jam prælo parata eſſent, Amice Lector, incidi in libellum cui titulus *Baſis totius moralis Theologiæ, per F. Julium Cremonenſem. S.T. Magiſtrum Ord. Prædicatorum, Inquiſitorem Mantuæ.* Impreſſus erat Pariſijs. Agit is de hâc, quam modò exegimus, probabilium opinionum materiâ. Non tamen hæc eò hîc affero, quòd doleam non citiùs ad me perlatum, quaſi ſi librum hunc refellere aut operæ pretium ſit, aut lubentia: nihil enim quidquam, à me jam dictis adjiciendum magnopere cenſeo, vt baſis illa totius moralis Theologiæ ſubuertatur.

48. Sed iſtud mihi viſum eſt non illepidum, minimeque reticendum, quod in libelli præfatione reperi. Et hæc quidem non ab auctore eſt confecta, ſed à quodam veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtauratore, ex Montaltii & Wendrockii aſſeclis adjecta videtur temerè. Hic, inquam, vbi deſperatâ jam vniuerſim victoriâ, multa garriuit in vtramque partem, faciendæ concordiæ Probabiliſtas inter (Ita enim ſibi aduerſos vocant per contemptum) ſuoſque commilitones, illos nempè moralis omnis diſciplinæ arbitros, vt ſe præferunt, & cenſores; in hanc tandem delabitur decretoriam ſententiam, quâ & victoriam retuliſſe, & controuerſiam abſoluiſſe, & Probabiliſtis os egregiè obſtruxiſſe, ſibi non ſine plauſu gratulatur. *Nec quidquam*, inquit, *eorum cauſam juuant antiqui Theologi, quos magnâ pompâ & longo ordine proferunt. Quorum etſi non-nulli docuerint non neceſſariò tutiorem partem* *Vltimus aduerſariorum impetus & objectatio.*

tem amplectendam, si altera probabilior fuerit, nemo tamen, nemo inquam, excepto nemine, minùs probabilem simul ac minùs tutam sequi concessit.

Subrisi cùm hæc legerem; lepida enim videbatur imprimis & festiua battologia, eiusdemque vocis histrionica repetitio. *Nemo* enim ille & quidem *excepto nemine*, id est, *Nemo* à quo *Nemo* excipitur, apud Comœdos joci gratiâ *Non-nemo*, aut certè *Non-nullus* dici posset non incommodè. Sanè præfidentis omninò asseuerationis, & quasi insultantis est ista vocis ingeminatio. Credidit *Non-nemo* ille (neque enim nomen suum prodit, aut aliter nosci vult) credidit, inquam, aut cum nemine sibi futuram rem, aut neminem non sibi daturum fidem, illi scilicet qui isthæc dicta tam feruidè & præfractè asseruerit. Facilis est tamen, & ad manum refutatio. 49.

Refellitur an Theologi moderni.

Nam si de recentioribus Theologis sermo sit, plures sanè sunt, quos etiam præfationis auctor non ignorat, sententiam hanc disertis verbis qui adstruxerint, *licitum esse sequi sententiam quæ minùs tuta sit, & minùs etiam quæ sit probabilis, modò probabilis verè sit.* Vide id asserentes Guazzinum, Emmanuelem Rodriguez, Vasquez, Sanchez, Joannem Ildefonsum Baptistam, & apud illos, plures. 50. Guazz. in tr. mor. l. 2. c. 26. Rodr. in summâ Cas. To. 2. c. 69. n. 7. circa finē. Vasq. in 1. 2. disp. 62. cap. 4. Sanch. in præc. l. 1. c. 9 n. 14. Baptista in 1. 2. dis. 208. dub. 8. fragm. 2. conc. 6.

Item ex Theologorum antiquorum sententiâ.

Quòd si autem antiquiorum Theologorum, vti videtur facere, appellet fidem; sanè quamuis fortasse nemo vnus esset, qui sententiam illam totidem particulatim verbis, eoque tenore exposuerit, tamen illi ipsi qui generatim asserunt, *quemlibet hominem cum salute posse sequi in consilijs quamcumque opinionem voluerit, dummodò alicuius Doctoris magni opinionem sequatur*; hi inquam, etiam minùs probabilem minusque tutam (si tamen inter has datur minùs tuta) hâc suâ assertione non dubiè complectuntur. Quid enim est posse sequi *quamcumque opinionem voluerit*, nisi omnem exceptâ prorsus nullâ, modò magni sit doctoris? Aut si aliquam opinionem antiqui illi Theologi qui hæc docuêre judicabant excludendam, perperàm sanè docuissent vniuersim, quamcumque opinionem sequi fas esse. 51.

Atqui, *quemuis hominem, quamcumque opinionem voluerit in consilijs sequi posse, modò magni sit auctoris*, asseruit Joannes Nider ex Ordine D. Dominici auctor celebris ante annos 230. vti in fine 52.

Catalogi

Catalogi Tractatui præcedenti subnexo demonstrauimus: & quidem eam sententiam à Theologis jam suo tempore antiquis edoctam; quin imò jam inde ab Alberti Magni temporibus, id est ab annis prope trecentis, inter antiqua Religionis suæ monumenta & responsa exaratam inuenisse se testatur; adeoque se credere ab ipsomet Alberto Magno profluxisse. Desinat igitur præfationis auctor populo imponere; neque de verbis vocibusque Theologorum nobis litem instituat, vbi tam aperta est eorum mens. Quid enim refert an hôc an illo modo sententiam suam exponant, dummodò afferri possit nihil, quod suis verbis non sint complexi?

53. Adde præterea inutile prorsus esse quærere, an licitum sit sequi opinionem minùs probabilem, quæ simul minùs sit tuta. Nam vt jam docuimus, inter probabiles, non datur minùs magisue tuta opinio: omnes pari gradu tutæ sunt, hoc est, nulli peccandi formaliter periculo expositæ. Quod quia à plurimis, iisque grauissimis Theologis docetur, hi certè omnes euanidam esse auctoris huius propositionem, neque alio fine quàm ne nihil dixisse videatur adinuentam, facilè subscribent.

Aduersarij obiectatio suppositi falsum.

Hoc tr. n. 16. & seq.

54. Diutiùs his inhæsi quàm statueram: non enim mihi erat animus homini ignoto, & nomen suum non sine artificio dissimulanti respondere; neque verò etiam responsionem magnoperè vrgebat res; sine vllo publicæ rei detrimento contemni poterat cauillatio. Ast istud potissimum Lectori ob oculos ponere erat constitutum, quàm non de nihilò ingentibus & gygantæis aduersariorum, veteris inquam, disciplinæ restauratorum laboribus accommodari possit Poëticum istud, *Parturient montes, nascetur ridiculus mus.*

Euanida aduersariorum molimina.

55. Primò enim impetu Probabilistarum agmina difflaturi, conspiratione concordi, & vnâ velut acie, Probabilitatem omnem omninò impetebant, condemnabant, proruebant. Nihil quidquam ex probabili opinione posse decerni, neque probabilitatem prorsus vllam actionibus dirigendis, sine lethali crimine adhiberi, præcipuum erat nouæ Theologiæ moralis fundamentum: alia qui traderent, *cæcos esse & duces cæcorum*, *Religionis omnis perturbatores*, *Christianorum seductores*, & denique quid non? Itaque omnia debere esse certa & indubitata, quibus humanæ

Primò concendebant, nihil quidquam agi posse ex opinione probabili.

manæ actiones applicantur. Hîc ſtabant, hîc quaſi pro aris & focis decertabant, hîc denique triumphabant.

Deinde ſaltem probabiliorem opinionem ſequendam eſſe neceſſario relictâ probabili.

Verùm cùm ab hoc fundamento totius orbis judicio ſunt dejecti, viderentque humanis actionibus penitus interdici, nec vllum inter homines ſupereſſe commercium, ſi certa tantùm fas ſit agere, id eſt, ea ſolummodò quæ veritatem ipſam indubitatim aſſequuntur; laſſatis vtcumque viribus, quas fruſtra primo in molimine exeruerant, lentiùs & modeſtiùs ab iis agi cœptum. Illudque ſaltem ſibi dari poſtularunt, vt dum duæ occurrunt opiniones vtrimque probabiles, quarum tamen altera ſit probabilior, hanc ſine crimine deſeri non poſſe. Multùm profectò primus ille furor deferbuit, quo nullam non opinionem probabilem actioni applicitam, contendebant ſceleratam eſſe & nefaſtam. 56.

Denique, ſaltem nefas eſſe ſequi minùs probabile quod ſimul minùs ſit tutum, volunt euincere.

At cùm ne iſtud quidem potuêre euincere, hoc tandem ſolatii ergo ſibi dari poſtulant, ne non aliquâ ratione bonâ Probabiliſtas admordiſſe videantur, ſaltem nefas eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, quæ ſimul minùs tuta ſit. 57.

Oſtenditur vanitas huius propoſitionis, & quantum à primo huius controuerſiæ feruore deſciſcat.

Magnam enimuerò rem, & dignam molimine tam ingenti! En quò tantùs decidit aduerſariorum labor! In tam tenues auras tam horrenda tempeſtas abiit. Tantillam ſcilicet rem vt tandem exprimerent, Theologi paſſim omnes erant contemnendi, condemnandi impietatis viri innocentiſſimi, Scholarum Religionumque conuellenda auctoritas, tumultu euertenda Virginum aſceteria, Concionatorum exedræ replendæ clamoribus; turbanda denique erat Europa. Sanè ſi id illis vltrò concederem (quod tamen falſum eſſe demonſtraui) nefas eſſe agere ex ſententiâ minùs probabili, quæ ſimul etiam ſit minùs tuta, nihil quidquam tamen darem quo ſibi multùm poſſent abblandiri. Non enim hoc erat, quod primo impetu per tumultum adeò enormem contendebant, dum rectè ſentientium auctoritatem in inuidiam trahere falſimoniis, & calumniis ſeſe proruere poſſe ſperabant. 58.

Jam verò dum de referendâ victoriâ deſperant, modeſtiùs paullò tandem agunt: ſed ne ſe planè victos eſſe fateantur, iſtud ſaltem gloriantur ſeſe aſſecutos, fateri nos debere, Theologorum antiquorum, *neminem eſſe, neminem inquam excepto nemine, qui minùs probabilem opinionem ſimul ac minùs tutam ſequi conceſſerit.* Bene ipſis ſit. Interim recedunt ex acie, & magnis paſſibus refe- 59.

runt

runt pedem. Dicunt tamen aliquid, ne prorsus taceant. Sic sanè & catelli, qui multâ rabie prætergredientis viatoris calces allatrarunt, infectâ re & sæpè malè mulctati domum cùm redeunt, latrant nihilominùs quamuis modestiùs, identidem circumspectitant, viatorem obliquis oculis intuentur, & nescio quid dentibus interim obmurmurant, ne nihil omninò sibi suique similibus, tanto impetu egisse videantur.

60. Atque hæc demùm est ignorantiæ inuincibilis, probabiliumque opinionum materia, tanto studio nuper agitata, tot contumeliis appetita, tot cauillis arrosa, tot execrationibus etiam diris deuota, & quidem incertum cuius Religionis, quam more suo veterem vocant, restaurandæ, pio vt primâ fronte videtur, sed non satis probato sub prætextu. Quàm verò solida protulerint illi Theologorum omnium, imò & rationis humanæ contemptores, non est quod dicam. Exposui prout in tantâ breuitate potui omnia. Judicabit æquus Lector quid sit de re; & à se tenebras, si quæ fortè cauillationibus aduersæ partis fuerant offusæ, veritatis luce depelli, vtpote veritatis amans, facilè atque æquo animo patietur.

Conclusio trium præcedentium Tractatuū.

TRACTATVS VI.

DE CONSCIENTIA DVBIA.

Omne quod ex fide non est, peccatum est. *Ad Rom.* 14. v. 23.

Conscientiam de actionis suæ malitiâ, id est, practicè dubitantem, eam permittere non posse. In speculatiuo autem dubio quod superari non potest, Conscientiam, ex possessione & juris præsumptionibus, in omnium Virtutum materiâ rectè efformari.

PROOEMIVM.

Cur Conscientia vocetur aliquando dubia.

QUamuis Conscientia dubia verè proprieque dicta Conscientia non sit, vt antè me dixisse memini; quandoquidem Conscientia, actus sit de actione suâ judicantis animi; dubitatio verò sit hæsitatio quædam suspensioque judicii, vt mox explicabo: tamen quia circa res dubias, quæque nullum in alterutram partem consensum extorqueant, versandum est sæpenumerò, de quibus tamen Conscientiæ judicium certum exigitur, idcircò Conscientiam dubiam vocant Theologi: non quòd dubiam in rebus agendis vmquàm sententiam ferre possit, quam licitum sit executioni mandare; sed quòd incertæ sæpè res sint, dubiæque bonitatis aut malitiæ, de quibus tamen certum quid est statuendum, an executioni mandari debeant, an verò sint penitus rejiciendæ. Dicendum est itaque, quâ ratione in dubiis quæ proponuntur actionibus, efformandum sit Conscientiæ dictamen, quod sine crimine amplecti liceat, & impunè etiam à dubitante exhiberi.

§. I.

§. I.

Expositâ Dubij naturâ & differentiâ, proponitur status quæstionis.

1. LOngè inter sese differunt, quamuis sæpè confundantur, voces, *dubitatio* & *opinio*; *dubitare* & *opinari*. Atque vt à propositâ mihi materiâ per varia discurrendo non abeam; inter eum, inquam, qui dubitat resnè sit licita an illicita quæ agenda offertur, & eum qui probabili ratione opinatur licitam esse aut illicitam, magnum sanè est interuallum. Quod quia à multis minùs attenditur, hinc fit, vt quemadmodùm rerum vocabula, ita & res ipsæ sæpissimè confundantur; & sibi permixtione mutuâ tenebras eas obducant, quas non facilè, nisi ritè separentur, sit discutere. Id igitur agendum est primò, vt sua cuique parti debita constent nomina. *Aliud est dubium, aliud longè opinio.*

2. Et quidem, *Opinionem* cum *Dubitatione* committendi & conjungendi occasionem inde arreptam suspicor, quòd vtrobique de rei veritate incertus sit, aut sanè certus non sit animus. Et hoc quamuis sic esse fatear, tamen longè aliter circa propositæ rei veritatem versatur mens dum opinatur, aliter verò longè dum dubitat. Nam qui exempli gratiâ, opinatur rem esse licitam, is ratione ducitur probabili, id est eâ propter quam prudenter judicat rem ita esse; quamuis id etiam judicet, eas è diuerso rationes existere, ob quas non immeritò possit statui, rem ita prorsus non esse. In hoc euentu, jam dictum est superiori Tractatu, Conscientiam sibi certum indubitatumque dictamen efformare posse, quo statuat, actionem eam quam probabili ratione opinatur licitam, licitè & impunè à se posse exerceri. Et quamuis de opinionis quam sequitur veritate reformidet & non omninò sit certa, atque adeò materialis peccati committendi periculo sit obnoxia; certa tamen est, istud agere se posse, cuius veritatem, aliâ quàm probabili ratione non datur assequi. Et sic de omni formalis peccati discrimine admodùm est secura. *Proponitur differentia inter probabiliter opinantem.*

3. At verò is qui dubitat, nullum prorsus fert judicium, nihil statuit; neque de rei propositæ veritate, puta an lex obliget an *& dubitantem.*

non obliget, neque rursus etiam de actionis suæ bonitate aut malitiâ. Interim hæret animus incertus rei, quòd nihil, ne probabili quidem ratione in vllam partem possit decernere. Est enim dubitatio propriè dicta, *suspensio judicij, sic vt rei propositæ non detur aut assensus aut dissensus.*

Dubium negatiuum quid sit & vnde oriatur.

Tripliciter autem potest obtingere ea animi suspensio. *Primò* quidem, si nulla prorsus in vtramuis partem appareat assentiendi aut dissentiendi ratio. Sic nec asseruerit, nec etiam negauerit quis prudenter, paresne sint stellæ numero an impares. Nec qui concubiâ nocte de subitò expergiscitur, rectè statuet an eis, an citra horam duodecimam prouecta sit nox. Nulla enim in alterutram partem occurrit ratio: & sic, à judicando dum mens abstinet, dicitur habere *dubium negatiuum*, quod propriè ex merâ ignorantiâ rei, ortum ducit. 4.

Dubium positiuum oritur ex rationibus exilibus.

Secundò suspendi judicium potest, idcircò quòd rationes quædam quasi per caliginem sese ostentent; aut tam exiles, vt suspicionem quidem mouere possint, non tamen eæ sint, vt assensum, ne de probabilitate quidem veritatis, queant elicere. Sic beneficium Ecclesiasticum obtinenti mouetur dubium, an Horarum penso persoluendo obstringatur, quòd prouentus quos percipit tam sint exigui, vt tantæ obligationi non videantur exæquari; nihil tamen, quid sit de re, audet statuere. Alius sibi videtur olim Deo concepisse vota; alius sibi in ære alieno esse, nec tamen quondam debita persoluisse; alius meminit se peccasse, & se nondum Confessione crimen eluisse suspicatur. Sic infinita sunt alia, quæ ratione quâdam expenduntur, sed non eâ quæ sufficiens pondus afferat vt mentem judiciumque secum trahat, quamuis efficere possit vt animus aliquantulùm vacillet initio, ac deinde sententiam omnem prorsus suspendat. Qui sic dubitat dicitur habere *dubium positiuum.* 5.

Aut ex rationibus sese elidentibus.

Tertiò denique suspensio judicii (& hoc magis positiuum est dubium) exinde potest oriri, quòd quamuis ratio sit cur in vnam partem inclinetur animæ, vt ita dicam, æquilibrium, tamen ex alterâ parte, est quod pondus rationis eleuet aut elidat, sic vt ne probabili quidem ratione detur conjicere, à quâ parte stet veritas. Nam si vlla appareat in vnam partem ratio probabilis, jam non est dubium, sed probabilis opinio; nisi quis etiam tum nolit, aut non possit assentiri; tunc enim etiam verè 6.

dubita-

dubitabit; judicium cùm suspendat. Dubium ergo, non certitudinem tantùm & scientiam, sed & probabilem omnem opinionem elidit; vtrumque enim actus est judicii; dubitatio autem, mera judicii suspensio est, & quasi iustitium nihil in vtramuis partem decernentis animi. Tale dubium sæpè iis in rebus quæstionibusque occurrit, quæ à testium dependent depositione. Sic si fœminæ duo tresue nuntient, in Indiis vidisse se maritum efferri, & quidem certo die & loco, probabilem habet rationem quâ statuat viro se carere. Sed si alii æquè bonæ fidei totidemque nuntii superueniant, eodem aut posteriori die aliquo, maritum se vidisse saluum & incolumen qui testentur, certè si ratione & non naturæ cæco impetu agi velit, nihil quidquam de mariti morte aut vitâ potest statuere; & si mortuum optat, assensum tamen primo nuntio debet denegare, & dubitare de totâ re. Neque probabilem secundis nuptiis ritè ineundis dicat ex primis nuntiis sese hausisse opinionem illamque sequi: nam secundorum testium depositione, elisa est omnis probatio, quæ actioni ponendæ, nuptiisque ineundis faueat. Tota enim certitudo & verisimilitudo historiæ, in dubium jam euanuit.

7. Quæritur modò, dubitanti sic Conscientiæ faciendum quid sit, an inquam, judicio præuio sic suspenso, ipsa quoque ab omni dictamine debeat abstinere, actionemque omnem deinceps suspendere?

8. Vt verò hoc quoque exponatur clarè, istud sedulò attendendum est, in duplici differentiâ Dubium à Theologis secerni. Vnum vocatur speculatiuum, alterum dicitur Practicum. *Speculatiuum dubium* est, dum generatim de rei alicuius veritate, aut legis obligatione dubitamus. Et si quidem de hâc dubitatio incidit, *dubium juris* est. Sic qui dubitat an inuadentem se injustè, liceat occidere; an æger in quadragesimâ licitè vescatur carnibus, dubio laborat juris. Qui verò dubitat an hodie sit jeiunium, dies festus, hora diei duodecima, dubio tenetur quod vocatur *dubium facti*. *Quid sit dubium speculatiuum.*

9. Alterum est dubium practicum, quod non circa rem aliam, quàm circa actionem à se hîc & nunc ponendam versatur, ac hæret. Et hoc quidem sæpissime ex dubio speculatiuo oritur. Nam quod quis dubitet an vesci modò possit carnibus, fit quia dubitat *Dubium practicum quid sit.*

dubitat an modò sit dies jejunio deputatus, an sit hora noctis duodecima. De horâ quòd dubitet, aut de die lege præscripto, dubium speculatiuum est: at quòd de actione suâ, seu de carnium esu anceps sit, dubium est practicum. Fit tamen etiam quandoque, vt vbi nullum est speculatiuum dubium, sit tamen practicum. Fieri enim potest vt quis minimè dubitet, injustum inuasorem, præsertim cùm aliter discrimen euadere non datur, posse interfici: & tamen inuadentem sese cùm quis videt, dubitare potest de actione suâ; an scilicet ei manus inferre nunc possit eumque occidere, quòd fortè in amentiam actus sit; quòd facilè sit vim inferendam fugiendo euadere: denique multa alia possunt occurrere, ob quæ de nece à se inferendâ rectè dubitet. Dubium ergo hîc habet practicum, sine dubio tamen speculatiuo. Hinc patet illa inter se plurimum distingui.

Et verò sedulò attendenda est hæc distinctio, vt tota Dubii materia clarè euoluatur, neque confundantur rursus Dubia inter se? istud enim jam ostendetur, cum speculatiuo dubio, Conscientiam sæpissime posse actionem instituere, & institutam prouehere: cum practico verò, numquàm. Ab hoc itaque sumo exordium. 10.

§. II.

Cum practico dubio numquam licitum est dubia agere, sed pars tutior semper est eligenda.

Cum Dubio practico illicitum est agere.

THeologorum omnium ea concors est sententia, neminem de actionis suæ malitiâ positiuè dubitantem (id est cum dubio practico) eam sine crimine posse exequi; sed prorsus intermittendam esse, quamdiu hoc dubium animo obuersatur. Sic qui verè dubitat an lex jejunii hodie obliget, vndecumque hoc dubium oriatur, peccat si carnibus vescitur. Peccat autem, non quia cum dubio speculatiuo operatur; sed quia cum practico, id est, non determinando an bona futura sit actio, an verò mala. 11.

Et hoc quidem minimè potest esse dubium, cùm aperta sit D. Pauli

ad Rom. 14. v. 23. D. Pauli sententia. *Omne quod ex fide non est, peccatum est*, per fidem autem Conscientiam hîc passim intelligunt sancti Patres. Et quidem sensus huius oraculi hic est: omne quod bona fides seu Conscientia non dictat esse licitum agere, si agatur nihilominus, peccatum est. Atqui qui practicè dubitat an actio licitè exhiberi possit, Conscientiam rei licitæ, aut dictamen practicum de actionis suæ licitâ expositione non habet; agit igitur, & non ex fide; id est non ex Conscientiâ: ac proinde teste Paulo peccat, etiamsi verè legem non infringat, nec vetitum sit id quod agit. *Probatur 1. ex D. Paulo.*

13. Etenim quis id mihi jure negauerit, periculo sese euidenti talem exponere infringendæ legis? Atqui nonne rursus Diuinum id est oraculum, *Qui amat periculum in illo peribit?* Talis enim, cùm de actione suâ dubitet, bonane sit an mala, nec quidquam decernat, verè amat periculum, & quidem à se cognitum. Si enim non amaret, sanè modis omnibus inuestigaret quid sit de re, licitane sit actio an illicita. Jam verò cùm nullam adhibeat veritati inuestigandæ diligentiam, ab ignorantiâ inuincibili & inculpatâ patrocinium temeritatis suæ non potest petere, cùm affectata planè sit & voluntaria. Ignorat enim, quia cùm possit instrui, non vult; nec sibi moram discendi dat: & cùm de rei veritate instrui non vult, amare profectò errandi periculum est censendus. Eccli. 3. v. 27. *Probatur 2.*

14. Quid? nónne qui dubitat benene acturus sit an perperàm, ita, constitutus est animo, vt id peracturus sit, etiamsi constaret planè rem esse improbam? Quid enim, hoc si nosset, eum ab agendo retraheret, quod jam ei non objicitur? Dei inquies offensa certò cognita. Atqui perinde amico est injurius, qui dubius an amicitiæ leges sit infracturus, displicituruſque amico, reuerentiam aduentanti non exhibet, ac is qui certò sciens eum familiaritate illâ, aut potius rusticitate grauiter offendendum, honorem illum ei denegaret. Perinde enim agit, ac si de eius indignitate non magna ei esset curatio, eamque haberet admodum deinceps: quod sanè amicitiæ jura est infringere. Neque verò quemquam tam peruersæ mentis credo, vt Dei amicitiam non tam strictis legibus arbitretur obnoxiam, aut eam præ humanâ credat liberiùs posse contemni. Sine dubio itaque peccat, quisquis cum dubio practico an Deo displi- *Probatur 3.*

citura sit actio quam aggreditur, eam nihilominus præfractè exequitur.

Dubius an veniale sit peccatum an mortale, peccat mortaliter si pergit in agendo.

15. Rursus grauiter peccat, quisquis dubius mortalenè an tantùm veniale commissurus sit crimen, actionem tali dubio committit. Dubius v. g. an mentiendo, mortalem an verò leuem contracturus sit noxam, mortalem contrahit si mentitur. Interpretatiuè enim, vti aiunt, mortale crimen vult committere; vtpotè qui actionem eam intermissurus non sit, etiamsi nosset mortali offensæ esse obnoxiam.

Peccatur specie peccati de quo dubitatur.

16. Tertiò denique, certum id est etiam, eum qui sic agit dubius de peccato, illâ peccati specie innodari, de quâ dum peccat, dubitat. Hinc si quis non suæ commiscetur, dubitat autem an nupta sit an innupta, adulterii prorsus reus est; adeoque cùm species peccati in Confessione debeat explicari, non satisfaciet, si fornicatum sese fateatur, nisi & adulterii dubium quod obuersabatur animo, ingenuè exponat. Ita disertè D. Thomas. D. Tho. quodlib. 8. a. 13.

Dubius positiuè dubio practico, debet eligere quod est tutius.

17. Istud igitur fixum sit, quamdiu de actionis suæ bonitate aut malitiâ suspensus est animus, eligendum esse id quod est tutius. Tutius autem id est, in quo nullum peccandi est periculum. Et hîc locum habet Regula illa juris celeberrima, *In dubio, tutior pars est eligenda*: in dubio nempè positiuo practico. Ratio autem est; quòd numquam in actionem licitum sit prorumpere, nisi prudenter. Non autem agit prudenter, nisi reipsâ dictet Conscientia benè agi, aut saltem non malè. Et tunc tantùm non malè agitur, quando saltem probabili ratione res judicatur licita, exindeque judicium practicum à Conscientiâ elicitur, actionem licitè posse exhiberi. Neutrum autem in dubio practico positiuo locum habet; nam de legis obligatione nihil judicat animus; est enim dubius: & de bonitate peruersitateque actionis suæ nihil statuit, ac proinde sine dictamine Conscientiæ agit, *quod autem ex fide non est, peccatum est*, agit enim prorsus imprudenter.

Dubius negatiuè potest licitè agere.

18. Atque hæc de dubio positiuo dicta intelligantur. Nam vt rectè Ludouicus de Scildere, qui negatiuè tantùm de malitiâ materiali actionis suæ dubitat; id est, cui nulla prorsus occurrit ratio, nequidem minima, ob quam actio quam præ manibus habet, mala censenda sit aut illicita, is rectè Conscientiam efformat, Scildere de Consc. Tract. 3. c. 9. n. 5.

&

& certò statuit nullam actioni suæ peruersitatem interuenire, ac proinde licitè posse exhiberi. Si enim quoties ejusmodi dubia intercurrunt (quæ nulli rationi nixa cùm sint, à scrupulis non multùm differunt) ab actione foret abstinendum ; infinitis sanè perplexitatibus & angoribus præpediti forent, multorum ad virtutem seriò connitentium animi ; quibus omnia quæ agunt, videntur dubia ; & si rationem dubii exigantur, nihil habent quod reponant, nisi quòd dubitent, atque quòd ita ipsis esse videatur. Tale verò dubium vti ex nullâ ratione exoritur, ita etiam nullâ ratione est æstimandum, aut censendum vllam obligationem legis inducere, cuius nulla, in mente, legitima sunt vestigia. Sic si dubito an modò licitum sit exire domo, an vesci cibo qui mensæ apponitur, neque alia suppetat ratio quæ rem mihi faciat esse ambiguam ; tum sanè negatiuè dubitare censeor ; & ob hoc dubium, ab actione dubitatâ minimè est abstinendum.

§. III.

Cum dubio speculatiuo agere non licet, donec Conscientia judicium certum, licite rem agi posse, efformarit. Hoc autem judicare non potest, nisi prius speculatiuum dubium deponere studuerit.

19. EA quæ diximus plana sunt. Istud est difficilius, an quoties dubium aliquod speculatiuum incidit, illicò in praxi actionem meam illi conformare debeam, & quidem tutiorem semper partem eligere. Et vt exemplis clarior fiat res : dubium mihi incidit, an in ære alieno sim. Tutiùs videtur esse solutionem præstare, & æs dubium sic expungere ; an idcircò istud creditori dubio obligor exhibere ? Dubito an votum aliquod emiserim ; dubito an peccatum quoddam, quod olim commissum mihi nunc occurrit, ritè fuerim confessus ; dubito an hodie jeiunandum sit, & multa his similia ingerere sese possunt menti dubia. Sanè tutissimum videtur esse primo obtutu inspicienti rem, explere vota etiam dubia, peccatum dubium confiteri, jeiunare, aliaque præstare de quorum obligatione dubitas. Ita fit. Verùm istud *Exponitur quæstio.*

quæritur, an illicò formandum mihi sit Conscientiæ dictamen, illa omnia præstanda esse, actionemque illam mihimet debeam imperare? Profectò si hoc ita est, intolerabile omninò habent onus ii, qui à minimâ peccati specie dum abhorrent, dubiis implicantur propemodum infinitis.

In dubio speculatiuo formandũ est Conscientia dictamẽ.

Fateor ita esset, si hoc dubitantibus onus incumberet. At si 20.
rectè animum aduertistis, non id dixi §. præcedenti, agenda esse omnia, quæ dubia mens agenda suspicatur aut dubitat: istud tantùm dixi, ab actione omni abstinendum, de quâ dubitat an sit illicita, donec & quousque dubitat: supersedendum itaque actioni esse, donec statuerit, actionem hanc licitè à se exhiberi. Si ergo dictamen istud certum possit elicere, etiamsi probabili tantùm ratione nitatur; tum verò æquè tutum est, debitum dubium non soluere, quàm præstare; voto dubio supersedere, quàm istud adimplere; atque idem esto de cæteris dubiis judicium. Itaque vt tutò agere possit dubius, Conscientiæ dictamen efformandum est necessariò, quo certò statuat, actionem quam aggreditur, bonam esse & licitam. Atque hoc vocant Theologi, in re dubiâ formare Conscientiam. At quâ ratione id à me præstabitur inquies? quo pacto id à me impetrauero, vt statuam quid à me fieri debeat, cùm planè dubitem ad quid obliger? Sanè id sæpissimè non est admodùm difficile.

At quomodo?

Deponendum est si fieri potest dubium speculatiuum.

Ac primò quidem istud agendum est pro viribus, vt dubium 21.
speculatiuum, è quo dubium practicum siue actionis ponendæ incertitudo trahebat originem, superetur & elidatur: atque illicò cessabit dubii practici anxietas. Itaque si dubitas an licitè vesciturus sis hodie carnibus, sanè iis vesci nefas est, donec de legis obligatione dubitatur. Itaque dubium hoc euince; euinces autem si operam adhibeas, & inquiras an dies fastus sit an nefastus. De aliis quæ occurrunt negotiis, contractibus puta, possessionis aditione, mercium justâ aut iniustâ distractione, si mens hæreat, neque tuo studio dubium possis, ne probabili quidem ratione enodare; viros consule probos, prudentes, & de quorum scientiâ non dubitas; detergent ii dubium omne. Nam si vel probabili ratione asserant licitam esse rem aut illicitam, illicò fundamentum habes sufficiens, cui nixus dubium deponas; & ex probabili vt minimùm ratione, certum possis de actione à te præstandâ ferre judicium; hoc est, certum Conscientiæ dictamen effor-

efformare. Et hoc quidem, præstari dum potest, certissimum est Conscientiæ dubitantis leuamentum.

22. Verùm, quid si solus sim? quid si in eo loco constitutus, vbi nec libri ad manum sint, nec viri experti rerum quos consulam? aut quid si dubium sit tam pertinax, vt nec meo nec alieno studio, quantumcumque adhibeatur, possit superari? quo sese tum vertet Conscientia? Sanè speculatiuum dubium ei inhæret præfractè, nec ab eo se potest expedire. Foris quis est, aut in mari procul ab hominum consortio positus, neque horas per noctem audit, neque scit an dies sit jeiunii. An illi semper à carnibus est abstinendum, quoties an jeiunandum sit dubitat? Sanè jeiunandum sic esset non paucis anno toto. Dubitat quis an sit in debitis, & quidquid inquirit, manet dubium. Dubitat an justa sit bonorum quâ gaudet possessio, neque titulorum inuestigatione quidquam proficit. Matrimonium sit dubium, quod fama quædam obscura è remotissimis regionibus aduolarit, maritum primum viuere. Dubia sit peccati commissi Confessio, & quidquid cogitat, quidquid discutit, manet dubius. Dubitat quis denique an votum Castitatis emiserit; hoc autem dubium, cuius judicio quæso deponet? non suo; nam nihil occurrit quo factum quid sit, plane decernat: non alieno; quis enim nisi conjecturâ merâ assequetur quid ab illo olim factum sit, quem ne de facie quidem nouerat? & quid si nouisset, an vel probabili ratione potest quis conjicere, quid quis aliquando mente designarit? Sanè insuperabilia sic sunt dubia infinita, quæ nullo studio, nullâ arte possint flecti. An tum etiam ad tutiora recurrendum est consilia, & restitutio certa facienda illicò pro incerto debito; præstanda vota; deferenda possessio; vt certum à Conscientiâ, de actionis suæ bonitate, judicium efformetur? Hoc nunc agendum est & enodandum.

Sed quid si non possit istud dubium superari, quæritur quid agendum sit.

§. IV.

Quod si diligentiâ adhibitâ, manet dubium speculatiuum, tum formandum est dictamen Conscientiæ, ex bonæ fidei possessione & præsumptione juris, in materiâ quæ justitiam concernit.

In dubiis, ex possessione rectè formatur Cõscientia in materiâ justitiæ.

IN diuersa hîc abeunt Theologi. Quidam in materiâ quæ justitiam concernit, in rebus dubiis possessionem bonæ fidei, aut præsumptionem juris, incertitudinem omnem dirimere statuunt: in dubiis autem quæ reliquas virtutes spectant, tutiorem semper partem esse amplectendam. Et primum quidem, quod passim omnes Theologi, præter Adrianum dant, libens accipio: nempè cùm de possessionis alicuius justitiâ dubitatur, nec in alterutram partem potest euinci pro quo stet justitia; tum ad bonæ fidei possessionem jurisque præsumptionem recurrendum esse, vt quis certò statuat, rem de quâ ambigitur, retinere an possit, an verò eam à se debeat abdicare. Quamuis fortassis aliqui occurrunt casus, in quibus titulus tempore prior, possessioni præfertur. Tamen præterquàm quòd & id in peculiare jus refundi possit, euentus illi tam rari sunt, vt ob eos à regulâ generali, quam omnes Theologi amplectuntur, non videatur esse discedendum. Regulam autem illam explicare malo, quàm aut rationibus, aut grauissimorum virorum auctoritate confirmare. Egerunt id passim Theologi, tantùm exponenda est res. 23.

Id licitè fit in foro externo.

Certum est imprimis, quòd si de prædio lis inciderit, & quidem Caio illud possidenti, Titius actionem pro suo jure intentarit; omnibusque quæ vtrimque afferuntur ritè discussis & expensis, dubium manserit vtrimque jus, prædium Caio possidenti adiudicandum esse; & cum speculatiuo dubio, à judice nihilominus certò decernendum, prædium cuius jus est dubium, à Caio deinceps legitimè possideri. Nam vt fert regula juris 65. in 6. & regula 170. π de regulis juris, *in pari causâ melior est conditio possidentis*, & rursus l. 1. in fine C. de conditionibus insertis, *possessor bonæ fidei, sine plenâ & euidenti probatione in* 24.

Reg. juris 65. in 6. Reg. 170. π de regulis juris

l. 1. C. de conditionibus insertis.

ne in contrarium, remoueri non potest : quantò minùs ergo ob dubiam ?

25. Neque verò hanc possessionis prærogatiuam, ab humano jure aut Reipublicæ potestate arbitror defluere vt quidam volunt ; vt-potè in cuius manu sit de rebus dubiis disponere, & certo domino affigere ne incerta sint rerum dominia ; quasi si possessori bonæ fidei in dubio daretur dominium, tantùm ex priuilegio, & juris constitutione. Non inquam, his assentior. Nam possessionis prærogatiua, videtur ei competere ex naturâ rei, omniumque passim hominum communi judicio, cui jura se accommodant. Nemo enim negauerit, possessori bonæ fidei aliquod in re jus competere, saltem defendendi rem, & prohibendi ne sibi sine vllâ ratione eripiatur, hactenùs pacata, & à nemine in controuersiam vocata possessio. Hoc si ita sit, sanè vt acutè rem tangit Castro-Palao, tum cùm dubium est Caii possessoris, actorisque Titii jus, duplex est ex parte Caii ; vnum quidem proprietatis jus, sed dubium ; alterum verò, sed certum, possessionis. Ex parte verò Titii vnicum tantùm proprietatis est, illudque dubium, ac proinde à jure proprietatis quod habet Caius, adæquatum. Itaque cùm vno jure pares sint, & altero jure & quidem indubitato Titium Cajus cùm exsuperet, non est quòd ex juris dispositione aut priuilegio, possessori prærogatiuam dari existimes. Ratio ipsa id dictat, & communis omnium consensus ; siquidem nullum è possessione deturbandum vllius hominis judicio existimo, cui duplex jus in re competit, vt illi faueatur qui vno tantùm nititur, & quidem tali, vt vni tantummodò possessoris exæquetur. Quòd si igitur ante exortum dubium, verè fuit prædii dominus sic vt licitè eo vteretur, frueretur fructibus, illudque, si luberet, diuendere etiam posset, vt rectè Molina; sanè etiamnum ex communi lege, idem dominium obtinet, & non ex nouâ aliquâ juris dispositione : quandoquidem possessio dominium dubitanti non dederit, sed tantùm id quod habebat, propugnarit. Dispositione autem juris & judicum sententiâ, id tantùm fit, vt possessor ille ab actore conueniri non possit posthac, nisi alia afferat, quæ certiori argumento possessoris jus elidant ; & multò magis, vt pacificè rem possidenti, vis nulla possit admoueri. Quidquid sit, illud certum est, quod in dubio speculatiuo, ex possessione, jura rem determinent,

In dubio jure humana potestas aut Respublica non dat possessori nouum jus, sed de veteri judicat.

Castro-P. de Consc. disp. 3. punc. 2. n. 2.

Molina de jure & just. disp 17.

nent, & rectè. Nam cùm in dubio lances sint quasi in æquilibrio, simulatque juri vtrimque æquali, aliud possessionis jus alterutri adjicitur, minimè mirandum est, pondere nouo adiecto, examen stateræ aut justitiæ, in illam inflecti partem, in quâ plus ponderis est & plus momenti.

Externo foro conformandũ est internũ.

26. Alterum etiam certum est, forum internum, & posse; imò & debere externo foro conformari, nisi hoc fortasse falsâ nitatur præsumptione. Quod quidem multis probat Baldus, Couarruuias, Suarez, Vasquez, Thomas & Joannes Sanchez, & à Theologis passim admittitur. Atque ex hoc principio liquidò id consequitur, quotiescumque in materiâ justitiam concernente, dubium occurrit speculatiuum, quod nullâ diligentiâ adhibitâ possis superare, ex possessione, te licitè posse sententiam ferre; & siquidem possessio pro te stet, rem tibi adjucare. Ac proinde formare poteris judicium practicum, quo Conscientia judicis instar decernat, eam cum dubio speculatiuo, nihilominùs à te posse licitè ac securè possideri. Quid enim? si de prædio de quo nunc dubitas, coram judice indicta tibi fuisset lis, dubiisque quæ tibi occurrunt legitimè examinatis, nec tamen discussis, judicis publicâ sententiâ, ex possessione quam bonâ fide obtines, tibi causa fuisset adiudicata; an quidquam de rei possessæ iustitiâ dubitares? an non iudicis sententiæ acquiescerés? Acquiescerem inquis enimuerò. Atqui adhuc dubium esset aditæ proprietatis ius. Quòd si ergo cum hoc dubio, possessio tutam facit iudicis sententiam, quâ pro te stare possessionis ius decernitur, nihil est cur Conscientia, iudex actionum priuatus, eandem pro te sententiam non possit ferre, & tu illi acquiescere.

Couarr in c. cum esses. n. 7. de testam. Suar. de cens. disp. 40. sec. 5. Valq. in 1. 2. disp. 66. c. 1. Th. Sanc. l. 1. de matr. disp. 5. Io. Sanch. in sel. disp. 41. n 4. & disp. 48. n. 55.

Hinc probatur conclusio.

Ius externũ in dubio nõ dat nouum ius possessori, sed id quod habet declarat & defendit.

27. Verùm, inquies, alia est vtriusque sententiæ ratio. Nam cùm dubium est ius, iura possessori fauent, eique ius rei controuersæ, auctoritate publicâ tribuunt; ego autem mihi ius nullum arrogare possum, aut attribuere. Sic est. Declarare tamen possum, mihi de quo dubitabam, ius certò competere. Neque aliud agit iudex. Non enim de dubio iure quidquam disponit. Quâ enim iustitiâ rem dubiam possessori potest tradere certo iure possidendam posthac, dubiumque quod actori competit ius prorsus elidere? Si aliena verè est res, an iudici licitum est de alieno esse liberalem? minimè verò. In dubio iure seruanda est æqualitas, seruari cùm potest; potest autem cum res tota potest diuidi. Diuiden-

uidendum itaque foret prædium, & non possessori ex asse adjudicandum, si possessio nihil juris conferat, præter id quod titulus tribuit controuersus. Cùm itaque judices rem dubiam non diuidant, neque tamen de re alienâ justè possint esse liberales, dum justitiæ, diuidendo rem, potest vtrimque satisfieri; argumentum id rursus manifestum est, non ex juris dispositione aliquâ, sed ex naturâ rei, possessori certum ius competere, quod jurè tantùm dubio non elidatur.

Possessor bonæ fidei in dubio non debet rem diuidere,

28. Atque hinc etiam manifestum fit, possessorem bonæ fidei, occurrente dubio & possessione certâ, rem integram sibi tutò adjudicare, neque cum eo qui dubium jus allegat, vllo modo diuidendam. Quod enim forum externum non diuidit, rectè etiam à foro seu Iudice interno, id est Conscientiâ non separatur.

quantumcumque sit juris dubium.

29. Et quidem hæc possessio, tam certa regula est ad formandum sibi Conscientiæ dictamen, vt doctissimus Thomas Sanchez, aliique asserant disertè, etiamsi ea essent dubia, quæ suspicionem majorem ingererent prædium injusto titulo, quàm justo à te possideri, tamen sine vllâ anxietate animi à te retineri posse; cùm ex lege jam laudatâ id constet, quòd *possessor bonæ fidei, sine plenâ & euidenti probatione in contrarium remoueri non debeat.* Nullo itaque modo perturbandus est animus, etiamsi non vnum, sed & plurima sese dubia menti ingegerent, modò possessionis iniustitiam non euincant.

Sanch. in præc. c. 10. n. 9.

l. 1. in fine C. de condit. insertis.

Dubium de paternæ hæreditatis injustiâ non est curandum.

30. Neque aliâ ratione superanda sunt dubia, quæ de bonis testamento, aut parentum morte aditis, nonnullos anxiè omnia obseruantes, solent exagitare. Dubitant an justè à parentibus aut à testatore fuerint possessa; an legitimè transcripta, & & multa in hanc rem. Cùm enim pro sic dubitantibus stet possessio, non est quòd magnoperè angantur; neque de parentum malâ fide quidquam statuendum est, donec non dubiâ, sed euidenti ratione nocentes demonstrentur. Nam vt habet Regula juris, *Cùm sunt partium jura obscura, reo potiùs fauendum est quàm actori.*

Regula 11. de regulis Iuris in 6.

Dubius an debeat, non debet soluere.

31. Hinc rursus rectè conficies, si benè perpensis omnibus, dubium adhuc sit, an in ære alieno sis, tuam te Conscientiam ab omni debito posse absoluere, seu statuere nil debere. Cum enim pro te stet pecuniæ tuæ possessio, neque quidquam sit quod

eam malæ fidei arguat, non elidetur jus certum possessionis, per dubium jus, quod creditor aut allegat, aut tu ei competere suspicaris.

Certus de debito, dubius an soluerit, debet soluere.

Sed quid si certum sit tibi, debitum à te contractum, dubium autem sit an expunxeris? Respondeo eo in euentu soluendum esse debitum. Cùm enim certum sit creditoris jus, illud dubiâ exceptione non eneruatur. l. Titiæ textores. π. de legatis. Dicamus rem clariùs. Cùm enim creditor jus certum habuerit aliquando in re debitâ, illi juri dubia solutio non exæquatur. Stat itaque pro creditore juris possessio, quam dubia non elidunt. Huic autem juri manes obnoxius, quamdiu dubitas; nec ab illo eximêris, donec solutione præstitâ, ei certò fuerit satisfactûm. Hæc de materiâ justitiæ, pro instituto meo dicta sufficient. 32. l. Titiæ textores. π. de legatis.

§. V.

Non in Iustitiæ tantùm, sed & in aliarum virtutum materiâ, possessio aut quasi-possessio, & præsumptio juris sufficit, vt in dubiis, certum de actione exhibendâ Conscientiæ dictamen effermetur. Exponitur id in variis casibus.

Possessio in omnium virtutum materiâ sufficit ad formandam Conscientiam in dubio.

ATque à virtute Iustitiæ ad aliarum Virtutum materiam gradum facio. Volunt nonnulli Theologi, cùm dubium de cæterarum virtutum obligatione occurrit, non aliud Conscientiæ dictamen superesse, quàm eligere id quod tutius est, id est, quod sine vllo peccati materialis discrimine potest agi. Nihilominus cum præstantissimis Theologis Suarez, Sanchez, Castropalao, Baldello, & aliis plurimis, aio possessionem, aut vt pressiùs loquar, quasi-possessionem, etiam in aliarum Virtutum actionibus regulam securam esse, quâ dubia omnia dirimantur; iisque circumlatrantibus, tutâ tamen in agendo Conscientia pergat viâ. Aut si hîc non valeat possessio, certè nec in Iustitiæ materiâ, dirimendis dubiis vllum ex hâc datur adminiculum. 33. Suar. to. 5. in 3.p. disp. 40. sect. 3. Sanch. de matr. disp. 41. n. 32. Castrop. de Conf. disp. 3. punc. 6. Baldel. de Conf. dis. 8. n. 2.

Nam

34. Nam si res bene attenditur, quòd in materiâ Iustitiæ, *in dubiis melior sit conditio possidentis*, id non inde fit, quòd humana potestas possidenti jus vllum tribuat, vt dixi n. 25. & 27: sic enim non esset melior, sed fieret melior conditio possidentis; jus autem asserit meliorem esse possidentis conditionem. Non esset autem melior possidentis quàm actoris conditio, nisi ei melius aut potius esset jus. Sed tota hæc Iuris declaratio in materiâ Iustitiam concernente, non est, vt acutè rem tangit Baldellus, ex aliquâ ratione quæ materiæ Iustitiæ peculiaris sit & intrinseca, *sed ex communi* inquit *ratione ignorantiæ inuincibilis, quæ semper excusat*, quatenus nempè ignoratur inuincibiliter & inculpatè malitia committenda, si retineatur res aliena: ignoratur enim obligatio restituendi rem quam possides. Atqui & in aliis virtutum generibus, Religionis puta, Obedientiæ, Temperantiæ, eadem dari potest ignorantia: igitur si in his ignorantia non excuset, quin eligendum sit id quod tutius, ne materiale fortassis peccatum committatur; nihil etiam erit quod in dubio possessorem bonæ fidei propugnet. Nam vtcumque rem fide bonâ possideat, poterit tamen verè esse aliena, & sic materiali peccato esse obnoxius. Ab hoc autem, si possessorem bonæ fidei absoluat inculpata & innocens possessio, etiam cum tertii præjudicio, aut præjudicandi periculo, nihil est cur id possessioni in aliis virtutibus denegetur, præsertim dum nullius tertii juri officitur. Verùm explicandum est quæ sit ista possessio, & cuius rei.

Eadem enim est ratio in his, & in materiâ Iustitiæ.

Baldel s. n. 9.

35. Quod vt exponatur clariùs, videndum est porrò quid in materiâ Iustitiæ agat possessio. Lite cùm agitur, partes sibi diem dicunt, actionem intentant, totique in id incumbunt, vt jus suum vtrimque probent, & mutuum vicissim elidant. Neuter si rem euicerit, obscurum dicitur & dubium vtrimque jus. Et in hoc euentu, vnde stat possessio, in eam partem Iudicis sententia inclinatur; & tota determinata est lis. Eadem planè circa cæterarum virtutum, Castitatis nempe, Religionis, Obedientiæ actiones, quandoque instituitur altercatio. Litem, vt ita loquar, voluntati intentat Virtus: voluntas pro suâ causâ stat: Iudex qui litem dirimat, est Conscientia. Dubium, exempli causâ, est an sit hodie jejunandum. Lex jejunii, obligationem allegat, obedientiam proinde exigit. Voluntas ex aduerso pro libertate

Explicatur quid sit possessio, quæ in reliquis virtutibus est attendẽda.

libertate suâ stat; obedientiam non denegat, sed parendi obligatione adstruit se nunc non obstringi A neutrâ parte res euincitur, dubium est vtrimque jus. Quid hic aget Iudex? in quam sese partem dabit Conscientia, ne imprudenter judicet? Attendat sedulò à quâ parte stet possessio. Et si quidem lex possessionem obtinet, pro eâ sanè judicato, & voluntati parendi onus imponitor. A voluntate verò si libertatis stat possessio, ea illi sarta tecta asseritor, & nulla imponitor parendi necessitas.

Et vnde dignoscendum pro quo stet possessio in virtutum materiâ quæ non sit justitiæ.

Quòd si rursum inquiris, vnde discernendum hîc sit, cui faueat possessio, an legi an libertati; illud attendendum est, à quâ parte ea staret antequam dubitatio incidisset; atque hinc desumendum est judicium, vt rectè statuas, quid superueniente dubio decernendum sit. Quòd si igitur antequam de legis obligatione dubitabatur, ab eâ eras immunis; etiam ab eâ postquam dubitas immunis es; suaque quæ ante dubium possessionem libertatis obtinebat, etiam exorto dubio, asserenda est libertas voluntati. Sin verò antequam superueniisset dubium, certa erat legis obligantis auctoritas, ea etiam vim omnem obtinet, nequidquam pro libertate pugnante dubio; & necessitas obediendi quæ ante dubium fuit, manu tenenda est planè. Exemplis euentuum qui sæpe solent occurrere, commodè explicabitur asserta regula. 36.

Lex dubia non obligat.

Quòd si dubium sit an lex aliqua, aut à Deo aut ab Ecclesiâ, aut à Republicâ lata sit, nec quidquid inquiris, te à dubio potes expedire, lege non teneris. Hinc si dubia sit lex jejunii, ad jejunandum non obstringeris, sic vt propriè dicto seu formali peccato impliceris si legi non pareas. (Atque de talis peccati committendi periculo intelligenda sunt, quæ dicenda sunt deinceps) manifesta est hæc res. Stat enim pro voluntate possessio libertatis. Quod quidem facilè est assequi. Certum est enim, antequàm sese ingessisset menti dubitatio, à jejunandi obligatione immunem fuisse te. Nunc verò libertate suâ gaudenti, obtrudit se ex insperatò lex, & de possessione suâ libertatem vult detrudere, sibique reddere obnoxiam. Jus verò suum, manifestè cùm non probet lex, intra dubium stat tota controuersia. Rectè igitur sententiam feret Conscientia, asseretque nihil derogandum libertatis possessioni, neque legi esse obnoxiam: & sic 37.

Suar. to. 5. in 3. p. disp. 40. sect. 5. Sanch. l 2. de matr. disp. 41. n. 36. & l. 1. in præc. c. 10 n. 32.

sic, etiamsi reipsâ dies esset jejunio à lege designatus, non jejunabit tamen sine crimine & impunè.

Certus de lege, dubius an ei satisfecerit legi est obnoxius.

38. Ex aduerso autem, si certum sit de lege, dubium verò an ei satisfactum; aut etiam incertum sit an ob lapsum temporis vim suam non amiserit ac proinde an libertatem à lege voluntas recuperarit; illi satisfaciendum est omnino, etiamsi reipsâ aut satisfactum sit, aut obligandi vis expirarit. Annuæ Confessionis lex omnino certa est; dubitas hoc anno an confessus sis; aut etiam, an tempore Paschali jam elapso lex obliterata non sit: parendum est legi, & quidem quantocius: legis enim obligatio possessionem pristinam obtinet. Antequam enim dubitare inciperes, lege penitus tenebare obstrictus. Jam verò libertatem suam asserere cùm vult voluntas, nihil prorsus adfert nisi quod dubium est. Atqui ob argumenta dubia, non est è possessione suâ deturbanda lex; igitur & pro legis vetere jure, quod per dubium minimè eneruatur, Conscientia, si prudenter agit, sententiam debet ferre, suamque legis obligationi possessionem asserere.

Sarch. sup. n. 12. Castrop. de Consc. disp. 3. pun. 7. n. 7.

Inter diem Iouis & veneris qui dubitat an sit hora noctis duodecima, non tenetur abstinere carnibus.

39. Item nocte, à Veneris die diem Iouis derimente, verè dubitas an hora sit noctis duodecima. Quamdiu durat dubium, neque diligentiâ adhibitâ veritas rei potest elici, carnibus vesci dubitanti non est interdictum. Possessione enim libertatis suæ fruitur voluntas, neque lex ius suum probat nisi admodùm obscurè. Cum enim totâ quæ præcessit hactenus septimanâ, carnibus vesci fuerit liberum, manifestum est ante exortum dubium, suam voluntati stetisse à legis obligatione libertatem. Hæc autem eripi non potest ob dubium tantummodo legis ius. Itaque sententiam hoc modo concipere & enuntiare debet Conscientia: quamuis incertum sit an sit hora noctis duodecima, certò tamen judico, me carnibus licitè vesci, neque me ob dubium jus à libertatis meæ possessione legitimè deturbari.

Tenetur qui id dubitat nocte Sabbathum inter & Dominicam.

40. Contrà verò, si nocte Sabbathum inter & Dominicam mediâ, dubium de horâ noctis duodecimâ superuenerit; quamdiu durat dubium, carnibus omnino abstinendum est. Cùm enim certum sit, duobus qui dubium hoc præcesserunt diebus, legem quæ carnium abstinentiam indicit, suam sine dubio obtinuisse vim; sanè cùm exortum est dubium, lex possessionem obligandi iam obtinebat. Hæc autem cùm à dubio libertatis iure, euerti non

possit, dicenda est possessionem imperandi retinere, & à Conscientiâ veluti legitimo Iudice, in sui juris exercitio est conseruanda.

Dubius de anno ætatis vigesimo primo, non debet jeiunare in quadragesimâ.

41. Eandem ob caussam, dubius an vigesimum primum annum expleuerit, ieiunii quadragesimalis lege non tenetur; erat enim ante dubium exortum, certa à legis obligatione immunitas, quæ per dubium ius non tollitur. Et vice versâ, dubius an vigesimum quartum viuendo absoluerit, Sacerdotio initiari non potest; cum antequam dubium incidisset, possessionem Ecclesiastica lex habuerit, quâ sacer hic Ordo vetabatur suscipi à minorenni, cui vigesimus quartus annus non fuerit euolutus. Sic qui dubitat an Horas Canonicas recitare teneatur, non tenetur. Qui certus est se teneri, dubitat verò an persoluerit, lege de quâ dubitat obstringitur.

Dubius de vigesimo quarto expleto non potest Sacerdotium suscipere.

Dubius an votum emiserit, illo non tenetur.

42. Denique, vt absoluam; dubius an votum de aliquâ re præstandâ emiserit, voto non tenetur. Nam cùm ante dubium ab omni voti obligatione esset immunis, sua stat libertati possessio, nec dubiâ obligatione deperditur; ne tum quidem, cùm magis in eam partem propendet animus, quæ votum asserat nuncupatum, quàm quæ neget.

Dubius de intentione emissi voti, voto tenetur.

43. Quod si autem certus sis vota emisisse te, fidemque conceptis verbis Deo obligasse, de mente verò, aut vt vocant intentione, quæ omnis obligationis forma est & quasi anima, dubitare deinceps cœperis, ex magis peruulgatâ auctorum sententiâ, voto obstringeris. Non adeo, quòd pro obligatione voti stet possessio (eam enim in voto dubio, prout in lege dubiâ, voluntatis libertati competere, posset asseri) sed quòd pro voti veritate stet juris præsumptio, quam secundam esse regulam diximus, quâ in rebus dubiis certum Conscientiæ dictamen est efformandum. Vti enim in foro externo ea à Iudice prudenter adhibetur, ad decidenda jura & facta dubia, ita & à Conscientiâ, legitimo actionum humanarum Iudice, ad ea quæ dubia sunt componenda, rite prudenterque applicatur.

Probatur ex juris præsumptione.

44. Præsumptio autem est conjectura quædam aut opinio probabilis, quæ tamen vera & certa habeatur, donec probetur oppositum. Inter alias autem Præsumptiones juris, vna affertur à Glossâ. *Si constet aliquem actum interuenisse, potiùs est, vt validus, quàm vt irritus pronuntietur.* Itaque cùm certum ti-

l. in contrahenda π. de reg. juris.

bi

bi sit, vota conceptis à te verbis esse emissa, prudenter autem semper præsumatur, id quod actione externâ fit, legitimè fieri; præsumendum est proculdubio, te mentem intentionemúe habuisse obligandi te, nisi contrarium tibi constet planè & liquidè; id autem sic non constat, quamdiu dubitas. Idemque cùm de matrimonii initi, aut promissionis, aut fidei datæ, aut donationis mente aut intentione dubium incideris, pro pacti valore

45. ferendum est iudicium.

Si verò de ipsâ promisione aut donatione, an facta sit, aut de fide an data sit, dubitetur, iis dubitans non tenetur. Stat enim pro suâ libertate manifestâ iuris præsumptio: nempè quod *Factum in dubio non præsumatur sed demonstrari debeat.* An non etiam exinde consequitur, dubitantem an peccatum aliquod commiserit, sese à peccato posse absoluere, & statuere non commisisse?

Dubius de facto, facti obligatione non tenetur.

46. Verùm id discutiemus deinceps Tractatu 11.

Plurima adhuc sunt quæ de iuris præsumptionibus dici possent, & in dubiis quæstionibus, Conscientiæ ritè dirigendæ applicari. Verùm cùm de iis, libro penè toto quem de Conscientiâ conscripsêre, vti fusissimè ita & acutissimè, nuper disputarint Franciscus Bardi, & adhuc recentiùs Ludouicus de Scildere, nihilque reliquerint intactum quod tum interno, tum externo foro possit esse vsui, manum de tabutâ tollo, hæc quæ passim occurrentibus dubiis dirigendis poterunt deseruire, vtcumque delibasse, & alio modo demonstrasse contentus.

§. VI.

Dubitatio affectata numquam excusat à crimine, sed potiùs malam animi affectionem arguit.

Quid dicendum de eo qui varios consulere statuit, donec opinionem sibi fauentem inuenìat.

47. ILlud tamen in toto hoc rerum sententiarumque complexu, sedulò est adnimaduertendum, nihil quidquam Conscientiæ ritè efformandæ adminicula hæc prodesse, nisi verè dubia sint ea, de quibus pro Conscientiæ tribunali disceptatur; & quorum manifesta

Affectata ignorantia numquam excusat à crimine

festa veritas ignorantiâ inuincibili & prorsus inculpatâ, dubitantem latent. Plurimos etenim est inuenire, qui minimè dubia in jus vocant, veritatisque declinant lumen, distorti merâ malè agendi lubentiâ. Hos sanè neque juris præsumptio, neque possessio quidquam juuant, cùm malæ fidei sit; quandoquidem in animo habeant jam præstitutum, nullum, aut certè desultorium adhibere studium, vt veritatem rei assequantur; tenebrisque inuolui malunt, ne ea scire contingat, quæ potiùs amant ignorare.

ea oritur 1. ex merâ negligentiâ.

Et hi quidem in triplici sunt differentiâ. Primò enim, ex merâ nonnulli & supinâ negligentiâ ignorantes sunt, vt quibus de salute animæ, actionumque suarum, honestæ an sint an inhonestæ, admodùm parua est curatio. Et vt Seneca rectè de hoc hominum desidioso genere conqueritur, *Itur quâ itur, non quâ eundum est*: his, modò videantur homines frugi & honesti appetentes, neque palam criminis possint argui, perinde est quid demum sint. Agunt res suas, sed non vt agendæ sunt: & ne errorem dedoceantur, sacras conciones fugiunt; ne verò à suâmet Conscientiâ arguantur, dubitare malunt quàm scire, vt paratam habeant quam allatranti Conscientiæ offam objiciant, eamque sic compescant, ne admordeat. 48.

2. ex arrogantia.

Alii ex merâ etiam arrogantiâ ignorantes sunt, vtpotè quos pudeat alium à se consulere, suoque malint errare judicio, quàm sapere alieno. Nihil ipsis verum est, nisi quod videtur. Atque hæc hæreticis, iisque qui parùm modestè & sapiunt & de se sentiunt, familiarissima est ignorantia, quæ nonnisi ex peruicacitate judicii, nimiâque sui-ipsius adulatione trahit originem. 49.

3. ex nimio erga res caducas affectu.

Aliorum denique ignorantia, ex inordinato atque vltra iustum exorbitante erga res caducas affectu oritur. Horrent enimuerò indagare ea, quæ restituendi malè acquisita & peiùs possessa obligationem inducerent. Et quia toto animi nisu bonis incumbunt, nihil quod fallacem hanc miseramque possessionis tranquillitatem interturbare possit, ne ad aures quidem, nisi cum fastidio admittunt. At, an hosce ignorantiâ inculpatâ & inuincibili laborare quis dixerit, quam ipsum ignorandi studium, manifestè arguit affectari? Profectò rei tenentur criminis, quod sese velle committere, tam peruersâ fide dubitando profitentur. 50.

Sed

51. Sed quid de iis statuendum est, qui, si aliqua menti inciderit dubitatio, varios quidem consulunt tum Theologos tum iuris peritos, eo tamen consilio vt non antè destituri sint, quàm donec in aliquem incurrerint, qui grata nuntiet, & ea quæ prorsus fa-ueant dubitanti? Nauarrus certè & Adrianus illicitè id plane fieri contendunt. Neque verò dubitandum id est, si eâ mente deliberatio tota instituitur, vt quamcumque demum opinionem amplexurus sit consulens, modò sibi faueat; nec quidquam curet, probabiline nixa sit fundamento an improbabili, aut etiam falso. Nimis enim id est euidens, fide peruersâ hîc agi: & de simili consultatione iam laudatos auctores agere, mihi fit credibile. Verùm si tota per varias domos, opinionesque decursatio, eo animo instituitur, vt sibi fauens quidem, sed probabilis occurrat sententia; illudque sibi præscriptum habeat, non alteri quàm quæ verè probabilis sit acquiescere, non video cur vitio vertenda sit tali studio instituta consultatio. Approbant eam sanè vterque Sanchez, Bresserus, Baldellus, Bardus, aliique Theologi præstantissimi. Et quidem ratio quam afferunt est manifesta. Prout enim vnusquisque ius habet, vt quærat, protegatque res suas, libertatemque sibi sartam seruet; ita & ius habere dicendus est, vt eos quærat, qui in iustâ sui defensione manum præbeant, & iustè patrocinentur. Patrocinium autem quod ex probabili opinione petitur, iustum cùm sit semper, certè malæ fidei condemnandus non est is, cui non aliud quærere est constitutum.

Licitum est tamdiu varios consulere, donec inueniatur sententia sibi fauens, sed probabilis.

Nauar. in sum. c. 17. n. 83. Adrian. in 4. de rest. qu. de præsc. dub. vlt. Sanch. l. 1. in præc. c. 9. n. 24. Io. Sanch. in sel. disp. 44. n. 54. Bress. de Consc. l. 3. c. 6. n. 28. Baldel. de Con. disp. 12. n. 2. Bard. de Con. disp. 4. c. 19.

52. Istud tamen dissimulandum non est, periculosæ plenum opus esse aleæ. Imprimis enim verendum est, ne nimio & effrænato res tuas conseruandi, aut alienas adipiscendi abreptus desiderio, rem prout est, consultori non proponas; circumstantias omnes non exhibeas; rationes quæ pro te stant, vltra verum exaggeres, reticeas verò quæ causæ tuæ officiant. Hoc autem si sic agitur, quid quæso nisi vanum, Conscientiæ tam malâ fide agenti, à consultorum responsis expectas adminiculum?

Illicitum verò, si casum non bonâ fide exponas.

53. Deinde quam quæso affectatæ ignorantiæ excusationem potes prætexere, si homines consilii causâ adeas, aut illiteratos & hebetes, aut quod longè deterius est, improbos & ad fraudem factos? venales, inquam, animas, quorum vita est pecunias emungere, & quorum Conscientiam in tuâ fers crumenâ? An quidquam bonæ rei ab eiusmodi hominum quisquiliis, ratione bonâ

Pessimè fide agunt qui sponte improbos consulunt.

& sententias sibi facientes auro venantur.

potest expectari ? Vt quid igitur eos consulis, nisi quòd ames decipi ? An verò id etiam negabis, si aurum offers, si beneficia promittis, si loculorum strepitu sententiæ expectatæ præludis, eamque ex reconditioribus scriniis auri nidore delitescentem elicis ? Hoccinè est veritatem inquirere an fugare ? Veritas ore petitur, & manu quam aurum prægrauat, fugatur. Consilium exquiritur, & quod dandum est, in crumenâ cuditur & fabricatur. Ostenditur quòd consultori placeat, vt quæ placituta sint referantur. Ludicra censentur hæc, at penè quotidiana sunt cauillatorum quorumdam artificia, quibus volupe est alienæ paci negotium facessere. Hinc nescio quos iuris apices tituloſque sedulò venantur, vt aut debita iusta denegent, aut solutionem differant, aut etiam pacatæ possessioni alienæ insidientur; tituliſq; tam inanibus à iurisconsultorum, quorum sententias nundinantur, opinionibus, stolidum sanè sibi postulant adminiculum. Hoc autē si consequantur, tum verò litem intentant, actionem instituunt, innocentium res domoſque euertunt; & iustitiæ consequendæ prætextu, falsis denuntiationibus, actis, & testimoniis, iudicum perstrepunt subsellia.

Tales execrabiles sunt Deo;

At si ludicra hæc videntur, & artis esse dixeris, sententiis ita extortis sibi ablandiri, & illudere; audiant sanè quam grauibus acerbisque verbis, Conscientiæ suæ illusores, & alienæ aureos præstigiatores Deus ipse, per Prophetam Isaiam insectetur. *Populus*, inquit, *ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, Nolite videre; & aspicientibus, Nolite nobis aspicere ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores: auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostrâ sanctus Israël.* Non poterat sanè mens & peruersitas sic consulentium, luculentiùs describi, & clariùs exprimi. Verùm audi nunc loquentem, & sensum animi sui proferentem Deum. *Propterea hæc dicit Sanctus Israël. Pro eò quòd reprobastis verbum hoc, & speraſtis in calumniâ, & tumultu, & innixi estis super eo: propterea erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens subitò; dum non speratur, veniet contritio eius, & comminuetur sicut conteritur lagena figuli, contritione perualidâ; & non inuenietur de fragmentis eius testa in quâ portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fonte.* 54. Isai. 30. v. 9. & seq.

& impiâ etiam sapissimè castigantur.

Fit enim sæpissimè, pœnas affectatæ ignorantiæ exigente Deo, vt qui talia sibi consilia darî postulant, quibus alieno iuri insidientur 55.

dientur, aut sua propugnent malè, incidant non tam in causſidicos aut juris-peritos, quàm in cauillatores, & rabulas, quibus, cùm in turbato mari luculentiſſima ſit piſcatio, nihil etiam ita in votis eſt, quam cauſas agere quantumuis peſſimas, & in cauſis alienis, ſuam rem. Hinc cum vident litium ſemina anxiè exquiri, clientiſque futuri crumenam auro turgere cùm perſentiſcunt; ſi vel minima ſeſe oſtentat quantumcumque caduci iuris ſpecies aut rima, illicò exclamant actam eſſe rem, nihil in toto iuris corpore eſſe liquidiùs, cauſæque iam centies Senatus-conſulto præiudicatum eſſe. Tali fundamento lis ſuperſtruitur; erigitur ingens moles, magnis ſanè impendiis; creſcunt chartarum volumina, creſcunt curæ; diminuitur interim æs domeſticum, totumque per ruinas in conſultoris domum confluit. Denique poſt multa, corruit tota res iudicis ſententiâ, & ſuo inuoluitur miſer lapſu. Comminutæ ſunt opes malè impenſæ, æs contractum eſt quod non niſi hæreditate benè pingui diſtractâ diſſoluitur. ſic omnia abeunt in ruinas, *& non inuenietur de fragmentis eius teſta in quâ portetur igniculus*, ex alieno petitus foco, *aut hauriatur parum aquæ de fonte*, quâ miſer extinguat malam ſitim. Juſtum profectò iudicium Dei, vt qui per ignorantiam affectatam, & dubia jura ſtudio conquiſita, inſidiabatur alieno, ſuis excidat; & ab iiſdem ſpolietur harpiis, quarum vngues & roſtra, in luctus & miſerias obarmauerat alienas.

56. Iſtud tantùm dolendum eſt, dubia iura malâ fide cùm mouentur, in actoris ſolius caput impenſas omnes non deuolui. Certum eſt enim, vtcumque ius ſuum poſſeſſor bonæ fidei tueatur, & verò etiam iudicis ſententiâ obtineat, multis tamen eum & curis & impenſis implicari, quas numquàm non graue eſt ferre, & expungere. Ac proinde non video ego, quo pacto dubia prorſus jura, & quæ ſaltem probabili fundamento nixa non ſunt, tutâ Conſcientiâ quis poſſit actione apud iudicem inſtitutâ exigere; & tanto ære, quod proculdubio in cauſidicos, aliaque juris adminicula vtrimq; eſt effundendum, certo damno eum afficere, qui certâ gaudet rei ſuæ poſſeſſione, & dubio tantùm iure poteſt impeti. Ignorantiam hîc obtendere maligni eſt animi, & quæ nonniſi maleuolis approbetur, Deus interim non irridetur, *qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*, juſtus Dominus, juſtus judex. *& ſanctus in omnibus operibus ſuis.*

Neſus ex dubio iure certam litē poſſeſſori bonæ fidei intentare.

1. Cor. 4. v. 5. Pſal. 144. v. 13.

TRACTATVS VII.

DE CONSCIENTIA SCRVPVLOSA.

Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritûs & tempestate. *Psal.54.v.9.*

Quid sit scrupulus, quæ eius causæ, & vnde dignoscendum sit an aliquis sit scrupulosus.

PROOEMIVM.

NVlla sese, morales inter, offert materia, quam animo magis soluto licitum sit tractare, quàm ea quæ concernit scrupulos. Neque adeò vlli sunt, quos etiam palàm totâ pro concione, sine minori offensæ periculo, liceat impetere, reprehendere, vellicare quàm eos qui vulgò & sunt, & nominantur scrupulosi. Istud enim fascinationis secum fert hîc animi morbus, vt ægrum non tantùm afficiat sed & dementet; sic vt nemo se eo contactum credat; nemo, inquam, sibi videatur scrupulosus, quantumcumque præ scrupulis, animo totus diffluat. Et quod magis est admirandum, à nemine credunt intemperiem suam obseruari, quantumuis ob actiones exorbitantes & ferè fanaticas, totâ vrbe sint deridiculi. Liberè itaque & impunè impetuntur scrupulosi, nemo enim se credit peti. Verùm & ob eandem causam, vereor vt operæ pretium sit, de scrupulis verba facere. Cùm enim nemo sit qui sese scrupulis agi, & non ratione optimâ se res suas agere sibi persuadeat, quisque quæ dicenda sunt, à seipso procul amouebit, alienoque imponet capiti. Quod quidem fieri, facilè est conficere. Ipse enim tu, hæc qui jam legis, aut dicentem audis, aliquem mente designas, cui oppidò benè, credis dicenda conducere; neque vllus ferè totâ in concione est, qui non aliquem, quem animo concipit, dicendis optaret interesse.

Vix vllus se putat scrupulosũ.

esse. Et quidem illis id præsertim incidit, quos morbus hic maximè labefactat. Sic nemo videtur sibi scrupulosus, aliisque gaudet medicinam adhiberi, quâ cùm maximè indiget, in eâ tamen aliis applicandâ est affatim liberalis. Frustrà igitur laboraturum me timeo; cùm primum medicinæ huic morbo præstandæ fundamentum sit ægrum se esse agnoscere; neque si curari vult, scrupulos dissimulare. Itaque vt materiam hanc ordine exponamus, saltem vt animarum curatoribus ad manum sint remedia, quę importuno sanè morbo possint ritè applicare, id nunc agemus quod Medicis est solenne. Primùm inquiremus quid sint scrupuli: deinde quæ tam molesti mali causa sit & scaturigo; tertiò denique quæ sit huius morbi crisis, aut quæ signa sint, ex quibus, quis dicendus sit scrupulosus, euidenter queat cognosci. Hisce peractis, ad morbi penitùs cogniti medicinam, facilis erit delapsus.

§. I.

Exponitur quid sit scrupulus, & in quibus animi motibus propriè consistat.

1. PRæter motus tumultusque animi, quos dubia illi ingesta solent excitare, quibusque detinetur mens & quasi suspenditur, sic vt ad judicium ferendum in neutram partem possit inclinari; alia supereſt componenda difficultas & quasi seditio, quæ ex scrupulorum importunis vocibus ducit exordium, totumque perturbationibus implet Conscientiæ senatum. Non quòd in senatum ipsum scrupuli penetrent, aut sententiæ de rebus ferendæ sese immisceant: verùm vti plebis promiscuæ ante prætorium tumultuantis insanæ voces. Senatorum nonnumquam animos ita commouent, vt de constantiâ deiecti, in plebis inepta exigentis, & non ratione sed tumultu agentis omnia, non rarò sese vota inclinent, maiorisque mali metu sententiam proferre non audeant; sic sane fit sæpissimè, vt tantus ad Conscientiæ subsellia, à scrupulis per vim se ingerentibus excitetur motus, vt licèt nulla sese offerat tumultus ratio, tamen perculsa stet Conscientia; quinimò

A scrupulis maxima oritur Conscientiæ quieti turbatio.

in seditiosorum partem attonita propendeat, & sententiam pro justo & æquo pronuntiare perhorrescat.

Comparatio libræ omnis Conscientiæ Variatio expenditur.

Vt autem timida illa, quæ ex scrupulis oritur, mentis judiciique inclinatio rectè percipiatur, ponite vobis ob oculos trutinam aëri libero expositam, cuius lances nullo vtrimque pondere prægrauentur. Videbitis illico neutram alteri præponderare, libræque examen, quod scapi medium occupat, ad perpendiculum horisontis plano insistere, nullo æquilibrii præiudicio. Momentum verò aliquod aut pondus, quamuis exiguum, alterutri lanci si adieceris; confestim examen seu acus libræ insistens, in eam partem se inclinat, vnde pondus trahit. Si denique vtrimque pondera fere æquentur, reciprocis motibus in vtramque partem examen ferri videas; idque, donec prægrauante tandem vnius lancis pondere, examen quoque ad eam penitus inclinetur, & verticis sui modico inflexu annuat, quasi si sententiam pronuntiet, & ab illâ parte judicet æquilibrii stare victoriam. Verùm, id etiam percipies non rarò contingere, vt cùm lances vacuæ neque vllo hinc aut hinc graues fuerint pondere, minimâ tamen sese aurâ ingerente, tota æquilibrii turbetur quies, rursum prorsum abeat examen libræ, & in hanc modò, modò in illam alternis lapsibus moueatur partem, non secùs ac si veris lancique impositis ponderum momentis tota agitaretur trutinæ machina; cùm tamen non nisi exigua aura sit, quæ extrinsecùs fortè allapsa lancem lambit; nulloque adiecto antisacomoti pondere aut momento, totam nihilominùs acus siue examinis ad rectos angulos horizonti insistentis, tranquillitatem euertit aura inanis, ventus merus. En omnem Conscientiæ motum & variationem, rudi schemate expressam non incommodè. 2.

Applicatur comparatio motibus diuersis Conscientiæ.

Quod in librâ est examen aut index, id in mente est Conscientia. Ab eius indicio & judicio stat actionum, bonæne sint an verò malæ, omnis legitima discretio. Quòd si in vnam sese tantùm partem dant rationum momenta; in eam quoque, sine vacillatione vllâ sese fert judicium, statuitque illico propositam actionem licitè fieri aut illicitè. Atque hæc mentis in vnam partem omnimoda, æquabilisque inclinatio, dicitur *Conscientia certa.* Quod si vtrimque rationes alicuius sint momenti, tam quæ rem licitam esse comprobant, quàm quæ illicitam; tum verò nutat aliquantulùm hinc atque hinc judicium; & tam diu inter 3.

vtrum-

vtrumque hæret mens, donec voluntatis pondere accedente, prudenter tamen, causla decidatur. Et hi motus sunt *Conscientiæ probabilis seu opinatiuæ.* Tandem si nullæ prorsus rationes vtrimque sint, aut momenti tam exigui vt nullum planè pondus afferant; aut certè si aliquod ferant, contrariæ tamen partis antisacomate mutuam elidant auctoritatem, & vim, sic vt nihil in vtramuis partem rectè possit statui, Conscientia sic agitata & suspensa, vocatur *dubia.*

Præsertim scrupulosa.

4. Hisce ritè perceptis, illud jam, vt ad rem veniam, animaduertendum est non indiligenter, trutinam non eo quod fert pondere moueri semper; verùm etiam aut vento, aut etiam digito impacto agitari, & in varios cieri motus. Conscientiam inquam, video non rationum momentis, sed inanibus sæpe auris, falsis omnino rationibus aut verisimilitudinem aliquam præ se ferentibus ita agitari, vt quamuis earum falsitas sit perspecta, tamen judicium in suas partes videantur trahere; sic vt sententiam pro actionis malitiâ (quam tamen licitam esse agnoscit) videatur ferre Conscientia; & voluntas nihilominus actioni sic condemnatæ sponte suâ consentire. Cùm autem tam perperàm sese egisse suspicatur animus, cæteroquin recti honestique admodum appetens, tum verò tempestas oppidò maxima menti oboritur; timet, horret, tremit, constringitur ei cor, animis destituitur; atque non secus angitur, quàm si de salutis negotio, esset omnino conclamatum. Ventus est exiguus qui totam ciet tempestatem: molestus tamen est admodum & plenus periculi. Eô enim si quis seriò corripitur, in omnem illicò partem agitur inops consilii, cùm nusquàm non in scelera, & quidem lethalia, sibi videatur impingere.

Miseræ scrupulorũ conditio in Dauide expressa.

5. Miserandam enimuerò Conscientiæ sic perturbatæ conditionem! quam quidem in se dum agnoscit, ingemiscit Dauid, totamque animæ suæ tempestatem dilucidè quidem, sed non sine planctu describit. En scrupulorum effecta. *Contristatus sum* inquit, *in exercitatione meâ, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.* Et ne scelerum à se commissorum Conscientiâ perturbatum autumes, *quoniam,* inquit *declinauerunt in me iniquitates, & in irâ molesti erant mihi,* inimici nimirum dœmones, scrupulorum, vt mox dicam, egregii incentores. Et tamen cùm mihi, inquit, non essem culpæ conscius,

Psal 54. v. 2. & seq.

scius, *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me*, cumque mortis mortalisue criminis suspicionem ipsam formidarem, *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Ita enim fieri assolet, vt scrupulorum nubibus excitatis, ita mens tandem inuoluatur, vt nulla ei veritatis lux affulgeat. Quid igitur acturus es Dauid? inops inquit sum consilii, *Et dixi quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Ain verò tu requiesces? at vbi demum gentium quietem inuenies, si turbarum omnium originem tecum trahis? *Ecce* inquit *elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* At verò solùs cum es, tecum tamen es; tuis interes phantasmatis; iisque si locum dederis, actum est de totâ re. Sic est, reponit, mali sui conscius & interpres Dauid. Quid igitur auxilii expectabat in solitudine? certe inquit, *Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritûs & tempestate*, id est, à scrupulorum tumultibus, vti hæc verba interpretatur. D. Antoninus. En in viro sanctissimo, mentis perturbationem, luctuosamque Conscientiæ scrupulis agitatæ tempestatem.

v. 5. v. 6. v. 7. v. 8. v. 9. Antoninus par. 1. art. 3. c. 10. §. 9.

Scrupulosa Conscientia malè vocatur tenera.

6. Verùm, inquies, nonne optanda res est, teneram habere Conscientiam, & quæ ad minimam mali speciem confestim moueatur? Quis id dubitat? Nonne etiam planè optandum est, trutinam ad manum habere, tam delicati, vt ita dicam, sensus, id est, cuius hypomoclium, seu clauiculus cui insistit, tam affabrè sit perpolitus molisque tam exiguæ, vt ne momentum quidem vnicum, aut arenula, aut scrupus lanci possit iniici, quin illicò examen trepidet, atque index moueatur? Tales certè sunt aurifabrorum libræ exactissimæ, quæ sine dubio longè majoris sunt fidei, quàm maiores illæ crassioresque, quibus carbones, triticum, & cætera minoris pretii corpora expenduntur. His enim trutinis etiamsi scrupuli aliquot, aut etiam libræ quadrantes adiicias, non magnam admodum, & sæpe nullam indicis aut examinis variationem persentisces. Sic est, fateor; atque rudiores hæ trutinæ, pinguioris Conscientiæ conditionem exprimunt, non ineleganter. Verùm istud nunc repono. An non intempestiuè cautus dicendus esset aurifaber, qui quoties pro tabernæ foribus prostantem trutinam, ac sic aëri libero expositam agitari viderit, illicò festinus accurreret, sibique persuaderet aliquid auri lanci incidisse, quod momentum stateræ dederit,

8 rit, eamque examinis trepidationem excitarit? Abi sis vir minimè male, sed nimiùm credule. Non à motu desumenda est omnis stateræ variatæ ratio, sed à motûs caussâ: inanes lances minimus ventus rapit in diuersa. Longè autem aliud est imposito ferri pondere, aliud verò vim exteriùs illatam pati. Commouetur tunc quidem libra, sed nihil expendit, nihil trutinat, nullamque sententiam fert examen. Ita prorsus fit in scrupulis; commoueris quidem, & in vnam partem, vt videtur, sese dat Conscientia. Verùm inclinationes illæ, mentis judicia non sunt; motus tamen sunt, agitationes sunt fateor, sed vel à phantasmatis fanaticisque rerum repræsentationibus, vel à Dœmonis externo impulsu concitatæ. Judicare tibi videris in vnam partem quòd propendeas: sed vt dixi, inanes lances, & inania capita, facilè quâ se fert impetus, etiam sine ratione & pondere, nihilominus secum trahit. Animi autem inclinatio quam vis externa caussat, violentia dicenda est, non judicium.

Commouetur quidem sed nihil judicat.

Vt itaque dicam quid sit scrupulus, istud præmittendum est,
7. non loqui me de remorsibus, & quasi vellicationibus Conscientiæ, quas peccator commisso manifesto scelere non rarò persentiscit, quosque scrupulos vulgus vocat. Certè scrupuli non sunt hæc tormina, sed vera luculentaque animi judicia, peruersitatem suam condemnantis, & sibimetipsi exprobrantis scelus. Dico itaque, prout scrupuli (vnde deriuata est metaphora) lapilli quidem sunt exigui, qui sese calceo fortè ingerentes, pedem non leuiter afficiunt; incessum quinimò impediunt, sic vt & claudicationem aliquam, corporisque in vnam partem inclinationem, molestiâ suâ pruritique importuno inducant: ita & mentis scrupulus vti rectè definit Vasquez, proprie est falsa quædam futilisue ratio, quæ phantasiæ, aut etiam primæ mentis operationi, quam Philosophi apprehensionem vocant, sese insinuat; ex quâ suboritur grauis admodùm suspicio ingentis sceleris, vbi aut nullum est, aut admodum exiguum. Dum verò apprehensâ tenaciter futili hâc ratione aut scrupulo, (sicut antè de bilance quæ vento impacto commouetur, & de viatore claudicante dicebamus) Conscientia vacillare, & quasi claudicare incipit; molestias sustinet animus impatibiles; & tandem temerario sanè judicii inflexu, scelus maximum, vbi nullum est, esse suspicatur.

Quid proprie sit scrupulus.

Vasquez 1.2.disp. 67.c.2. n.8.

Conciliantur duæ auctorum sententiæ.

Atque hoc modo conciliari possunt duæ grauissimorum auctorum, non tamen in admodum diuersa abeuntium, sententiæ. Quidam enim naturam scrupuli, in ipsâ rationis falsæ apprehensione volunt consistere. Alii autem, non rationem menti sese ingerentem, sed vacillationem ipsam inclinationemque judicii, quâ sic secum agit suspicax mali mens: *Hoc quod nunc ago posset esse graue crimen, posset esse sacrilegium, posset esse odium Dei*, hanc, inquam, sententiæ propensionem, inchoataque judicia, scrupulos vocant. Si enim planè iudicat, tum non scrupulosâ Conscientiâ in re falsâ, sed prorsus erroneâ laborare dicendus est. Utrumque, inquam, conciliari potest percommodè, si rationes falsas, scrupulorum initia dixeris, quæ tum demùm perfecti sint scrupuli, dum mentem magnopere conturbant. Atque hanc video esse S. P. Nostri Ignatii sententiam exercitatissimi in ascæticis rebus viri, & verò scrupulorum acrimoniam experti non perfunctoriè. Mihi autem perinde est, an vt scrupuli naturam definias, falsa ratio ponenda sit in recto vt quidem disputant, molestia autem animi in obliquo; an verò contrà. Tantundem enim erit mali in scrupulo, siue scrupulus dicatur esse *Ratio falsa excitans iudicii perturbationem*; siue ex aliorum mente scrupulum definias esse, *Perturbationem judicii, falsis rationibus excitatam.* Istud sanè certum est, quod prout trutinæ lanx numquam, ne minimo quidem digito percutitur, quin etiam examinis seu indicis fiat in eam partem inclinatio: ita & talium hominum non admodum sana capita ne minimo quidem percelluntur ictu, quin illico inclinetur judicium, & in vnam partem planè propendeat. 8.

S. Ignat. in lib. exerc. de scrupulis Not. 2.

Commiseratione digni sunt scrupulosi.

An ergo, inquies, scrupuli, maleferiati capitis sunt symptomata? Id mox videro; cursim nunc dico, non esse saltem affectiones & signa cerebri admodùm temperati. Phantasiæ non satis sanæ plerumque sunt vitia & indicia. Interim commiseratione prorsus digna est ægritudo. Istud enim mihi persuadeo, homini probo & virtutis amanti (stimulos peruersæ, crimenque suum agnoscentis Conscientiæ si excipias) nihil in hâc vitâ accidere posse molestius, quàm scrupulosæ mentis exagitationes: quæ plerumque, dum primis patuit aditus, ingentem in omni demùm materiâ scrupulorum farraginem secum trahunt. Sanè commiseratione sunt digniſſimi, quòd plerumque 9.

rumque innocentissimæ vitæ sint qui tam molesto morbo cruciantur; neque aliunde quidquam peccent, nisi quòd de salute animæ, honestique ratione in omnibus obseruandâ, haud parùm plus quàm oportet aut exigitur, imprudenter sint solliciti. Neque tamen ægritudinem hanc, animi, inquam, ad virtutem aspirantis tantam defatigationem obuenire, Deo permittente & amicorum suorum molestias dissimulante, quisquā miretur. Habet sanè facti sui rationes Deus, quas non difficile admodum erit conjicere. Sic & familiarium sibi, sanctissimorumque hominum corpora, patitur cum grauissimis morbis, doloribusque conflictari; sic & à Dæmonibus nonnumquam penitus corripi, vt in energumenis est manifestum. Quid ergo mirandum est, vbi totum corpus possideri à malo Dæmone patitur Deus, etiam eum quandoque permittere, vt pars aliqua cerebri, vti in scrupulosis fit sæpissimè, à Diabolo infestetur? Hoccine fit in scrupulis inquies? fit profectò, vt mox dicam.

A Deo permittuntur optimi eius amici scrupulis diuexari.

Videamus itaque an tanto malo parabilis non sit medicina. Et vt ordine bono procedat res, istud indagandum est primò, quæ morbi tam importuni causa sit, & quæ tandem sint criteria aut signa, per quæ, an quis eo correptus sit, liquidò possit discerni.

§. II.

Proponuntur causæ naturales & internæ scrupulorum, eorumque ortus & varietas.

10. DVo sunt capita, ad quæ omnis scrupulorum scaturigo facilè reducitur. Aliquando enim extrinsecùs allabuntur, aut etiam imprimuntur vi: aliquando autem ex ipsomet homine pullulant, & scaturiunt quasi ex fonte interno & domestico. De hôc, primo loco agendum est. Istud enim apud Theologos, & verò etiam experientiâ passim constat, ex ipsâ corporis, cerebri, sanguinisque temperie scrupulos enasci sæpissimè; aut si exinde nati non fuerint, faciliùs tamen arripi, altioresque radices agere, prout varia fuerit humorum temperies, cerebrique constitutio.

Scrupuli oriuntur primò ex humore melancholicò,

Et primò quidem satis constat, melancholicum humorem scrupulis generandis fundum præbere fertilissimum, iisque fouendis materiam aptissimam subministrare. Nam vt passim melancholici ingenio acuti sunt, genio suspicaces, & rerum quas apprehenderint imprimis tenaces: hinc in omnem mali suspicionem sunt projecti; rationes etiam minimas volunt perscrutari, & non facilè patiuntur sibi ab aliis satisfieri; neque verò etiam ratiocinationibus ipsimet suis acquiescunt. Cùm autem tenacissimæ præterea sint phantasiæ, quidquid eâ apprehenderint, quasi manu constrictâ retinent, nec id aut elabi, aut vi rationibusque extorqueri sibi facilè patiuntur. 11.

sui sæpè superbia immiscetur.

Pœnitet me ferè hæc protulisse. Timeo enim ne quidam fortasse, ingenioſos esse homines qui scrupulis agitantur dum intellexerint, prout non parum arrogantiæ scrupulis nonnumquam immiscetur, scrupulosos sese confestim sint jactaturi, vt ingenioſi & acuti hominis venentur famam. Prout cuidam contigit; qui cùm hemicranii dolores, ingenii præacuti signum esse euidens, inaudisset, proximo mox die intolerandam sese hemicranii pati intemperiem, apud obuium quemque magno gemitu deplorabat. Neque tamen rogatus quâ parte capitis dolor ingraueſceret, satis cautè poterat discernere, quam plagam capitis hemicranii dolor soleat occupare, anticam an posticam, an verò quæ tempora circumstant dextram aut sinistram. Risum omnibus mouit affectata ingenii fama, & intempestiuæ arrogantiæ prætensus capitis inanis dolor. Ita credo, imò scio nonnumquàm fieri, vt nonnulli nescio quam ingenii captantes famam, opinionibus suis plus æquo mordicus adhæreant, sanè consulentium rationibus intercedant. Importunum profectò hominum genus, nec facilè quod sit curatu. Scrupulis enim gaudent insistere, modò sibi aliisque videantur ingenioſi & acuti. 12.

Melancholici pertinaces & scrupulorum admodum tenaces.

Verùm si rectè attenderint, non id dixi, scrupulis ideò tantùm melancholicos præ aliis patêre, quòd perspicaci sint ingenio; nam & sanguineis sua non deest perspicacitas; sed quòd ingenioſi cum sint, etiam sint suspicaces & judicii tenaces admodum. Nam cùm melancholicus humor, terreus planè sit & viscosus; hinc fit vt phantasmata, quæ in cerebri ventriculo, quasi rerum sigilla, huic humori imprimuntur, illi insculpantur viuaciùs, tenaciùs inhæreant, 13.

neque

neque facilè obliterentur aut diffluant. Hæc verò phantasmata cùm pertinaciter imaginatiuæ potentiæ obversentur, hinc fit vt si scrupulos, falsarumúe rationum imagines melancholicus humor apprehenderit, iis etiam pertinaciter inhæreat hominis melancholici turbata mens; nec à semel concepto phantasmate sese patitur amoueri.

14. Atque hęc demum ratio est, cur melancholicum istud acutumque hominum genus, non tam vario scrupulorum genere, quàm aut vno aut altero ferè diuexetur. Vni enim phantasmati, & quidem ob viscositatem humoris cui impressum est, admodùm lento & pertinaci, cum inhæreat, illudque ferè semper ante oculos obcerret, non libet ad alia phantasmata mentem aduertere, vno hôc quod semper præsens est, plùs nimio occupatam. *Melăcholici fere circa rem vnam sunt scrupulosi.*

15. Istud tamen etiam fatendum est, longè grauiores tetrioresque esse melancholicorum scrupulos. Cùm enim humori atro & fuliginoso impressa sint rerum simulacra quæ phantasiæ dominantur, hinc etiam maiorem sui metum iniiciunt. Tetrioremque speciem sui dum ingerunt, omnia etiam suprà verum extollunt; & quæ metuenda minimè sunt, faciunt esse horrifica. Sic sanè si nullum nisi nigrum colorem Angelo depingendo admoueas, speciem inamænam plane & dœmoni non absimilem pinxeris, horrendamque imaginem exhibueris Angeli oppidò placidi & amœni. *& scrupulis vexantur tristioribus.*

16. Pluribus magisque diuersis, quamuis non tam pertinacibus scrupulis patet phlegmatica, pituitosa & aquea sanguinis in humano corpore temperies. Atque hæc est altera scrupulorum origo, aut potiùs ager scrupulis excipiendis iisque educandis perquàm commodus. Et ratio quidem in promptu est, eaque duplici ex capite. *Secundò scrupuli innascuntur humori phlegmatico.*

17. *Primò* enim istud satis constat, phlegmaticos aqueosque homines, naturæ frigidioris cùm sint, timori, & pusillanimitati plerumque magis esse obnoxios. Cùm enim sanguis torpidior est & fæculentior, non tam aptum aut cordi aut cerebro alimentum suppeditat, ex quo eliquentur puriores illi acutioresque spiritus, qui neruis vires, organis viuacitatem, suamque membris omnibus acrimoniam præstent; vnde tamen omnis existit & in agendo vis, & in aggrediendo audacia. Lenti verò cùm sunt spiritus, & porrò frigidi; constringitur cor, & ad primam mali speciem *Quia humor ille facit timidũ.*

ciem despondetur animis, totaque corporis symmetria, si non euertitur, saltem lenteſcit. Timidi sunt itaque phlegmatici naturæ ingenitâ temperie; & quia timidi, facilè timenda sibi fingunt, & minimâ etiam terrentur horridi specie. Araneam si conspiciunt, aut murem, aut felem luridiorem, illicò contremiscunt, non secùs acsi spectro infestarentur diabolico. Si nox ingruerit, ad minimum exhorrent feneſtræ strepitum, aut venti sibilum: ex inferis adesse genium suspicantur, ac denique iis commouentur seriò, quæ aliis cierent risum. In hos autem si incurrant scrupuli, aut peccatorum vmbratica simulacra, tum verò videas hæc ab iis, vtpotè timidis, facilius apprehendi, constringi etiam fortius, foueri pertinaciùs, totaque mente imò & corpore eos vehementiùs trepidare, quàm res obiecta aut ratio postulat.

Deinde quia humor ille ſpecies verasrerum, extollit, alterat, & euertit.

Secundò, istud etiam, præter timorem, vitii secum fert, is qui corpori prædominatur humor aqueus & plegmaticus; quod 18.
species rerum ad phantasiam allabentes, plurimùm alteret, in peius deflectat, supra verum extollat, & non rarò etiam penitùs euertat. Hinc res non apparent prout sunt, sed fœdiores & difformiores, prout eas humor tetrior ad phantasiam euntes infecerit. Id quidem intelligere est perfacile, si ad ea quæ oculis percipimus, mentem aduertimus. Solem aspice; & si nubes densior, species à Sole defluentes infecerit ac refregerit; tum & candorem amittet Sol illicò, & solitam quam in oculi retinâ occupabat magnitudinem. Hinc est quod in ortu & in occasu, cùm plurimæ horizontem oberrant fuligines, & longè quàm in meridie Sol maior appareat, & colore vltra quàm par est rubicundiori, colorem variant in nube infectæ species: magnitudinem superaddunt refractæ. Vtrumque tamen falsò, & mero nubis vitio. Non minùs familiare est hoc quod subnecto experimentum. Atrium plenum fumo sit, qui è lignis carioſis excitatur, aut vt experientiâ magis ad manum sit, ex sulfure. Videbis illicò circumstantium vultus pallido luridoque colore suffusos; quinimò, quod visu est tetrius, gracili & oblongâ figurâ fœdissimè extendi. Quod quidem longè fiet euidentiùs, cùm aspicientis oculi, acrimoniâ fumi, incipient intumescere & in lachrymas ire; tum enim circumstantium ora, spectra videbuntur & monstra, quantumcumque ea natiuus decor optimaque symmetria commenda-

mendabat. Vitiatæ sunt nimirum tinctæque sulfureo fumo rerum species; & aqueo qui oculos suffundit humore penitùs fractæ & alteratæ, tam enormem inducunt rebus, etiam speciosissimis, varietatem.

19. Simili ferè modo, in cerebri ventriculis alterantur species phantasmatum, & in alienam prorsus abeunt formam, quibus cerebrum pituitosum est, & phlegmaticis vaporibus plus nimio occupatum. Id quidem, quantumcumque vana dicantur, somnia nos clarè docent, & non ex vano. Confusiora & magis distorta, atque ideò magis horrifica sunt, quæ cùm somnus propè medium cursum obtinuit, phantasiæ occurrunt, quàm ea quæ sub auroram orchestram subeunt, partesque suas agere incipiunt, cùm somnus in deuexo est, & propè metas tenet. Tunc enim morâ longâ decocti ferè sunt & defæcati vapores, quos stomachus, cerebro alimentum daturus, per noctem submiserat; qui paucis ante horis, crassiores cùm essent & magis densi, in turbines agitati, totum cerebri inuoluebant atrium. Hos autem vapores & fulgines necessariò penetrare cùm debeant corporeæ rerum species, quæ ad phantasiam deuolutæ somnia instituunt; necessariò etiam, leuissimæ cùm sint, dum in hos vapores impingunt, distorquentur, trepidant, vacillant, abeunt, redeunt, vti manifestum fit in aquâ, quæ in gyros agitur, vultum suum intuenti. Quàm verò distorta, & quàm à se diuersa apparet species à turbato fonte repercussa? Sic sanè & in somniis fit, præsertim nocturnis. Matutina enim ob vaporum tenuitatem, & æquabilitatem partium, rebus quas exprimunt magis sunt conformia, ac proindè minùs terrifica. Nocturna verò, non res integras prout sunt sed modò hanc, modò aliam partem exprimunt. Et si homo in phantasiæ scenam est producendus, modò caput prodit, modò pedes, modò pectus, modò distortum os, modò oculi oblongi & desultorii, prout species vaporibus infringuntur; & sic non jam hominis, sed monstri figura & quidem horrifici repræsentatur; adeò tamen implexa, vt sanum de re visâ judicium ferre non possit.

Explicatur quomodò physicè id fiat.

Somnia quæ circa mediam noctem attingunt, horribiliora sunt plerumque quam matutina.

20. Patet igitur nunc liquidò, quid causæ sit cur phlegmatici, horribilibus rerum simulachris turbentur tam de facili. Vaporibus enim & quidem densis admodùm confertum cerebrum circumgestitant, quibus sinceræ rerum species alterantur. Jam verò cùm,

cùm, vt antè dixi, homines hi sint naturâ admodùm timidi, numquam timor illos corripit, quin vapores tetri cerebrum subeant, illud turbent, ac timoris causam, quæcumque ea demum fuerit, longè supra verum exaggerent.

Timidus & scrupulosus fingit sibi timores vbi nõ sunt.

Quid, quòd & timores sibi fingunt, vbi omnia tuta sunt? Hoc sanè timidò proprium est & scrupuloso. Sic quibus glis horrori est aut nigra felis, si fortè sub mensam aut secretiori in angulo panni nigri frustulum videant, aut exustæ chartæ futiles corrugatasque reliquias, illicò felem vident, aut glirem, præsertim si nox concubia, aut loci solitudo metum augeat. Tùm sanè, quod facetum est maximè, totam ex certis combustæ chartæ lineamentis sibi depingunt gliris speciem & figuram; isthic caput, isthic auriculas, isthic pedes, isthic si placet caudam benè longam sibi formant. Quinimò, vti metu, in timido agitantur, omnes, non tantùm corporis artus reliqui, sed & cerebri in quibus hæ species formantur ventriculi, ita & species ipsæ falsi gliris mouentur cum cerebro & assiliunt; idque tam clarè & viuaciter, vt glirem ipsum in angulo sibi visum esse, ambulare, & subsilire, juramento etiam deposito, ausi sint quidam ex hoc hominum genere affirmare, cùm tamen non esset quidquam nisi combusta charta. 21.

Exponitur modus sibi fingendi timores ex Aristotele.

Quid agàs hisce hominibus? timidorum hæc sunt figmenta, & vigilantium insomnia. Quod enim Poëta rectè de vnâ animi affectione dixit, *Nescis, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt*; non amori tantùm sed & Timori præclarè conuenit. Figmenta sibi obtrudit timidus, & in somniis sese decipit, etiam cùm vigilat. Perbellè rem hanc disputat & exponit Aristoteles, quam etiam eius verbis dilucidis, exponere erit operæ pretium non pœnitendum. 22. Virgil.

Quando, inquit, *jam in passionibus existimus, facilè decipimur circa sensus. Et qui est in passione timoris, etiam à modicâ similitudine videtur sibi hostes videre; & qui est in amore, videtur sibi videre dilectam. Et tantò facilius quisque decipitur, quantò in huiusmodi passionibus magis fuerit. Sicut & febricitantes interdum animalia vident in parietibus, à modicâ similitudine linearum compositarum. Et huiusmodi apparentiæ aliquando ita intenduntur, vt si quis vehementer non laborat, facilè aduertat quòd sint falsæ: si verò passio fit maior, omnino decipiatur, & ad illa etiam moueatur.* Ita Aristoteles. Non poterat festiuius exponi Aristot. l. de somn. c. 2.

hæc

hæc materia, neque scrupulosi timoris, omnia præter verum fingentis & exaggarentis natura, elegantiùs explicari. Timent omnia, etiam peccatorum simulacra; & sic sibi fingunt omnia quæ terrorem faciunt. Si prima tantùm sese obiiciant sceleris, vt sic dicam, linamenta; illicò sibi scelus effingunt & quidem terrificum, ac longè maximum. Omnia phantasmata & motus primi, deliberati ipsis consensus sunt; nusquam non occurrunt animo, infestus judex, & sceleribus tantis debita tormenta. Sic sibi infernum mente fabricant, & ex timore falsò, veros sibi & immodicos dolores faciunt. Atque hæc quidem omnia ex phlegmaticâ cerebri compactione ducunt exordium. Vaporibus enim distorquentur species, quas timor ipse sub ministrat, exagitat, atque ita peruertit, vt verum inter & falsum quid interſit, nequeant discernere; neque motus primos à deliberatis, neque desideria à peccatorum repræsentationibus, neque voluntatem denique ipsam à phantasmatis judicando queant separare.

23. Hinc fit *Primò*, vt in morbis, crescant anxietates & scrupuli. Augentur enim aut certè ægritudinis acrimoniâ mouentur vapores, & conglomerantur in vortices; & rursùs morbi præsentiâ acuitur ingenitus timor. *Secundò*, corporis compactionem si spectes, distortis hisce phantasmatis plurimùm obnoxiæ sunt fœminæ, atque adeò & scrupulis. Cùm enim tota ipsis cerebri corporisque temperies phlegmatica sit admodùm, quæque in pituitam prorsùs degeneret, facilè dum ad phantasiam rerum obiectarum simulacra penetrant, inficiuntur species vapore lurido, & distorquentur. Et rursùs quia timidæ, ipsas timoris causſas in immensum augent: tantosque sibi angores faciunt, vt non tantùm vera à falsis non discernant, sed ne quidem satis ipsis persæpè constet, an vigilent an verò somnient; id est, an res ipsas persentiscant, an deprauata fictaque ab intemperato cerebro rerum simulacra.

Ægri & fœminæ maximè patent scrupulis.

24. *Tertiò* tandem patet, cur phlegmaticorum scrupuli, varii plerumque sint, desultorii, quique per omnia facilè vagentur scelera, neque vni materiæ nisi pauco tempore, & per interualla pertinaciter adhæreant. Aqueis enim corpusculis impressa cùm sint quæ metum faciunt simulacra, facilè etiam diffluunt, præsertim alio subeunte ex alio. Et rursùs etiam quia naturâ sunt timidi, nulla prorsùs est materia, ex quâ sibi quæ horro-

Phlegmatici varijs in omni materiâ scrupulis sunt obnoxii.

tem incutiant, quantumuis fanaticum, non effingant. Atque hæc secunda est scrupulorum caussa, & quæ latissimè pervagatur.

Tertia causa interna scrupulorũ, peculiaris cerebri, aut totius, aut aliquâ in parte intemperies.

Tertia denique scrupulorum caussa, non tam ab humorum toto corpore diffusâ intemperie, quàm ab ipsius cerebri læsione particulari est petenda. Sicut experientiâ satis constat, aut morbo aut etiam vulneris violentiâ, nonnùmquam ita disturbari cerebrum, & eneruari, vt non satis sese, ad percipiendas quæ per sensus allabuntur res, queat explicare: vnde mens ipsa ita destituitur, vt nihil ratione bonâ statuat, aut diiudicet. Ita & attentione nimiâ, dum ad res sacras, diuinorumque contemplationem animus applicatur; aut etiam dum nimiâ abstinentiâ corpori humor, cerebro autem subtrahuntur spiritus; dissoluitur organi symmetria, neque sibi, judiciisque formandis satis sufficit eneruatus animus. Hinc phantasmatis aguntur omnia: & quidem malè cohærentibus, & in ridiculum consarcinatis modum. 25.

Hæc autem sæpè est à nimiâ attentione, aut abstinentiâ.

Multi ex his in vno tantum scrupuli genere insaniunt.

Rursùs id euenit sæpissimè, vt quibus sic ceritum est caput & nonnisi helleboro curabile, vno tantùm dementiæ laborent genere. Regem sese esse sibi fingit vnus, & nil nisi regiam spirat maiestatem, quod regis nescio cuius fanaticum simulacrum ad valuas imaginatricis cellulæ, pertinaci visco impressum, disertéque expressum adhæreat, totamque in se imaginatiuæ potentiæ trahat aciem. Hinc nil nisi regem spirat, nil nisi sceptra loquitur & coronas; nihil enim nisi quod regium est, imaginationi obiicitur. Et quia phantasmatis tantùm regitur dementis animus, hinc nihil nisi regem aut agit aut sonat. Non aliter in quibusdam agitur, quibus attentione nimiâ, aut studio, aut abstinentiâ contractum est aut læsum cerebri organum. Sæpè non nisi vno scrupuli genere laborant, sed acri admodùm & tenaci. Nonnullos quæ Fidei mysteria concernunt; alios quæ justitiam spectant; hos quæ Confessionem, illos quæ Communionis sanctitatem reuerentiamque debitam concernunt, vrunt acerrimè; ea pene semper obuoluuntur animo, stultissimisque irretiunt modis. Hîc hæret ipsis aqua & judicium; ad cætera tamen diiudicanda satis expediti. Quid dicam vt ab his me expediam, nec tamen malâ gratiâ? Sanè aut in vnâ capitis parte non satis sibi constare quod læsum est cerebrum, omninò di- 26.

Vnde hoc fiat exponitur.

cendum

cendum est: aut certè, dum varia timore concitante, per phantasiæ cellulas & cerebri ventriculos discurrerent peccatorum simulacra & phantasmata, vnum fortuito casu, validiùs in cerebri substantiam impegisse, & viscoso melancolicoque humori impactum inhæsisse, ibique cæteris phantasmatis diffugientibus fixisse sedem: isthic ab imaginatiuâ virtute semper conspici, indeque fieri, vt mens ad idem, quod sibi semper præsens est, peccati trepidet simulacrum; aut etiam ad alia, quæ tamen huic quod phantasiam primò læsit, sunt similia eiusdemque generis. Hinc fit vt qui semel in restitutione faciendâ aut factâ, à scrupulis ingentem passus est cerebri labem, eandem etiam passurus sit in omnibus quæ restitutionis materiam spectant. Accurrunt enim illicò species eiusdem genii & generis, cùm vnicum sibi simile phantasiæ dominari persentiscunt, totumque exinde ambiunt cerebri dominatum.

Qui vno scrupulo laborat, illico laborabit infinitis eiusdem speciei.

27. Atque hæ fere sunt, quæ, ex ipsâ corporis compactione & internâ cerebri compositione existunt scrupulorum causæ, aut si ita vis scrupulorum potiùs fomenta. Fateor quidem inter alias huius morbi causas, ignorantiam à Theologis quibusdam annumerari. Verùm qui ex inscitiâ oriuntur, propriè dicti non sunt scrupuli. Errores sunt, & scrupuli dicuntur, sed impropriè; nos autem de meris scrupulis nunc agimus. De erroribus enim Tractatu 3. actum est satis. Errores autem si fuerint quibus laboratur, facilè eos erit deponere, cum de rei veritate patientur sese modestè instrui. Id autem facilè patientur, si phantasmatis non agantur. His autem si inhæreant præfractè, etiam postquam errorem dedocti fuerint, tum verò fateor inscitiam & errorem, in scrupulos degenerasse; neque eos posthac ignorantiâ, sed veris scrupulis laborare.

Aliquando ignorantia degenerat in scrupulos.

§. III.

Proponuntur causæ externæ scrupulorum.

28. PRæter has quas exposui scrupulorum scaturigines naturæ insitas, fateor nonnullas esse extrinsecùs aduenientes causas, per quas aut seminantur scrupuli, aut si quæ fortè animo insper-

Causæ externæ scrupulorum.

sa sint semina, excitantur, incrementum accipiunt, ac denique quæ fuerant antè exigua, in immensam excrescunt molem.

Prima, commercium cum scrupulosis.

Ac prima quidem est, ipsum cum scrupulosis hominibus commercium. Etenim contagiosus admodum est hic morbus, nec attactu solum inficit, sed & solâ nonnumquàm præsentiâ malum affricat. Nec verò id miror. Cùm enim, vti dixi, scrupulosi genius pusillanimis sit & timidus, & subinde etiam arrogans suique tenax; ex vtrâque caussâ fit, vt rationes conquirat vndique, quibus scrupulos suffulciat, sibique persuadeat se sentire non imprudenter. Itaque cùm in hominem, aut etiam in librum incidit, sibi vt quidem arbitratur fauentem (quid autem non fauet scrupulosis, vt pertinaciam suam quasi manu teneant & defendant?) illicò quidquid dixerit, ambis, vt aiunt, brachiis amplectitur, neque jam scrupulis agi se judicat, sed ratione bonâ, vtpote quæ à viro sancto, aut optimâ semellâ fuerit confirmata; & sic fit morbus animi incurabilis. 29.

Timidus timidum facit.

Rursùs autem, cùm eum, cuius auctoritas apud ipsum tanti est vt sententiæ eius prorsus adhæreat, videt suspicionibus agitari, pauere ad omnia, nullique rei quasi certæ se committere; illico ipsi quoque mouetur phantasia, dubium suboritur, illudque metuit, ad quod alium viderit impallescere: nihil enim tantoperè meticuloso timorem facit, quam metus alienus. Ideo non absurdè fortissimus imperator Gedeon, Madianitis illaturus bellum, relaturusque victoriam Sacris litteris adeò decantatam, cùm non paucos videret vultu pallido, incessuque languido vix corpus trahere aut arma sustinere, illico edicto publico totis castris jussit proclamari, *Qui formidolosus est & timidus, reuertatur.* Quâ de caussâ? *ne pauescere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est.* Optimum sanè Imperatoris consilium. Abscindenda erat mali origo, ne contactu in omnes serperet. Serpit autem in meticulosos maximè; tum quia timenda esse illicò sibi persuadent, quæ aliis metum incutiunt; tum quia timori suo ab alienâ trepidatione petunt non tantùm exemplum, sed & patrocinium. Sic timidus timidum fouet, & suo metu auget alienum. Et nauigationum inexpertis, si quando tempestas etiam exigua ingruerit, maior oboritur trepidatio, à vicini rem etiam inexperti pallido vultu, intempestiuisque vocibus, quàm ab ipsâ ventorum tempestate, quæ 30. Iudic. 7. v. 3.

sæpe

sæpè nulla est, nisi in animo trepidantis præter rem.

31. Secunda scrupulorum externa caussa & penè præcipua, aut potiùs faber & simul etiam instrumentum, est Diabolus. Non quidem quòd existimem, malignus vt sit & peruersæ mentis, tantâ eum valere eloquentiâ, vt suo marte falsisque rationibus quibus innituntur scrupuli, quidquam homini sano, nec rerum ignaro possit persuadere. Istud enim quâ quæso mihi Dæmon oratione, aut quibus verborum lenociniis imponet, ingens me crimen commisisse, quòd bina stramina in crucis figuram decussata, dum plateas obambulo, pedibus fortè conculcarim? aut quod Veneris die, panem sciderim cultro, quô pridie carnes dissecui? certè id mihi ne ipsamet quidem eloquentia fecerit esse credibile. Et tamen istius furfuris passim sunt scrupuli. *Secunda scrupulorum caussa est diabolus.*

32. Hoc tamen fateor, egregium agyrtam esse; circumspectare omnia, totamque corporis temperiem dum assequitur (quod quidem ipsi est facile) tum verò vt in rem suam sanguinem moueat, humores alteret, variaque quæ in cerebri ventriculis delitescunt simulacra phantasiæ repræsentet, artificem esse non vulgarem. Rursùs vt simulacrorum variorum species inter se combinet, & quasi consuat, veteramentarius est callidissimus, atque in paucis excellens. Itaque si quem viderit naturâ timidum, aut melancholicis cogitationibus implexum; tum verò partes suas agit, gnauiter sanè & industriè. Cùm enim satis nouerit, peccatorum objectâ specie vel minimâ, hominem solere perturbari, illico grauissimi sceleris, quasi jam jam committendi aut etiam commissi, imaginem phantasiæ repræsentat; blasphemiæ puta, desperationis aut luxuriæ: eamque humoribus tetris obuolutam, circa imaginatiuæ potentiæ valuas, vi detinet; sic vt aliud nihil, præter hanc quæ semper oculis internis obuersatur sceleris speciem, animus sic præpeditus possit meminisse. Cùm verò naturæ sanguinisq; constitutione timidus sit ille, cuius Dæmon animum pertentat; facilè ad mali imaginem exhorrescit. Quod cùm sceleſtus veterator persentiscit, tum omni arte phantasma istud in tetriorem figuram effingit, adjectis aut vaporibus quibus phantasma fœdiùs refringatur; aut etiam aliis peccatorum rerumque simulacris, quibus in monstrum abit figura, non exiguos tamen timores paritura. Puerorum dicas este terriculamenta, qui nescio quas ferarum aut *Scrupulos excitat admouendo phantasmata, naturæ cuiusque accommoda.* *Ea imphantasiâ detinet & facit tetriora.*

Dæmonum figuras ori opponunt, vt pueris sibi coæuis metum faciant. Sed quod pueris lusus est, id Diabolo ad terrendos animos est artificium. Vtrumque mera fictio est, mera ludibria: non fictos tamen exhibitura sunt timores. Adeo enim ludificationibus eiusmodi planè ridiculis, puerilibusque terriculamentis, lassatur tandem animus; vt ad nullam prorsus actionem, neque quæ Deum, neque quæ rem priuatam, aut publicam pertinet, satis se queat explicare. Hinc tandem manus dat degener mens, neque quidquam aggreditur virtute suâ dignum & Deo.

33. Hoc autem cùm Dæmon obtinuit, tum verò victoriam retulit, etiamsi peccatum non persuaserit. Non enim hoc sibi proposuerat, animum ad virtutem factum sceleribus expugnare, sed stultis vmbraticisque velitationibus ita delassare, vt præ defatigatione arma abjiciat, quæ nulla inferni vis ei poterat extorquere. Detexit has imbellis inimici technas & artes, egregius Diaboli antagonista & debellator D. Ignatius, easque, vt cunctis prostaret quod in se fuerat expertus, in aureo Exercitiorum libello descripsit hisce verbis. *Callidè obseruare solet inimicus, qualisnam sit animæ cuiusuis conscientia, crassiorne an delicatior. Et si quam inuenit delicatam, multò quoque delicatiorem efficere nititur, & in extremum quemdam redigere anxietatis gradum, vt sic miserè turbatum, à profectu spirituali tandem deiiciat. Puta si animam nouerit quæ peccato nulli consentiat mortali neque veniali; imò ne vmbram quidem, vt sic dicamus, voluntarii peccati sustinere queat; tunc, quoniam non potest veram illi peccati rationem objicere, eò satagit adducere, vt peccatum ibi esse credat quod reuerà non est; cuiusmodi est de verbo aliquo, vel cogitatiunculâ repentinâ. Crassam è diuerso animam, seu Conscientiam, reddere crassiorem studet; vt quæ negligebat priùs venialia peccata, mortalia quoque nunc parum curet, ac indies minùs respiciat.* Non poterat res tota dilucidiùs exponi. Sanè rem expertus loquitur; & si vsquam, hîc profectò locum habet tritum istud & peruulgatum, *Experto crede.*

Finis quem sibi in scrupulis concitandis præfixum habet Dæmon, est delassare animi vires.

S. Ign in I. exercit. notat 4. de scrup.

34. Solet autem artes suas tum maximè admouere versutissimus impostor, cùm aut vitio corporis & cerebri, aut fortunæ aduersæ cogitationibus, aut infelici rerum euentu perculsus est animus, & quasi tenebris obuolutus. Tum enim quasi in nocte mediâ

Tenebras quæsiit anima vt scrupulos illi ingerat.

mediâ constituto, terribiliora apparent omnia. Vtitur ergo opportunitate datâ sagax Dæmon, eaque homini sic præpedito immittit spectra, quæ quasi per tenebras visa magis terreant; & dum terrent, attentionem omnem ad cætera præpediant, majoribusque dein tenebris trepidantis animum inuoluant; sic vt nulla ei lux appareat, aut affulgeat, quâ quidquam possit de se actionibusque suis rectè decernere. Sic nempè tenebris timor, & vicissim tenebræ mentis timori, mutua dant incrementa. *& per scrupulos tenebras mentis auget.*

Psal. 54. v. 6. Ita disertè Dauid: *Timor & tremor venerunt super me & contexerunt me tenebræ*

35. Illa denique solennis est Dæmonis astutia, vt cùm ex sententiâ, sua videt artificia & ludibria objecta processisse, timorem nempè sese grauem animo incussisse; tum verò, vt totum sibi animæ asserat imperium, vires assumit, & in eam partem quâ data porta est scrupulis, ferociùs incumbit. Et aut idem, quod primam impressionem fecit, scrupuli simulacrum identidem diu noctuque menti repræsentat, aliis tamen aliisque rationibus quasi vestitum; aut etiam nouas scrupulorum conscribit copias; omnigenas, inquam, adornat falsimonias, dubitationes ingerit infinitas, quibus miserandum in modum mens in varia distrahitur: & dum nihil quidquam expedit, tandem afficitur ingenti rerum Diuinarum tœdio, & præ nimiâ lassitudine manus dat. Atque hæ quidem Dæmonis artes sunt. *& tandem lassitudine mentem expugnat.*

36. Fateor tamen tertiam scrupulorum externam caussam, non rarò esse Deum ipsum, non sine summo judicio & sapientiâ, angores illos innocentissimis etiam mentibus immittentem, aut certè permittentem immitti. Nam sanè, si immodici non fuerint, nec supra metas exorbitent, habent & scrupuli fructus suos, & quidem minimè pœnitendos. *Tertia scrupulorum caussa est Deus.*

37. *Primò* enim cùm acerbissimi sint toleratu, grauissimosque aculeis suis dolores afferant, certè pro peccatis commissis, si ratione bonâ submissèque tolerentur, ingentem dabunt satisfactionem; pœnasque Purgatorii flammis luendas, acrimoniæ inustæ vi expiabunt. Quòd si autem morbos quandoque acutissimos, peccatorum sordibus eluendis, corpori immittat ratione optimâ amicorum sollicitus Deus; cur non & animæ cruciatum aliquem, eandem ob caussam, modico præsertim tempore duraturum possit permittere? id verò si faciat, cur non dicendus *Fructus primus scrupulorum.*

est

est amicorum suorum incolumitati æqui bonique consulere?

Fructus secundus. *Secundò* plurimùm etiam secum boni afferunt scrupuli, præ- 38.
sertim iis qui è dissoluto viuendi genere recenter retracti, ad meliorem frugem & vota verterunt & studia: quòd nempè præacutis scrupulorum aculeis acti, maius odium concipiant anteactæ vitæ, cuius tam amaros modò fructus sentiunt: & sic, in arrepto vitæ innocentioris instituto persequendo, validiùs confirmantur.

Tertius fructus. *Tertiò* cùm peccatorum reliquias anxiè examinant, & ex- 39.
pendunt, etiam ea sæpius detestantur.

Quartus fructus. *Quartò* dum speciem etiam minimam peccati tantopere ex- 40.
horrent, veri apertique sceleris odium imbibitur; neque facilè hostis commercium quis admiserit, qui eius vmbram solet expauescere. Ita D. Ignatius. *Posterior*, inquit nempè verus scrupulus, *per tempus aliquod (dum præsertim recens est vitæ melioris institutio) animam rebus spiritualibus vacantem non parum iuuat, cùm eam mirum in modum purget, atque ab omni peccati specimine abducit.* S. Igna. supra not. 3. An non ægris id vsu venit, vt cùm ex morbo periculoso & graui, quo vires corporis admodum afflictæ sunt & detritæ, vtcumque emersêre, periculum licet euaserint, tamen à sagaci Medico præcepta accipiant, quibus & aëris inclementiam fugere sollicitè, parciùs edere, cibisque à se designatis abstinere aliquantisper jubeantur? quinimò & vini largioris, & ferculorum, præsertim quibus æger inhiabat, suspiciones ingerit, easque in eorum vsu circumstantias circumscribit, quæ in benè valente sanoque corpore, obseruationes forent futiles, nugæ meræ. Sic sanè optimo consilio, eos præsertim quos magnæ animi ægritudines diu afflixêre, quos rerum fluxarum peruersus vsus, quos affectionum libidinisque temperies, in plurima egêre scelera, patitur Deus sollicitudine anxiâ conflictari, aërem ipsum ne noceat exhorrescere, vbique pericula suspicari. Vtile id est imprimis è tanto morbo conualescentibus, vt sibi non negligenter caueant, debilibus adhuc & imbecillibus; ne minimâ rursum veterum peccatorum, afflati aurâ, corripiantur iterum antiquo malo, & in consueta sibi scelera relabantur.

Quintus fructus. *Quintò* juuant scrupuli, vt iis correptus sobriè de se sentiat, 41.
imbecillitatem suam seriò agnoscat, atque se in omnem demissionem animi modestè componat.

Juuant

42. Iuuant *denique* vt ad Deum magnâ fiduciâ accurrant; eius auxilium sine quo se nihil quidquam posse confitentur, seriò magnâque animi contentione implorent; Diuini vultûs radium expetant quo mentis tenebræ discutiantur, optataque lux redeat, quæ quid agendum sit aperiat, & diu expectatam menti referat serenitatem. Hos ergo aliosque fructus quàm plurimos secum scrupuli, cùm non admodùm sunt exorbitantes, afferre cùm possint & verò sæpè afferant, nullus sanè posthac mirabitur, Deum esse nonnumquam scrupulorum originem, quibus non leuiter sibi amicissimos patitur conflictari: præsertim cùm verissimum sit istud Apostoli effatum, *Fidelis autem Deus est, qui non patietur tentari vos supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* 1.Cor.10. v.13.

Sextus fructus.

§. IV.

Exponuntur signa ex quibus diiudicari possit an scrupuli sint à naturâ, an à Dæmone, an à Deo.

43. TAm variæ itaque cùm sint scrupulorum origines, operæ pretium erit signa quædam in medium producere, per quæ, à quâ causâ singuli proueniant, haud difficile erit diiudicare. Et primò quidem istud indubitatum est, si quando à Deo ipso, aut etiam per Angelum, animæ prorsus perpurgandæ immittuntur, non longo eas durare tempore; & tandem tempestatem omnem summâ malaciâ, mentisque serenitate placidissimâ commutari. Contigit id certè D. Ignatio, primis in melius commutatæ vitæ diebus, & in ipsâ stadii decurrendi januâ. Manresanam speluncam vix subierat, austerissimæ vitæ prima positurus tyrocinia: & ecce quasi agmine facto, in hominem nihil minùs cogitantem infesti vndique incurrunt scrupuli. Tota ei anteactæ vitæ scena ob oculos proponitur, Exomologesi quantumuis seriæ & accuratæ, quam in Serrato Monte instituerat, non acquiescit. Singula in memoriam vocat, expendit, trutinat; & dum attendit singula, ad omnia expauescit. Sic totæ transiguntur noctes, & dies, labore improbo, timore prorsus insuperabili, fructu nullo. Conciderat deuictus Heros, nisi Diuinus fauor, pectus intrepidum

Scrupuli qui à Deo sunt, non diu durant, & cum magnâ animi tranquillitate desinunt.

Patet in S. Ignatio.

Ribadin. in vita S. Ignat. l. 1. c. 6.

hactenùs, nouâ virtute obarmasset. Pertinaci octo dierum ab omni cibo potuque abstinentiâ, importunos hostes expugnare dum nititur, nequidquam nititur. Obedientia sola victoriam dedit. Jussus tam inauditum jeiunium soluere, quod octo dies jam tenuerat; aliqua tunc ei oborta est lux & tranquillitas. Sed breui suborta iterùm tempestas adeò viri pectus oppressit, vt jam jam naufragium facturus, & de constantiâ arreptæ vitæ deiiciendus plane sibi videretur. Cùm ecce tyronis sui labores miseratus Deus, virtute viri satis superque comprobatâ, illicò discussæ sunt infestæ tenebræ; Diuina menti lux rediit; fanaticos agnouit hostes; metus omnis abiit; & subitò ea oborta est Ignatio serenitas, quæ toto eum vitæ deinceps tempore comitata, in tantum Heroëm euexit, præclarissimosque docuit ab infernis hostibus triumphos reportare. *Imperauit* nimirùm, imperare qui potuit, *ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Matt. 8. v. 28.

Exponitur id ratione. Deus exercet animã vt eam purget à vitijs.

Sic agit Deus. Quos exercet scrupulis, non diu exercet, ne succumbant: nec sine pacis liquidissimæ beato fructu; ne frustranea fuerit, tam dura amici optimi exercitatio. Etenim cùm id solùm in obiiciendis menti scrupulis, propositum sibi habeat Deus, à pristinis peccatorum reliquiis animum perpurgare, & maiorem, vti diximus, peccati committendi horrorem incutere; hæc cùm sufficienter est assecutus, retrahit tandem & manum & scrupulos, virtutis inducendæ tempestiua quidem, sed tamen temporalia tantùm instrumenta. Hunc esse sibi familiarem agendi tenorem, per Isaiam testatur Deus ipse. *Sanctum,* inquit Prophetа, *nomen eius, in excelso est in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar; quia spiritus à facie meâ egredietur, & flatus ego faciam,* quibus nimirum inania phantasmata dissipentur penitus, atque in auras abeant. Si enim animæ munditiem accurare volebat Deus, vt quid vltra litiget, Conscientiamque extimulet si penitùs est perpurgata? vt quid medicinam adhibeat, vbi scrupulorum amaroribus, morbi superatæ sunt reliquiæ, & totus sibi animi constat vigor? Frustranea sanè hæc essent posthac adminicula, sine fructu medicinæ, adeoque intempestiuæ: Deus autem nihil agit importunè, aut quod sit præter rem. Quid ergo? audi eodem loco apud Prophetam, instituti sui rationem reddentem Deum. 44. Isa. 57. v. 15. & seqq.

Ibid. v. 18. Deum. *Vias eius*, inquit, *vidi, & sanaui eum, & reddidi consolationes ipsi & lugentibus eius. Creaui fructum labiorum pacem; pacem ei qui longè est, & qui propè, dixit Dominus, & sanaui eum. Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest; & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum: non est pax impijs dicit Dominus.* En vt pacem sano afferat, consolationesque ex ipsis quos animo admouebat angoribus, medicinâ feliciter peractâ, edûcat Deus. *Reddidi consolationes*, inquit, nimirum *quia sanaui eum.*

45. In alia omnia abit Dæmon. Cui cùm nihil adeò præfixum sit, quàm vt quos ad sceleſtam vitam persuasionibus se videt non posse pertrahere, eos angoribus vrat scrupulisque perturbet; quò magis sibi succedere videt artes suas, eò illis inhæret præfractiùs, pluresque obuoluit scrupulos. Vexat enim, tantùm vt vexet, non verò vt mentem curet. Hinc si quem stimulis eo perurserit, vt de peractis bonâ fide Confessionibus dubitare incipiat, nouamque de anteactâ vitâ exomologesim ad sedandos animi cruciatus instituat; tum verò nouos subiiciet animo sic perturbato scrupulos, & non vnam tantùm sed & centenas exomologeses suadebit, & facilè persuadebit deceptor improbus; & quidem non vni tantùm viro, sed variis Confessariis exponendas. Sic trahitur per diuersa subsellia infelix anima; vbique luctus suos deponit, vbique ingemit, & nusquam solatii quidquam adipiscitur. Euidens id autem est, stimulos eiusmodi, quantumcumque videantur ad meliora compellere, à Deo non submitti; quandoquidem etiam dum scrupulis mentem exercet & vrit Deus, non alium sibi scopum præfixum habeat, quàm plenam animo sic turbato inducere serenitatem. *Diabolus vexat homines vt eos defatiget.*

Ierem. 29. v. 11. *Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis & non afflictionis, vt det vobis finem & patientiam.* Itaque cogitationes illæ quæ nusquam finem habent, & numquam terminantur, agglomerantur quinimò indies, & exurgunt Isaias sup. *quasi mare feruens quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum*, neque pacem tantoperè quæsitam, post summam animi defatigationem afferunt; manifestum est à Deo non existere. An autem à deprauatis humoribus, an ab ipso Dæmone primam trahant originem, id quidem ad rem nostram parum facit, dummodò à Deo non esse constet. Vndecumque demum ducant exordium,

æquale afferunt damnum animæ : cùm istud certum sit, neque quidquam sine humorum intemperie in animam per scrupulos Dæmonem agere; neque etiam quidquam in cerebro humano per atram bilem, aliosúe exorbitantes humores turbari, quin illicò rei benè gerendæ spe, accurrat impostor acutissimus, suasque partes agat callidissimè.

Quandonã scrupuli incipiant à naturali intemperie corporis.

Quòd si tamen, sine vllâ prorsus præcedente causâ quæ menti dolorem aut perturbationem possit incutere, angi cor, obduci vaporibus cerebrum, & horrore subito corripi tibi membra persentiscis; atque exinde scrupulorum si tempestas mentem occupat, non ex vano dices, tumultum omnem animique perturbationem, ex atrâ bile fæculentisúe humoribus, qui cerebrum subeunt, anterioremque (vbi imaginandi facultas residet) cellulam inficiunt, ducere initium; eumque esse naturæ morbum, ac cerebri infecti vitium. 46.

Indicia duo.

Et hoc quidem longè certius tibi persuadebis, si non vnâ ex parte exsurgant scrupuli, sed vndique quasi agmine facto prosiliant. Si, inquam, in qualibet quam aggrederis actione, timor obrepat; adeò vt tam angaris si comedas quàm si cibo abstineas; peccaturumque te credas & cùm loqueris & cùm taces; & cùm te domi contines & cùm eâ egrederis; & cùm vigilas & cùm concedis cubitum. Sanè si quæuis materia metus faciat, cerebri malè feriati id vitium crede. Atriori enim sanguine aut bile, non prima tantùm, sed & secunda correpta est cellula, in quâ æstimatiuam animæ vim residere, cum Galeno, docent Medici. Quæ cùm semel è loco suo & statu conueniente est deturbata, nusquam pedem figit emota mens, & quasi cæca oberrat vndique, nullumque de rebus actis agendisúe, sanum quod sit, fert judicium. Hanc autem æstimatiuæ potentiæ euagationem facilè, altiori, quodque à phantasmatis non dependet, mentis judicio, quiuis discernet, cui tota necdum euersa est mens. 47.

Indicia quatuor vnde discernas an scrupuli veniant à Dæmone.

Quod si tamen etiam accuratiùs dignoscere libeat, quinam ab ipso Dæmone immissi sint scrupuli: aut si non immissi, quandonam saltem iis sese inserat improbus veterator, id sanè jam erit oppidò manifestum. Et quidem, nullum de hâc re dubium relinquitur: *Primo* si angoribus illis tandem deturbari de constantiâ animi incipis; si ab arrepto vitæ frugalioris studio, præ 48.

Indicium primum.

nimiâ

nimiâ mentis fatigatione te sensim auocari; & præcipuè, quod Diabolicum est maximè, si de salutis assequendæ spe & fiduciâ deiici, & tamquam de re desperatâ repelli te quasi per vim persentiscis. Vafra quidem sunt hæc Dæmonis artificia; sed nimis euidentia, quàm vt auctorem tam funestum celare nos possint. Detexit has technas jam dudum, cælesti luce perfusus Ignatius. Vnde istud est eius præclarissimum effatum. *Sin autem per discursum mentis aliquid offertur vel sequitur, quod ex se malum sit, vel auocet à malo; vel ad minùs bonum impellat quàm anima priùs quærendo sequi decreuisset; vel animam ipsam defatiget, angat ac perturbet, sublatâ quæ priùs aderat quiete, pace, & tranquillitate; euidens tunc erit indicium, auctorem esse cogitationum eiusmodi spiritum malignum, vtpotè vtilitati nostræ semper aduersantem.* En vt de auctore pessimo minimè dubitet, in hâc palestrâ exercatissimus athleta. Plurima sanè possent exinde consectaria deriuari, quæ breuitatis causâ prætereo. Istud tamen dissimulare non possum, quod ex hâc Sanctissimi viri sententiâ, pateat

S. Ign. in secundis reg. de discern. Spiritib. R. 5.

49. *Secundò*, minimè etiam dubitandum esse, à Diabolo ingestos esse scrupulos, quoties illi sanctissimis actionibus intercurrunt, præsertim si iis aliàs non admodùm perturbaris. Contingit enim, idque sæpissimè, vt quis dies integros placidè agat, nullo peccati metu rebus quotidianis intersit; cùm verò ad sacram Synaxim aut exomologesim animum seriò applicat, tum verò percelli se sentit, horrore concuti, & ab ipsâ sacrâ mensâ nescio quo metu deturbari. Euidens est illius astu tempestatem hanc excitari, qui actionem tam sanctam prorsus optaret conuellere; aut si non potest, saltem religionis actum insanis angoribus interturbare. Semper enim vt rectè D. Ignatius, *vtilitati nostræ aduersatur.* *Secundum.*

50. *Tertiò* ab eodem capite scias diffluere scrupulos, si in vnâ tantùm peccati specie metus illos angoresque percipias, neque ad alia tantoperè exhorrescis. Etenim cùm omnia prorsus scelera auersetur Deus, certè quæ ab ipso immittuntut animæ cogitationes, bellum cuicumque peccato inferent, neque mentem sibi dilectam patietur Deus vllâ criminis sibi exosi specie irretiri. Et tunc quidem *Tertium.*

51. *Quartò* euidentius id erit indicium, si ad cætera projectus sis, neque quidquam pensi habeas, quantùm dissolutis tuis moribus offendatur Deus; interim tamen circa minutias quasdem exiles- *Quartum.*

que res tibi mens hæreat, peccandi periculo prorsus perterrita & suspensa. Ridendus planè est hic angor, vti importunus, ita & intempestiuus admodùm. Certè de facetiarum genere mihi semper visus est Samaritanæ mulierculæ apud D. Joannem scrupulus. Angebatur enimuerò quòd communionem sermonis cum Christo Iudæo haberet; & de committendo scelere admodùm sollicita: *Quomodo*, inquit, *tu Judæus cùm sis bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Ingens profectò facinus, enormè scelus! Interim quæ aquam Judæo detractat porrigere, ne sese contaminet scelere; non erubescebat corpus prostituere per summam infamiam; vetitisque & fortè non vnius scortatoris amplexibus inhærere. Ita sæpe fit; reperiuntur eiusmodi homines non pauci, quibus preces solitas non absoluisse, lustrali aquâ se non abluisse, micam panis die ieiunii glutiuisse, summa fit religio, variisque, id si fecerint, vrgentur animi stimulis. Interim per summam impudentiam quælibet effutiunt, arrodunt omnia, dissentiones serunt, fouent odia. Dei hominumque apud eos est contemptus par. Acum die Dominicâ vestibus admouisse, summum crimen est; nullum verò, famam innocentis hominis linguâ conficere. Intolerandum scelus est, carnem die ieunii primis labris delibasse, atque id illicò exomologesi est expiandum; humanas verò carnes dentibus conuellere, dilacerare inquam amicitiæ leges, aliena facta in pessimam interpretari partem, nihil non admordere, id verò tranquillo prorsus fit animo, neque vllis Conscientia stimulis perurgetur. Apage sis cum eiusmodi scrupulis aut potiùs ineptiis, quibus vel ipsi Heraclito risum moueas & lachrimas Democrito. Quis enim inæqualitatem hanc non videat, Dæmonisque ridiculas artes non internoscat, quibus interim ridiculum in modum & tamen deplorandum admodùm, miserè detineris & illuderis?

Aliqui scrupulosi sunt in rebus exiguis, & in aliis sunt valdè dissoluti.

Ioan. 4. v. 9.

§. V.

§. V.

Ponuntur signa, ex quibus dignosci queat an quis sit scrupulosus.

52. Sed satis sit. Cumque morbi huius tam importuni causas exposuerimus & originem, istud tandem breuibus dicendum est, quæ demùm sint signa, è quibus rectè dignosci possit, an quis hâc mentis ægritudine sit correptus. Et quamuis ex iis quæ jam exposita sunt, facilè id sit statuere, modò ea quæ vniuersim dicta sunt, particulatim applicentur; iuuerit tamen quædam criteria indicare, è quibus facilis erit huius morbi coniectura. *Indicia ex quibus dignosci potest an quis sit scrupulosus.*

Ac *Primo* scrupulis sese corripi rectè is statuet, qui passim in rebus omnibus agendis de actionum suarum bonitate aut malitiâ dubitat; peccatumúe esse suspicatur id quod agit, sine vllo, aut certè & vano futilique fundamento.

Secundo si vt res aliqua fortè peracta est perperàm, leuique aspersa sit crimine quæ exhibita est actio, magno tumultu inuoluatur mens, angatur cor, & præter rem, culpæque commissæ merita exæstuet.

Tertio si re antè benè perpensâ, virique prudentis & boni consilio constitutâ, illicò pedem retrahis, quòd fortè erratum sit à te, vtpotè qui totam causam fortè non rectè exposueris, fortè etiam quòd à te consultus rem non planè intellexerit; aut etiam quòd fortè non eâ sit scientiâ, qui de re potuerit prudenter diiudicare. Hæc, inquam, si tibi importunè ingerantur, tunc scias non fortè, sed certò certiùs, te scrupulis intricari.

Quarto euidentius id erit, si postquàm plures consulueris, & tibi aliisque negotium facessueris ineptissimum, iisdem nihilominùs angoribus & sæpè etiam maioribus implicaris.

Quinto si ea quæ cunctis patent & manifesta sunt, anxiè examinas, & quasi rem admodùm abstrusam & intricatam proponis, & quidem sæpiùs, & quidem non vni.

Sexto si ratiocinio, consecutionibusque quæ nemini sano inciderent, de peccato commisso certi quid statuas, firmumque judicium feras.

Septimo,

Septimò, si peccata esse statuas, quæ à viris optimis sine vllâ criminis suspicione, vides agi promiscuè.

Octauò si dum Conscientiæ examen instituis, maioribus tenebris mentem videas obscurari.

Nonò si Confessione, non semel sed sæpiùs institutâ, accrescant dubia nihilominùs, & vti fit, aliud ex alio pullulet, nouosque secum metus & suspiciones nouas trahant.

Denique ne infinitus sim, si Confessarius, animæ inquam Medicus, asserat, scrupulis agitari te, id tecum certò & indubitatim statue, eô morbo te prorsus correptum teneri. Quid verò deinde, inquies, id si credam? Quid? tum demùm assero magnâ ex parte sanatum te, id tibi si persuaseris. Medicinam tum demùm adhiberi patieris malo accommodam. Nemo quæ pesti depellendæ sunt necessaria, adhiberi sibi volet, nisi qui peste contactum se crediderit. Atque hoc habet sibi speciatim proprium morbus hic de quo agimus, vt nemo quantumcumque scrupulis agitetur, scrupulosus aut dici velit, aut videri. Et quamuis res sit oculis conspicua, & omnium ore decantata, numquàm eo sese morbo correptum esse, fateri appetat. Fortassis ne videatur aliis insanire, aut etiam vt nullam medicinam recipiat, sibique soli tantò vehementiùs insaniat. Quamquam & hîc etiam Diaboli artes agnosco, qui vnà cum scrupulis, insignem solet turbatis mentibus ingenerare arrogantiam, judiciique peruicaciam, vt soli sibi videantur sapere. Et donec sic sapiunt, omnem etiam præfractè respuunt mali medicinam. Sed hæc Tractatu sequenti dicenda sunt vberiùs.

TRACTA-

TRACTATVS VIII.

DE CONSCIENTIÆ SCRVPVLOSÆ. REMEDIIS.

Expectabam eum qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritûs & tempeſtate. *Pſal.54.v.9.*

Quomodo agendum ſit contra ſcrupulos, & quæ eorum ſint remedia.

PROOEMIVM.

EXpoſitis vtcumque cauſſis, è quibus ſuam ſcrupuli trahunt originem, explicatiſque indiciis quæ morbum hunc animi manifeſtè patefaciant; iſtud nunc agendum eſt, quod in accurandis corporibus ſolent medici, nimirum vt ad remedia tam moleſto morbo conquirenda, ægræ menti ſagaciter applicanda accingamur. Et quidem ad duo præcipuè video Medicos animum attendere. Primò præſcribunt ægro, quid in ipsâ morbi moleſtiâ conſtituto obſeruandum ſit, quibus abſtinendum ſit cibis, quæ victui moderatio ſit adhibenda, ne morbus vires ſumat, atque ex intempeſtiuo alimento crudiùs ingraueſcat. Tum verò cùm ſubtractâ mali materiâ, ſucciſa eſt morbi vis; medicamina adhibent, quibus & ipſa morbi cauſſa penitus detrahatur, vt ſic demum integra ſtabiliſque affecto corpori ſtet valetudo. Hæc prorsus à me erit obſeruanda methodus. Et *primò* quidem dicendum eſt, quid agendum ſit homini ſcrupulorum angoribus reipsâ æſtuanti, & quâ ratione iis, ne malum ſerpat longiùs, ſit obuiandum. *Deinde* ſcrupulorum cauſſis manum admouebimus, eaque ex Theologorum Aſſectarumque

tarumque communi consensu & præscripto dabimus medicamina, quæ si seriò adhibeantur, sine vllo dubio vim intolerabilis morbi admodum infringent, & fortassis etiam, Dei aspirante gratiâ, radicem ipsam penitùs tollent.

§. I.

Quisquis à scrupulis curari vult, ante omnia sibi persuadeat nullam in scrupulis esse sanctitatem: deinde se eo morbo laborare.

Duæ difficultates in curandis scrupulis occurrentes proponuntur.

OPeræ pretium, imò & necessarium fuit, importuni morbi tum causas & originem, tum etiam indicia diagnostica exponere. Hæc quidem, vt facilè coniiciat, an ægritudine illâ correptus sit: illa verò, vt morbi malitiâ ex causæ peruersitate rite perceptâ, tantò libentiùs de remediis sermones sibi exhiberi patiatur, eaque malo adhibeat etiam auidiùs. Istud enim video, duplici ex capite plerumque fieri, vt tanta in hoc morbo curando inueniatur difficultas. Primò quidem, quòd eo se tactum esse, nemo facilè fateatur. Secundò quòd etiam ii, qui correptos sese hâc ægritudine sentiunt, sæpe sibi persuadeant, adeò nullum ei malum subesse, vt ex aduerso existiment, scrupulos præcipuæ cuiusdam sanctitatis esse indicia, aut saltem ad eam consequendam egregia adminicula: denique esse tenerioris cuiusdam & ad virtutem inflexæ Conscientiæ incitamenta & stimulos, quibus ad altioris innocentioriſque vitæ studia impensiùs vrgeantur. 1.

In scrupulis passim nullum est virtutis adminiculum.

Insignem enimuero errorem, astutamque Dæmonis fallaciam! non satis ei erat homines probos artibus suis intricare, nisi & specie sanctitatis, virtutisque exercendæ fuco, turpiter deciperet. Quasi verò probis esse non daretur, nisi anxiis & de Conscientiæ innocentiâ scrupulosè timidis, imprudenterque sollicitis. Hoc enimuerò est perfectionis viam decurrere, anxium semper esse de viâ, & ad singula quæ occurrunt, hærere mente perculsâ miserèque attonitâ. Certè numquam se magis iter suum promouisse fatetur Dauid, quàm cùm soluto animo, apertoque vt ait corde, viam cui insistebat alacer decurreret. Currebat inquam, 2.

Psal.118. v.32. inquam, non ibat lento passu, vti de sese fatetur, animo & bonâ spe plenus; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*; currit dilatato corde Sanctus Dauid; vbi miseræ illæ contractæque animæ, corde angoribus oppresso, ad singula cespitant: præterquam quòd præ timore panico, vix spiritum anhelum ducant. Quid ergo? an mihi persuaserint, sanctitatem rem esse tetricam, plenamque fastidii? An teneram non credunt esse Conscientiam, nisi quæ ad vanas mali vmbras illicò exæstuet, & quodammodo suffocetur? verùm hoc deinde fusiùs disceptabimus. Illud mihi nunc sufficit, teste Dauide, teneram Conscientiam pace frui liquidissimâ; quam cùm scrupulosis deesse conspiciam, illicò mihi manifestum sit, longè inter se dissidere teneram Conscientiam & scrupulosam. En Dauidis, à me dicta confirmantis apertissimum testimonium. Psal.118. v.165. *Pax multa diligentibus legem tuam*; *& non est illis scandalum.* siue vti legit Agellius, *& non est illis scrupulus.* Perinde autem est, vt Prophetæ mentem intelligas, seu scrupulum legas seu scandalum. Si enim scandalum est saxum aliquod, in quod si impingas, ruinæ aut lapsûs eunti datur occasio; scrupulus sanè est lapillus aut scrutum exiguum, quod attritu suo euntem grauiter impedit & defatigat. Utrumque viatori officit, viamque aut retardat, aut etiam penitus intercludit. At verò inquit Dauid, diligentibus legem Dei, pacata sunt omnia, & non est illis neque scandalum neque scrupulus. Id est, quantum ego quidem intelligo, quisquis animo forti & generoso, fide bonâ, & mente imperterritâ legem Dei diligit, seu viam mandatorum Dei ingreditur & dilatato corde transcurrit; is profectò neque ad scandala cespitat, neque ob scrupulos vacillat aut pedem retrahit; plana ei sunt omnia & expedita.

Aliud est Conscientia tenera aliud scrupulosa.

3. Quòd si autem per imprudentiam in saxum aliquod aut scrutum fortè occurrens pedem impegerit, vnde leuis aliqua exorta sit cespitatio; leuem, inquam, vt clarè loquar, errorem si commiserit; non tamen turbatur magnopere, nec quidquam in rebus peragendis intermittit. Scit enim quid sibi eo in euentu agendum sit, agit autem id quod viatores solent strenui. Hi certè dum itineri insistunt indefesse, gressum pro viribus agglomerant: & si saxum aliquod in viâ occurrerit, aut stipes terrâ malè tectus; non illic hærent donec manibus offendiculum amouerint:

Aliter viri perfecti errores paruos considerant alter scrupulosi.

uerint: quid enim est hîc immorari, nisi & tempus & operam perdere de nihilo? Itaque si altior lapis aut frutex fuerit, pedem eleuant, aut transiliunt. Quòd si autem casu pedem impegerint, non illico viam relegunt, vti quidam per superstitiosam vanamúe vt vocant obseruantiam eo in euentu actitare sunt soliti; vt si fortè titubauerint, pedem retrahant; viamque remetiantur donec lapidem, in quem impegêre, transeant innoxii: ridicula hæc sunt anuum deliramenta. Viatores enim strenui, etiamsi fortè cespitarint, quasi si nihil euenisset siniſtri, inceptum iter imperterritè, cautè tamen prosequuntur. Et de his rectè dici potest istud Dauidicum *Ambulant in latitudine cordis*, neque exigua quæ passim occurrunt viatoribus impedimenta, ipsis offendiculo sunt, *non enim est illis scandalum aut scrupulus*. Et ita quidem agunt teneræ, sed fortes Conscientiæ. At verò scrupulosæ illæ contractæque animæ, iter virtutis legunt ad instar timidi imbellisque viatoris, qui nollet sese viæ committere, nisi quæ & à sordibus minimisque etiam sertis & silicibus prorsus foret expurgata; quinimo & cylindro ita contrita & complanata, quasi si area esset cui mox linum agricolæ manu inserendum foret. Quis eiusmodi homines non rideat? timent omnia, etiam tutissima. Et quia saxa timent & silices ne fortè in se assurgant, vbique sese saxa putant conspicere, & minimam etiam glebam, silicem arbitrantur; neque pedem præ metu promouerint. Prorsus hic est scrupulosorum genius. Omnia ipsis sunt offendiculo, sacrâ perinde ac profana: semper sese aut in crimen prolapsos, aut certè prolapsuros existimant. Itaque veluti superstitiosi viatores, iter relegunt: orationem, inquam, si fortè leuis cogitatio mentem distraxerit, repetunt; neque semel dumtaxat, sed decies imò & centies: & sic non tempus tantùm perdunt, sed quod perius est cerebrum. Denique prout timor auget omnia, ex leui paleâ trubem sibi insanè fingunt, & montem constituunt ex atomo. Psal. 118. v. 45.

Probatur quod in scrupulis nulla sit sanctitas.

Istud nunc eiusmodi homines amicè interrogatos volo, an isthæc acta agere sapientis animi sit & sani cerebri, an verò insipientis capitis & ceriti? Hoc verò si sit, istud rursus peto; an in rerum naturâ virtus detur quæ verè sit insipiens, & stultis nixa phantasmatis, ridiculisque superstructa fundamentis. Hoc autem si nemo vnus pro sano dixerit, vt quid sibi de sanctitatis notâ, 4.

Tractatu 7. §. 2. & §. 3. n. 30.

tâ, eximæque virtutis indicio insanè blandiuntur? Idcirçò sanè, Tractatu præcedente multis explanaui, plerumque ex corporis, cerebri præsertim intemperie, scrupulos profluere; item latissimum eos Dæmoni præbere campum; usque sese astutissimum veteratorem passim ingerere. Hæc inquam tusè, & quidem studio exposui; vt cùm tam infaustam mali sui originem scrupulosi agnoscent, tandem etiam de mali remedio, tamquàm verè ægri; cogitare seriò incipiant. Verùm inquies, cùm ex cerebri intemperie, phantasmatumque peruersitate scrupuli plerumque pullulent, cur non insanos eos nominas? Facerem id sanè perlubenter & verè; sed qui eo laborant morbo, audirent id perquam grauiter & illubenter. Quid deinde inquies, an idcirco veritati obstruendum est os? Minimè quidem. Verùm si istud tam crudè dixero, oleum perdam & operam. Scrupulosos enim curaturus venio. Jam verò si scrupulosum hominem, insanum esse dixero, nemo profectò scrupulosum se fatebitur; cùm nemo sibi non sapiat, neque quidquam minùs cupiat, quam pro insano reputari. Et tamen prima prorsus hujus mali est curatio, vt qui sanari vult, id sibi certò statuat, hoc sese morbo laborare. Nam vt præclarè Seneca: *Nemo incurabilior est, quàm qui sibi sanus videtur.* Nusquam autem maior est, quàm in hoc morbo, ægri ignorantia.

Prima scrupulorum curatio est agnoscere se scrupulosum.

5. Illud enim ante omnia, aut Dæmon, aut ingenita humanæ menti superbia scrupulosis persuadere satagit penitusque imprimere, scrupulos non esse quibus agitur, nec vana esse rerum phantasmata; sed ex aduerso solidissimas esse rationes quæ se offerunt, inspirationes esse sanctas, Diuinique Spiritus præclarissimas agitationes. Ain vero tu? an non etiam cælesti æstro abripi te quandoque sentis, & diuinis visionibus cerebrum illustrari? Sentio inquis nonnumquàm nescio quid; & cum nescio quid sentiam, sentio tamen mira prorsus & insolita. Apagesis cum tuo sensu stulto & putido. Ego verò scio quid sentias tu, & quid ego censeam. Scrupulis agitaris miser; quod quidem ex indicijs, quæ superiore Tractatu exposui, facilè est deprehendere. Sin verò ex arteriæ inordinato pulsu, febrim quâ laboras nescis dignoscere, Medicum adi. Confessarium inquam, consule, eique & crede, & penitus acquiesce. Quòd si verò nec illi morbum seriò denuntianti, nec alijs quos importunè semper

Hanc persuasionem scrupulosis satagit Dæmon eripere.

consulis, acquiescas, nequidquam est quod dubites: euidentissimum enim id est signum, insigniter tibi læsam esse phantasiam, quæ tandem in judicij peruicaciam indurescet. Et tunc quidem superuacanea erit, quæcumque adhibebitur medicina.

Agedum ergo. Credisne tandem te hoc morbo esse implicitum? Si non credis, abi sanè per me licet, & ad somnum si placet, corpus compone, ne nihil agas. Quidquid enim deinceps dicturus sum, alijs quos tu tibi mente designas, dicta suspicaberis, tibi autem minimè. Hoc autem dum agis, frustra à me aguntur omnia. Quod si verò peruicaciâ mentis depositâ, morbum agnoscis, da deinceps audientiam, & quidem non illiberalem. Uti enim in febribus curandis vsuvenit, vt primò præscribatur ægro, quid in ipso morbi dum exæstuat paroxismo agendum sit; deinde verò quæ malignis humoribus depellendis, adhibendæ sint medicinæ: ita istud primò dicam, quid agendum sit, dum scrupulis reipsâ compungeris; id est, dum phantasmatis falsisque peccatorum laruis potius, quàm judiciis agitaris. Deinde expositurus quibus artibus insanæ illæ, quæ totam animæ symmetriam perturbant, peccatorum species, Diuinâ aspirante gratiâ, penitus depellantur. Depellentur autem facilè, si vti dixi, scrupulosum te agnoscas, neque phantasmata, quibus assueuisti, tanquam sancta teneræque Conscientiæ indicia foueas, iisue nimiùm indulgeas. 6.

§. 11.

Quomodo scrupuloso in ipso scrupulorum æstu formanda sit Conscientia, & contra scrupulos agendum.

ET quidem, vt quod primo loco propositum est ritè absoluam, illudque edisseram quid tandem agendum sit, dum in ipsâ scrupulorum caligine mens exæstuat & vacillat: istud tanquam certum & indubitatum 7.

Licitum est semper agere contra scrupulos.

Primò assero, eum qui scrupulorum stimulis agitatus, nefas esse suspicatur, aut etiam quodammodo statuit sceleratum esse id quod agendum proponitur, nihilominus posse sine vllo crimi-

ne

ne actionem sic propositam instituere, & prosequi inchoatam. Sic cui in mentem venit, mortale crimen esse stramina in Crucis formam decussata pedibus conculcare, quasi si id reuerentiæ Cruci debitæ officeret: aut cui non sine mentis agitatione & conflictu, videretur lethale esse, die Veneris panem cultro scindere, qui paulò ante carnibus dissecandis fuisset adhibitus; is sanè nequidquam vrgentibus scrupulis, sine vllâ prorsus culpâ & stramen pedibus conculcabit, & cultro in promiscuos vsus vtetur impunè. Atque hæc est tam pervulgata Theologorum omnium, &, quod rarissimum est, nemine repugnante tam constans sententia, vt superuacuneum omnino sit singulorum nomina depromere; cùm eadem sit mens omnino omnium.

Probatur.

8. Et verò ratio est manifesta. Medios enim inter angores, quibus phantasia agitatur & prima mentis apprehensio percellitur, tamen istud sibi judicium formare mens potest, nugas esse & deliria quæ obvoluuntur animo; ac proinde verè illicitum non esse, quod vanâ specie videtur illicitum. Hoc autem judicium quisquis sequitur, Conscientiæ veræ dictamen sequitur. Neque verò quidquam refert, ingentes nihilominus animi remorsus quòd persentiscat: scrupulorum hi morsus sunt, non Conscientiæ. Scrupuli autem vt antè me dixisse memini, Conscientiæ tribunal non ascendunt, cuius solius est dijudicare rem, non verò leuiter & de nihilo suspicari. Hinc qui sic agit, scrupulis repugnat, non Conscientiæ: istud autem semper est licitum. Prout nemo sanæ mentis dicet Magistratibus Supremoque Senatui esse illicitum, plebis pro Curiâ insanientis inconditas voces deinceps habere, eiusque maleferiatis expostulationibus latâ in contrarium sanctione contrauenire.

Quo pacto scrupulosus sibi formare debeat Conscientiam, vt contra scrupulos possit agere.

9. Benè id quidem inquies; neque quidquam angerer circumstrepentibus vndique licet scrupulis, istud si mihi præstituere possem judicium, licitum esse id quod præ manibus habeo: verùm ex aduerso ita exagitor, vt de actionis meæ indemnitate & innocentiâ nihil quidquam pro certò queam dijudicare & statuere. Ita tu quidem. Verùm, nonne hæc ipsa judicandi impotentia, signum est euidentissimum scrupulis agitari te, eorumque importunis clamoribus totum tibi offuscatum esse cerebrum, mentisque tribunal conturbatum? Atqui, vt mox dixi, istud est etiam verissimum, hominem scrupulis imperitum, eos posse habere

habere despectui, iisque directò se posse opponere, atque agere alia omnia, quàm quæ per vim à scrupulis exiguntur. Itaque hâc viâ, si alia non suppetit, eundum est, ac formandum dictamen seu judicium practicum Conscientiæ; quo licitam tibi esse statuas actionem eam, ob quam tanta tibi oborta est scrupulorum tempestas & controuersia: quòd nempe communis & constantissima Theologorum omnium, nemine excepto sit sententia, te, nequidquam renitentibus scrupulis, in eam actionem posse erumpere, tutâ Conscientiâ, sine vllo crimine, & impune. Huic vero sententiæ tam certæ, tam tutæ, tam firmo omnium omnino Ascetarum & Theologorum consensu proclamatæ si non acquiescas, nescio sanè ipsine Archangelo Raphaeli, vtcumque sit Medicina Dei, morbo tuo mederi si velit, fidem vllam adhibiturus an sis.

Credo inquis, hæc ita esse; licitumque esse scrupulis sese opponere, dum veri sunt scrupuli. Ast istud mihi est ambiguum, an scrupuli verè sint quibus exagitor. En purum putum scrupulosæ mentis genium. Quò magis de morbo tuo ambigis, magis eum facis esse manifestum. Tamen vt etiam hâc ex parte omne scrupulis adimam effugium, istud tibi cum Sanchez assero, sufficere vt tutò contra scrupulos possis agere, si tantùm probabili ratione constet, scrupulos esse & vana peccatorum simulacra, quibus impeteris. An plura desideras? an fauorem hunc vis magis extendi? Certè, etiamsi expensis omnibus, dubium tantùm foret an sit scrupulus quo torqueris, scrupulum verè esse potes statuere, atque adeò prorsus contemnere, eaque agere quæ ei aduersantur. Ita differtè Sa, Bonacina, Franciscus de Lugo. Tandem, qui scrupulis solet irretiri, si ab ipso actionis suæ exordio, non tam certus sit se peccatum mortale committere, vt istud juramento affirmare audeat, scire se peccatum lethale esse quod aggreditur; etiamsi in ipso deinceps operis exercitio multa occurrant propter quæ de crimine fortè committendo dubitare incipiat, potest sine vllo noxæ periculo illis occurrere, judicando non esse nisi scrupulos, id est criminum vmbras, actionemque inchoatam penitus prouehere. Quòd si autem ad hæc accedat prudentis Confessarij judicium, quo quidem statuitur rectè omnia se habere, tutumque esse agere id quod agit; tum verò nulla relinquitur dubitatio, quin tali judi-

10.

Sufficit vt quis agere possit contra scrupulos, quòd probabile sit hominem se esse scrupulosum.

Sanchez l. 1. mor. c. 10. n. 80.

imo quod dubium sit an sit scrupulus.

Sa. v. Dubium Franc. lugo par. 1. de Conf. c. 4. q. 11.

cio

cio possit acquiescere, quantumcumque de se judicet scrupulis minimè se torqueri. Atque hæc quidem dicta sint, vt liqueat scrupulosus agere quid possit, siue quid ei agere sit licitum, quando scrupulorum torminibus exercetur. Verùm altiùs ascendat oratio, & totius rei explanatio.

II. *Secundò* itaque asserо scrupulosis non licitum esse tantùm, sed & longè consultiùs esse, scrupulorum repræsentationibus refragari, iisque, etiam in actionibus quæ videntur sanctissimæ, fesè opponere, & fidem fortiter denegare. Hæc rursùs meliorum Theologorum certa est sententia. Et verò ratio ex ipsâ scrupulorum origine si petitur, est manifesta. Cùm enim, vt jam antè demonstratum est, scrupuli noboni fixa nisi sint phantasmata, & terriculamenta prorsùs pauida, quæ ex timidâ corporis temperie vt plurimùm exortum trahunt; quò magis timori indulges, eò magis exacuitur; fugantur autem phantasmata, timoris irritamenta, quibus intrepida obiicitur impressio. Quid est autem timori indulgere & cedere, quàm ea tandem agere quæ suadet timor? Atque hoc quidem in omni quem natura fert timore, commune est & peruulgatum: etiam eo, qui nulli prorsùs rationi & fundamento nititur, aut certè perexiguo. Qui canum morsus timet, aut equorum sternaces vngulas expauescit, quò magis sollicitè cauet periculum, eò maius incrementum in imaginationis cellulâ accipit phantasma, malum repræsentans; & quò hoc magis excrescit aut fit viuaciùs, eò etiam grauiùs officit, maioresque animo trepido pauores facit. Enimuerò an non id quotidianâ experientiâ compertum est satis, eum qui tenebras exhorrescit, ac magnâ sollicitudine cauet, ne incomitatus conclaue obscurum adeat, aut ne in eo solitarius agat, maiori quotidie formidine occupari, & spectra sibi quaquauersum obtrantia effingere, quibus naturæ ingenitus timor quotidie augeatur? Ita sanè fit: neque aliud curando huic morbo remedium est præsentius, quàm si primò carcellos sinu foueat, maioribus deinde canibus abblandiatur; inter equos sese ingerat; & intrepido animo, trepidante licèt corpore, in tenebris profundiora modò, modò altiora ædium subeat conclauia, in iis solus commoretur aliquamdiu. Hâc certè ratione, nihil dum sibi viderit mali obtigisse, decrescet paulatim vibrationum mali phantasma, timoris intempestiui origo, ac sic paulatim detumescet omnis qui mentem inuaserat pauor.

Consultius est semper agere contra scrupulos.

Nam scrupuli crescunt dum iis obeditur.

Probatur ex naturâ timoris.

Timori enim dum ceditur, crescit timoris passio.

Scrupuli crescunt dum iis obeditur.

Planè similis, imò eadem est scrupulorum ratio. Iis si succumbas & obedias, recrudescent illicò, & vires sument; majoribusq; te quotidie terriculamentis, imò & ineptiis præpedient. Quòd si die Veneris metuis vesci oleribus, quæ decocta sint in ollâ quæ pridie lixandis carnibus vsui fuit; oleribusque his si abstineas, quòd fortè adipis hesternæ, quæ ollæ adhæserit, iis quidquam sit commixtum: profectò si scrupulo huic insanè succubueris, ad tantam demùm deuenies insaniam, vt diebus abstinentiæ destinatis, non sine chirotecâ, & quidem benè densâ armatis manibus, sumpturus sis cibum; ne fortè hesternâ ex cœnâ, vnguibus quidquam carnium irrepserit, aut certè adipis aliquid adhæserit, qui pisces hodiernos, oleraque inficiat. Ridicula hæc qui dicit, verum dicit; sed tamen similia sunt quæ à scrupulosis actitantur quotidie. Hæc verò vt euadantur incommoda, nihil est consultiùs, quàm frontem impauidam scrupulis obtendere: reipsâ, inquam, ostendere, te similes aculeos flocci facere: & cùm tibi sese importunè ingerit cogitatio, peccatum esse tali cultro panem scindere quo hesternæ tactæ sunt carnes; aut olera quæ dixi comedere; aut aquam benedictam è manibus in terram diffluere; aut stramina in crucis modum decussata pedibus tangere; hæc, inquam, & his similia deliramenta mentem cùm præpediunt, hisce tu ne immorare, sed fortior insurge, illudque tecum sic statue: Ob hanc ipsam causam, quòd mortale mihi scelus visum est id quod aggredior, non alio vtar cultro quàm hoc de quo controuertitur: non aliis vescar oleribus, quàm quæ hâc in ollâ sunt decocta: aquam benedictam sponte meâ in terram coniiciam: & stramina ita decussata, non semel, sed tertiò pedibus conculcabo. Ita fac, & non tam crucem quàm scrupulos conteres. Neque quidquam horum confitêre, quantumcumque scrupuli obganniant; & sacram Synaxim nihilominùs securus tui, tutusque adeas: sic demùm euades victor tui. Atque cùm hæc tam præsens sinceraque sit scrupulis, cum obueniunt, curandis medicina, & ferè vnica, 12.

Sapè tenetur ex lege naturæ scrupulosus agere cõtra scrupulos.

Tertiò assero non tantùm consultiùs esse, hoc modo scrupulis fortiter & directò obsistere, verùm etiam scrupulosos non rarò id agere prorsùs debere; ad agendum, inquam, scrupulis contraria, naturæ lege sæpissimè teneri. Ita diserte Thomas Sanchez, Valentia, & apud Baldellum Sayrus, Salas. Cùm enim scrupuli 14. Sanch l. 1. in præc. c. 10. n. 83.

mentem

Valent. t. 1. disp. 2. q. 14. pun. 4. dub. 5. Baldel. de Consc. l. 4. disp. 21. n. 9.

mentem vehementer conturbent, plurimas actiones bonas, etiam præcepto Diuino aut Ecclesiastico imperatas præpediant, animos ad præclara assurgentes succidant, ad desperationem paulatim incautum deducant nonnumquàm, semper autem ineptum reddant vt munere suo institutâque viuendi ratione bene alacriterque defungatur: rursùs cùm corporis valetudini scrupuli vehementer officiant, cerebri vires defatigent, potentiæ imaginatiuæ actiones perturbent, ac denique insaniæ incurrendæ periculum inducant præsentissimum; nullum mihi dubium relinquitur, quin quisquis hoc morbo laborat, jure naturæ charitatisque sibi debitæ, de remedio illi conquirendo, sibi prospicere teneatur. Cùm verò aliud nullum superfit scrupulis dum reipsâ vigent superandis, quàm iis minimè indulgere, fortiterque obsistere; sanè ad remedium hoc necessariò confugiendum est, & contraria suis scrupulis agere non tantùm poterit scrupulosus, sed & debebit.

14. Atque ex hoc capite, vt rectè Baldellus, poterit etiam Prælatus præcipere scrupuloso, vt contra scrupulos operetur. *Nec debet,* inquit, *præcipere timidè, sed fidenter & absolutè; ne alioqui sit minor securitas in ægroto, si vacillauerit ipse medicus, vt notat Reginaldus. Et similiter in tali casu, etiam tenebitur scrupulosus contemnere scrupulos, & præcepto parere.*

Bald. sup. n. 10. Reginal. in praxi l. 2. c. 9. n. 117.

15. Hæc omnia quamuis clara sint & verissima, nondum tamen scrupuloso cuidam, ex acutiorum, ex importuniorum, inquam, & peruicaciorum ordine factum est satis. Audiamus sanè quid oggerat. Benè se habent, inquit, hæc omnia, cùm scrupulis tantùm agitatur Conscientia: scrupuli enim non sunt judicia; phantasmata tantùm peccatorum sunt, primæque apprehensiones mentis. Ast verò judicia sunt quæ fero: neque suspicor tantùm, scelus esse quod facio, cùm olera illa comedo, sed verè judico me peccare. Atqui etiam erranti Conscientiæ parendum esse, jam pluribus est demonstratum: igitur & mihi ab oleribus illis est prorsus abstinendum. En vt sese ab omni parte muniant scrupuli. Captâ vrbe, ad arcem confugiunt milites, vt sese tueantur. Non aliter agunt scrupuli, vana phantasmata, vmbræ meræ, dum ex phantasiâ, rationum pondere sunt exacti, nullumque in eâ inueniunt defensionis locum, arcem judicii ascendunt, ex eâque sese ostentant, non quasi vmbræ & phantasmata, sed

Obiectio scrupulosi.

quasi judicii jam formati commilitones & assecłæ, vt metum sui incutiant. Verùm mihi suffodienda est hęc arx, & phantasticis illis judicibus detrahenda fraus & auctoritas. Itaque vt obiectioni huic planè occurram,

Potest scrupulosus in materiâ quâ laborat iudicare se non iudicasse, sed meram habuisse apprehensionem mali.

Quartò affero, scrupulosum in illâ materiâ quâ laborat quantumcumque judicet judicasse se, mortale esse peccatum quod agebat, nihilominus posse judicium illud contemnere, eique penitus refragari. Istud enim sibi potest persuadere, neutiquam judicasse se, neque judicium sese efformasse, sed merâ mali specie aut apprehensione fuisse deceptum. Cùm enim ex centenis, imò & millenis vicibus, vix vnicâ eiusmodi hominum genus judicium & sententiam de rei agendæ bonitate aut malitiâ proferat, sed plerumque semper inter vtrumque hæreat dubitabundum & suspensum, malique impendentis specie perculsum; prudenter sanè scrupulosus sibi persuaserit, etiam tum apprehensionibus sese agi, cùm sibi judicium ferre videtur. Prudenter, inquam, id statuit, cùm ab ipso stet præsumptio; nam vt rectè fert juris regula, *præsumptio habetur ex consuetis*. Jam verò, etiamsi verè judicasset mortale esse quod agebat, tamen cùm ob cerebri intemperiem, phantasmatumque turbulentiam, plerumque, imò semper ineptus sit qui in illâ quâ vexatur materiâ, discernere liquidò possit, an judicium de actionis malitiâ tulerit, an verò mali apprehensione merâ fuerit agitatus; prudenter omninò statuet nullum à se latum esse judicium, sed falsâ tantùm mali specie fuisse irretitum: quæ quamquam in judicium videretur inclinare, tamen intra apprehensionis vanæ terminos stetit. Quod si verò ne hoc quidem sibi possit persuadere, indicium id est, non leuiter, sed insignitè admodùm ipsi læsum esse cerebrum. Neque huic aliud restat remedium, quàm vt sese prudentis viri judicio committat, eiusque in omnibus arbitrio acquiescat. 16.

Atque hoc modo arbitror affatim exposuisse me, quid agendum sit scrupuloso, cum scrupulis perurgetur, in rebus actionibusque præstandis quæ præmanibus adhuc sunt. Tractatu verò 11. dicam, quâ ratione agendum ei sit cum scrupulis, qui peractæ jam actioni superueniunt; anteactæ nimirum vitæ, Confessionibusque prætentis: quæ omnia ingentes nonnumquàm pariunt, non sine Dæmonis artificio tempestates. 17.

ſtates. Eas autem & examinabimus & discutiemus porrò deinceps.

§. III.

Ponuntur aliquot remedia generalia ad arcendos ſanandosque ſcrupulos.

18. INterim, vt quod res eſt fatear, cùm magna me teneat commiſeratio eorum qui morbo hoc, ſanè moleſtiſſimo conflictantur, operæ prætium me facturum exiſtimo, ſi prout jam expoſui, quo pacto ſcrupuloſis in ipſo ſcrupulorum conflictu & morbi quaſi paroxiſmo agendum ſit, nunc quædam generalia præcepta, ex infinitis quæ paſſim proponuntur, afferam, quæ quaſi medicinæ loco futura ſint & remedia, quibus tam importunum malum aut penitùs detergatur, aut ſaltem non modicè infringatur.

REMEDIVM I.

Medicinæ phyſicæ purgando melancholico aut pituitoſo humori nonnumquam adhibendæ.

19. AC primò quidem, cùm iſtud compertum ſatis ſit, & verò etiam Tractatu præcedente liquidò demonſtratum, ſæpiſſimè ſcrupulos ex naturali ſanguinis humorumque malâ temperie exortum ducere; vnde id etiam conſtat melancholicis aquaticisque corporibus eos faciliùs innaſci, & copioſiùs innutriri; vtpotè quibus genius ſit timidior, cerebri verò humorumque compoſitio viſcoſior & tenacior, ac propterea aptior quibus tetriora rerum ſimulacra, ſcrupulorum, inquam, ſemina imprimantur: hinc nullo modo dubitandum eſt, quin medicinæ phyſicæ quibus tenaciores humores diſſoluuntur, ſanguis reficitur, cerebrum purgatur, maximum etiam conductuæ ſint ſcrupulis remedium; vtpotè quibus fundamentum ipſum cui inſeruntur, & eſca quâ nutriuntur ſubducenda ſint quantociùs. Curato autem corpore,

Scrupuloſis ſæpè adhibenda ſunt medicinæ phyſicæ ad purgandũ ſanguinem melancholicum.

phantasiâque penitus defæcatâ, expeditiùs vires suas exeret, vaporibus antehac nimiis præpedita mens, & actiones omnes pro libero, quo tum pollebit arbitrio, commodè ac sine difficultate dispertiet. Quas autem medicinas corpori perpurgando, confirmandoque cerebro pro re natâ adhibere oporteat, meum non est id statuere, Medicorum id est munus. Istud experientiâ certum est, eos qui scrupulis agitantur, pro variâ anni tempestate, Lunæ mensiumque varietate, sanguinis denique affluxu aut detentione, validiùs etiam scrupulis impeti, tetrioribus rerum occurrentium simulacris terreri, cæcioribus denique animæ tenebris penitùs obuolui. Quod quidem ab eo qui scrupulosum curare desiderat, obseruandum est non indiligenter, ne frustra operam perdat, animum curare dum satagit, antequàm sanando corpori adhibita sit medicina. Et quamuis medicinam vllam particulatim præscribere non sit animus, cùm eæ pro variâ corporis, sexus, ætatis, morbique diuersitate à perito medico sit distinguenda, & temperanda; istud tamen generatim dico, eiusmodi homines moderatè debere viuere; neque iis vllo modo conuenire, vt vires corpori per longa & crebra jeiunia, asperiores membrorum afflictationes, diuturnioresque vigilias subtrahant. Euacuatur enim defatigatione nimiâ viuacior sanguis; & quod in aliis, vt vulgò dicitur, vacua præstat crumena & sine nummis, hoc in scrupulosis agit vacuus & sine debito nutrimento stomachus: vtrumque enim, vacuum facit esse cerebrum, sensus ad omnia torpidos, mentem turbidam, & phantasiam sibi malè cohærentem.

REMEDIVM II.

Non agat familiariter cum scrupulosis.

Scrupulosus cum scrupuloso non agat familiariter.

ALterum prætereà scrupuloso obseruandum, vt sibi sedulò à scrupulosi hominis commercio societateque caueat, quantumcumque modestus sit & vir pius. Contagiosus enim hic morbus est, & vbi materiam facilem inuenit, impressionisque capacem, etiam contactu nocet. Neque verò id quemquam latet, scabiosam ouem, quantociùs oui sibi simili scabiem affricare. 20.

Separandæ

Separandæ itaque profectò sunt quas malum tetigit, ne nimio commercio serpat longiùs, & in eas ipsas, quas malum corripuit, redeat & grassetur infestiùs.

21. Istud autem est prorsus admirabile, quòd si duo tantùm sint in aliquo hominum conuiuentium, aut etiam idem templum frequentantium cœtu, qui hoc morbo laborant scrupulosi, vix paruo interiecto tempore fieri, vt ii sese internoscant, familiaritatemque adeant facillimam. Istud quidem non miror ego, amicitia inter eos quòd coëat de facili; similis enim simili gaudet; & in hisce hominibus peculiare id est, quòd cùm religionem sanctitatemque ipsis spirare videantur scrupuli, magnum etiam ad conciliandos proborum hominum, & ad virtutem pari studio connitentium animos, habeant pondus. Coïre igitur inter eos tam facilè amicitiam, minimè miror. At verò quòd sese tam facilè scrupulosi internoscant, id sanè non satis capio: nihil enim tanto studio solent celare quàm scrupulos, neque quidquam ita exhorrent, quàm videri. Vnde ergo mutuum morbum tam citò detegunt, aut coniecturant? An aliquis existit ex scrupulis nidor, qui dum vtrumque præsentem complectitur, motus excitat in cerebro, vi magneticâ, aut amicâ quâdam humorum sanguinisque sympathiâ? Nescio quî id fiat, fit tamen quotidie. Suspicor ego, & verò etiam credo, Dœmonis hæc esse commenta & artificia. Vti enim dexteritate summâ, homini in peccata procliui & proiecto, occasiones peccandi solet obtrudere; conquirere, inquam, homines eiusdem genii, quorum consortio majoribus semper sceleribus implicetur: ita cùm ex aduerso hominem à sceleribus alienum, scrupulis videt oppugnandum, vt eum à tramite virtutis auocet; istud etiam magno opere satagit, vt ea ipsi obtrudat hominum commercia, per quæ certò scit, maioribus eum tricis scrupulisque quotidie inuoluendum, augendosque mutuâ familiaritate timores fanaticos & ineptos.

Diabolus procurat vt scrupulosi inter se fidenter agant.

22. Atque hinc petenda est ratio, cur scrupulos suos cum homine scrupuloso communicare, eiusque vicissim scrupulos audire nefas sit ei, ab hoc morbo curari qui vult seriò. Fugienda est, inquam, hæc oris animique communicatio, non secùs quàm homini orthodoxo, omnis cum hæretico euitanda est de religione disputatio. Est enim scrupulorum morbus, hæresis quædam moralis, & mentis peruicacia. Cùm autem, qui naturâ suâ timidus est,

Scrupulosi angent mutuos metus mutuis colloquiis.

est, & vitio suo scrupulosus, alienos metus intelligit, præsertim eius cuius virtutem æstimat, illicò & suos metus auget, & nouos veteribus adiicit. Timet enim ea, timeri quæ videt, & quæ anteà timenda esse minimè suspicabatur. Abrumpatur itaque eiusmodi commercium: neque morbos suos detegat scrupulosus iis, à quibus nullum malo suo remedium relaturus sit; sed contrà potiùs noua concipiet phantasmata, nouasque peccatorum species, per quas longè maximum suo malo adiiciet incrementum.

REMEDIVM III.

Scrupulosus nequidem secum de scrupulis multùm agat, disputet, aut deliberet.

Diabolus scrupulosis otium & solitudinem suadet, vtrumque cauendum.

NEque aliena tantùm de scrupulis declinanda sunt colloquia, 23.
sed & illa quæ quisque secum instituit. Hæc enim altera est Dæmonis techna. Vt scrupulosum hominem dementet faciliùs, ei solitudinem suadere nititur, & persuadere tandem vt rebus omnibus, functionibusque procul amandatis, multùm secùm agat, multa cogitet, multa expendat. Genio autem suo, cogitationibus, inquam, objectis indulgere scrupulosi mens dum incipit, tum verò velut agmine facto vndique irruunt rationes falsæ, peccatorum adumbratæ species, vani motus; totamque & phantasiam & animam simul infestant crudelissimè. Itaque otium, solitudinemque deuita studiosissimè, ne mens dum nihil agit, agatur in transuersum, atque agat pessimè.

Scrupulosus secum de scrupulis non loquatur.

Neque tacita secum de scrupulis trahat colloquia, præsertim 24.
nocturna; longè enim faciliùs ea te perdent, quàm aliena. Cùm enim naturâ suâ pauido id proprium sit, vt ea sibi semper obijciat quæ maximè metuit, sanè hanc tibi semper, quâ maximè vrgeris, proponet materiam, & sic excrescent phantasmata quæ metus faciunt. Rursus vt ne vanos esse credas, rationes vndique conquires fulciendis scrupulis; & cùm iis semper admixta sit superbia, bonaque suiipsius existimatio, nemini faciliùs credes quàm ipsimet tibi.

Tecum itaque de scrupulis ne colloquere. Id autem vt cla- 25.
riùs

riùs quid sit explicem ; ne, inquam, inquire an bene an verò malè fundata sint ea quæ obijciuntur animo ; an judicia sint quæ de rebus efformasti, an verò ludicræ fuerint mali species, & simulacra quæ phantasiæ oberrarunt tantummodò ; an primæ mentis comprehensiones, id est judiciorum lineamenta prima. Rursus, an rationes occurrentes fuerint certæ, an dubiæ, an saltem non probabiles. Hæc, inquam, & his similia, ne tecum age, abrumpendæ sunt penitus cogitationes hæ, neque diutius protrahendæ. Quantumcumque enim tibi videaris sapere, tamen id certò tecum statue, non esse te eâ mentis perspicacitate, hæc qui liquidò possis dissoluere. Intricatum est filum ; discindi potest à te, explicari verò sic vt plana tibi sint omnia, minimè: quò magis ea obuoluis animo, eò tricis hisce laberinthæis strictius inuoluêris, & intricaberis infelicius. *Quid sit secum de scrupulis loqui.*

26. An ergo inquies, actiones præteritas dum examino, discutere penes me non possum an blasphemis cogitationibus, aut impuris suggestionibus consenserim, an non consenserim ? Respondeo ; quòd si eæ scrupulorum tibi sint materia, & in quâ solita pateris animi tormenta, minimè tibi illis examinandis esse inhærendum. Verùm de examine Conscientiæ ritè instituendo, amplior Tractatu 11. dabitur disputandi locus. Istud nunc dico ; quoties scrupulosus non ita certus est de malitiâ actionis suæ jam peractæ, vt juramento affirmare audeat, se peccatum sponte suâ, absque vllâ incogitantiâ, & plenâ libertate commisisse, istud debet statuere, sese nullam actionis suæ peruersitatem voluisse, ac proinde non peccasse. Nam vt præclarè Bossius, *cùm scrupulosi non tantùm rationem, sed & vmbram peccati ita horreant, vt eius tantùm metu vexentur ; non est credibile, eos rem expressè vt malam aggressos fuisse, vel aggressuros, quamdiu scrupulosi sunt. Non enim simul stant tantus peccati horror, ac ab eò voluntatis auersio, & libera eiusdem, licet expressè præcogniti, volitio.* Ita ille. Quæ sanè in hâc materiâ vtilissima est sedandis scrupulorum motibus, doctrina. *Nec præterita multum examines.*

Boss. de Conse. n. 1084.

27. Saltem despicere possum inquies, in rebus adhuc agendis, quid licitum sit quid illicitum, rationesque vtrimque ad Conscientiæ meæ trutinam exigere. Ita tu quidem, qui nullum non prætextum scrupulis inducendis conaris obducere. Ast ego rursus assero, non istud oneris scrupuloso incumbere : satis sese deteget *Neque de faciendis actionibus multùm deliberet, licitane sint, an illicita.*

deteget actionis illicitæ malitia, etiamsi à scrupuloso studiosè non exquiratur. Quid hâc in parte aliis agendum sit tusè per aliquot Tractatus jam docuimus. Scrupulosis verò ab hâc indagatione abstinendum non minùs est, quàm ab illecebrosis blasphemisque cogitationibus; vtpote quæ haud paullò plus damni, præ his animo sint allaturæ. Illas itaque illicò discute; nam si tecum ipse agere incipias; rationumque hinc atque hinc militantium dissidia & momenta vis expendere, centum actutum præ foribus stabunt rationes, & cum singulis, centum scrupuli. Illud itaque ex indagatione illâ referes incommodi, vt qui in omnibus actionibus times peccati speciem, in omnibus etiam peccatum ipsum sis reperturus. Fingit enim sibi omnis timidus simulacra quæ timeat: sic qui mures expauescit, vbique sibi eos fingit: eosque dum fingit, non fictos sibi metus parit. Itaque ne cogitationibus eiusmodi, dum obueniunt, segniter & quasi per otium indulge: vires sumunt dum tractantur molliter & otiosè. Excute hæc prima scrupulorum semina quantùm potes: si non potes, patere; modo sponte tuâ, animo ea non reuoluas; illudque certò statuas, te ex scrupulorum motu nihil quidquam acturum imposterùm, sed forti ceruice jugum tam molestum, cùm res feret, strenuè excussurum.

REMEDIVM IV.

Agat contraria iis quæ à scrupulis suadentur.

Numquam cedendum est scrupulis, sed agenda iis contraria.

ATque hoc quidem quartum est remedium; aries enimuero fortissimus, quique expugnandis scrupulis necessariò debet admoueri. Nempe vt erecto animo, quisquis sanari vult, scrupulorum suggestionibus sese opponat; sic, inquam, agat, vt numquam iis obediat aut succumbat, sed alia potius omnia iisque contraria exequatur. Si repetendum Psalmum, aut Rosarij recitationem scrupulus oggerat, adeò acta non repetat, vt contrà potiùs pergendum sibi esse statuat, ideo quòd eiusmodi cogitatio menti inciderit; idemque in reliquis suggestionibus esto resistendi modus. Ratio in promptu est: cùm enim scrupulos plerumque à Dæmone aut suscitari, aut certè suscitatis hostem importu- 28.

importunissimum armari demonstratum sit, non aliâ sanè arte validiùs imbellis hostis fugabitur, eiusque terriculamenta infringentur faciliùs, quàm si fronte imperterritâ iis obsistas, obedientiamque omnem præfractè deneges. Vti enim non alius vllus Dæmone est ferocior, cùm vim à se illatam pro voto videt procedere; ita nullus eo imbecillior, cùm vis vi illiditur, arteſque suas videt esse despicatui. Atque hæc quidem bellandi forma, à Diuo Jacobo apertè traditur. *Resistite*, inquit, *diabolo, & fugiet à vobis.* Neque Dæmon tantùm fugiet, sed & phantasmata, ludicraque peccatorum simulacra quæ cerebrum infestabant, illicò dilabentur: & vti vanæ sunt sanguinis fuligines, ita & in auras quantocius euanescent: fouebuntur autem & vires à tuâ sument inertiâ, iis si per summam ignauiam succubueris, vti jam antè demonstratum est.

Iacob. 4. v. 7.

Contemptim agendum cum scrupulis.

29. Verùm cùm §. 2. multis hanc rem exegerim, ostenderimque scrupulis omnino semper esse resistendum, pluribus nunc supersedeo. Istud tamen penitus inculcatum volo, nihil admodum è cæteris quæ passim afferuntur remediis, adjumenti relaturum te, nisi hâc insistas viâ, scrupulosque imperterritus aggrediaris, fidem iis prorsus deneges, & importuna forti animo imperia excutias. Et vt planiùs exponam, quâ ratione id agendum sit; dico non liquidiùs & generosiùs id præstari, quàm si cum scrupulis contemptim agas & perfunctoriè, quasi si tam imbellis hostis sit qui conatus maiores, præclarioresque animi impetus, depellendis eius assultibus, non mereatur. Magni imprimis ad rem nostram emolumenti, erit, si rectè adhibeatur, hæc doctrina. Vti enim superbissimus est Dæmon, & in omnem assurgit arrogantiam dum timetur; ita non aliud tantoperè fugit commercium, quàm eorum, apud quos artes suas videt esse despicatui.

In quo consistat iste contemptus, declaratur.

30. Itaque dum scrupulis agitaris, iisque fortiter consensum negas, id tamen sic age, vt nec frontem contrahas, nec oculos occludas, nec eos detorqueas, nec caput agites quasi si muscas importunas abigeres. Ne ista quidem exultandi occasio danda est Diabolo, quòd saltem vexari te persentiscat; aliquod enim ex suis artibus tum ferret operæ suæ præmium. Verùm immoto prorsus corpore, quasi si nihil quidquam te circumstreperet, hære imperterritus; mente solâ age omnia, animum obfir-

ma, neque ore aut nutibus consensum denega (ridiculum enim te gesticulationes istæ facient) sed solâ voluntatis actione; sic vt Dæmon nihil eorum quæ aguntur intùs, persentiscat. Incredibile est, quantùm contemptus hic arrogantissimo hosti officiat, eiusque impudentiam succidat. Deinde; rationibus quibus scrupulorum justitiam conatur fulcire, ne respondes; multò autem minùs patere apud te de iis disputationem instituì, & quasi rem totam vocari in jus. Reiicienda inquam sunt hæc omnia per ingentem contemptum, quasi indigna prorsus quibus aurem præbeas. Ita age: rationibus enim, & respondendo si tumultuantem hanc belluam vis compescere, nequidquam ages omnia. Non aliâ melius ratione eius fastus & importunitas deprimitur, quàm tacendo. Consilium id est D. Antonini. *Scrupulos* inquit, *more canum oblatrantes, & lacerare minantes, non possumus melius compescere quàm per contemptum.* Præclarè in rem meam. Enimuerò in quantas exurgunt iras imbelles catuli, si quem, penes domum suæ custodiæ commissam, transeuntem viderint? accurrunt quasi si pedes viatori velint detrahere; clamant, fremunt, ringuntur, & latratibus totam implent ac turbant viciniam. Quid hîc agat, si sapit viator? sanè si cani respondeat, itinerisque sui rationem dare voluerit, innocentem se proclamet, neque quidquam domui se velle officere si cani velit persuadere, ac proinde non ita sibi esse oblatrandum; & tempus perdet, & majores in se caniculi excitabit clamores, neque quidquam à totâ viciniâ referet præmii, nisi risus & cachinnos, quod rationibus cani velit os obstruere. Quid ergo agendum est? Nihil prorsus. Clamet catellus, sic vt in rauim abeat infracta vox; viator nihilominus prosequatur iter tacitus, & securus sui. Defatigabitur tandem catellus, ponet iras, & nullâ re actâ, ad nidum se recipiet, ibique si libuerit, de victoriâ phantasticâ à se relatâ, plausum sibi faciet & triumphos. Interim euasit viator, & tutus agit res suas. Ita cum scrupulis agendum est, inquit Antoninus. Iis respondes, & colloquia cum iis miscet, si totâ illico turbatum vis domo: contemne, & tuta sunt omnia.

D. Antonin. part. 1. tit. 3. c. 10. § 10. reg. 6.

Comparatione petitâ à latratu catellorum explicatur res.

REME-

REMEDIVM V.

In formandâ contra scrupulos Conscientiâ, non rationis, sed tantùm Confessarii, & quidem solius & vnius judicium sequatur. Quomodò cum Confessario & à Confessario cum scrupulosis agendum sit.

31. VErùm quia præcipua quæ scrupulosis obuoluitur difficultas, tota fere in rectâ Conscientiæ efformatione consistit, id est in efformando judicio actionem quæ præ manibus est licitam esse aut illicitam, ad quintum ipsis remedium est recurrendum; nempè vt magnâ judicii sui submissione, prudentis sese viri aut Confessarii directioni subiiciant, ex eius mente arbitrentur, illiusque sententiæ cœcè obediant & acquiescant. Adeo vt si millenæ in contrarium rationes occurrerint, iis tamen prorsus contemptis, soli & nudæ Confessarii definitioni penitùs statuant inhærere. Quod si autem, vt Theologorum prorsus omnium fert sententia, scrupulosus, vnius prudentis viri judicium in efformando sibi Conscientiæ dictamine sequi possit impunè & innoxiè; sanè illud sequi non tantùm posse, sed & sæpenumero debere dicendus est: cùm malo suo adhibere medicinam quiuis debeat, neque alia supersit, si hæc non adhibetur. Jam verò, vti adhuc diximus, quamuis Confessarius errare, ac propterea clientem suum in materialem errorem possit inducere, nullius tamen noxæ reus erit quisquis sic errantem bonâ fide sequitur. Non enim aliud legitimè ab homine exigere potest Deus, quàm vt prudenter agat res suas. Prudenter autem actionem suam scrupulosus instituit, quam ex prudentis Confessarij mente designat: cùm alius ei modus non supersit, quo possit Conscientiæ suæ judicium efformare, & rectè statuere quid sit agendum.

Scrupulosus ex mente Confessarij sui sibi Conscientiam formet actionesque instituat.

Sæpe ad id tenetur.

Neque peccat si errantem bonâ fide sequitur.

32. Neque istud mihi regeras, multò te fortasse magis præ Confessario tuo sapere, probiùsque callere ea quæ Conscientiæ spectant jura. Nam quamuis fortasse speculatiuè sis sapientior, magisque peritus Theoriæ; practicè tamen, scrupulosus cùm sis, longè illo es inferior. Nam vt clarè loquar, ob cerebri intemperiem, angorem animi, metusque superfluos & intempestiuos,

Etiam doctior indoctiorem debet sequi.

non es is qui Theoriam praxi, & medicinam morbo ex arte possis attemperare, & suo tempore bonâque ratione applicare. Cede igitur quantumcumque sapias, & verè sapies. Sic Galenus ipse in morbum si inciderit, medici minùs experti judicio prudenter se subjecerit. Deprauata sunt enim plerumque quæ de se æger fert judicia, medicinæque applicandæ vim dum metuit, facilè sibi adulatur, & palpum facit: alieno itaque curandus est judicio, quantumcumque sapiat suo. Atque hoc præterea præclari habet ea Confessario suo subiicientis sese scrupulosi demissio, quòd sincerâ illâ humilique animi submissione, ingentes sibi à Deo gratias impetret, quibus tandem mentis peruicacia & superbia, quæ scrupulis plerumque est intermixta, retundatur, fugenturque peccatorum simulacra & phantasmata, quæ totam animi perturbant penitus concordiam & symmetriam.

Illa animi submissio magnas gratias impetrat ad sedandos scrupulos.

Verùm vt remedium hoc, quod tanti momenti est, scrupulosi morbo suo rectè applicent, sciantque quâ ratione Confessario, aut viro prudenti sese debeant totos credere, paucula quædam sunt obseruanda. 33.

A Confessario rationes dictorum ne exposcas.

Ac *Primò* quidem, definitionem rei agendæ aut omittendæ à Confessario scrupulosus petat simpliciter; rationes verò cur hoc aut istud statuat, minime exposcat. Eas enim si requirat, manifestum est non tam viri prudentis judicio, quàm rationibus & quidem à se approbatis velle adhærere. Hoc autem non est alieno duci judicio, sed suo: quod tamen scrupuloso minime expedit. Hinc istud est etiam Rodriquesii consilium, vt Confessarius, aut quiuis vir prudens à scrupuloso consultus, breuiter ei & summatim quid de re sentiendum sit respondeat, nec vllas confirmandæ suæ sententiæ rationes afferat: Nam si rationibus agere incipiat, illico arbitrabitur scrupulosus, alicuius momenti fuisse scrupulum quem proposuit; neque contemnendum esse existimabit quod tanti facere putat Confessarium, vt rationibus & quidem exquisitis inquirenda res fuerit. Itaque absistat rationibus, si ægro mederi vult, & sensum suum sic quasi per contemptum exponat, & quasi de re, de quâ minime fuerat dubitandum. Quòd si autem rationibus rem vult euincere, sanè scrupuloso non deerit quod rationibus reponat; tuasque cùm non perceperit, facilè suis adhæ ebit. Denique dum sic vtrimque contenditur, infigitur scrupulus memoriæ, sicut iteratis mallei 34.

Neque eas det Confessarius etiam rogatus.

Rodriqu. in opere mor. c. 129. n. 4.

mallei ictibus clauus parieti fortiùs impingitur, hæretque sic diutiùs & inualescit peccati simulacrum, id est scrupulus. Itaque quasi de plano agat Confessarius; credat scrupulosus, atque rationis omnis loco, sit istud Pythagoricum αὐτὸς ἔφα.

35. *Secundò*, nodum seu scrupulum Confessarius dum dissoluit, & tibi faciendum quid sit dum explicuit, caue imprimis, ne eiusdem aut similis rei gratiâ, aut libros, aut Confessarium à primo alium consulas. Nam vti disertè Nauarrus, Layman, Franciscus Lugo, & alii Theologi, non aliâ ratione tam facilè innodantur scrupulosorum animi, quàm si plures adeant, quorum placita expiscentur. Cùm enim totus animæ status, cerebri constitutio, scrupulorumque quibus agitantur implexus varii, iis quos consulunt penitus perspecti non sint; facilè dicunt aliquid quo consulentis mens percellitur, aut quod scrupulosus in rem suam trahat, atque exinde suis scrupulis, quantumcumque ridiculis, adjiciat incrementum. Imò Confessarii prioris apud eum auctoritas diminuitur, eique posthac statuit non tam facilè esse credendum. Quæ sanè pessima est scrupulosi affectio; cui si insistit, malum fiet omninò incurabile. Nam rursus si secundus hic deinde pro re natâ, ea respondeat quæ scrupuloso minùs arrideant, tertius adibitur; deinde quartus; tandem decimus & centesimus, nullusque omninò satisfaciet; & sic denique credetur nulli. Neque aliud circumcursitationis tam variæ præmium referetur, quàm quòd tam diuersis responsis, quasi laberinthæis plexibus inuoluenda sit mens, è quibus denique non dabitur eluctari. Nihil est adeò tritum, quàm nonnisi claui vnicæ, aut quæ eiusdem sit structuræ, committendam esse seram. Quod si alterius formæ clauim inserueris, refractariam seram inuenies; & quod peius est, prout variis implexibus efformatæ sunt claues singulæ, ita singulæ variam seræ impriment vim; cui si valdè insistis, distorquebitur tandem interior seræ conformatio, aut frangetur aliquod retinaculum; & sic tandem etiam ordinariæ claui, fiet porta penitus imperuia. Vsitatis itaque vtere consiliis, & eorum quibus animi tui plexus, scrupulorumque amfractus perspecti sunt. Agent ipsi pro rei opportunitate prudenter, & è re tuâ. Denique istud scias, toties & à tam variis consilia dum exquiris, euidens esse, Confessario tuo parum quòd fidas; non fidis autem, quòd contraria tuæ sententiæ respondeat. Id autem arrogantiæ & peruicaciæ signum est

Plures de eâdem re consulturus non adeat scrupulosus.

Incommoda quæ indè sequuntur. Primùm.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

est manifestum. Eam autem vt retundat & puniat Deus, permittit variis quas exquiris responsionibus, magis & infestiùs excruciari te; vt tandem cœco modo discas obedire, vnamque quâ solâ curari potes, exercere animi demissionem.

Ne cum Confessario quidè multùm agat de scrupulis.

Tertiò, ne apud Confessarium quidem aut multùm aut sæpè de scrupulis agendum est. Inculcatur enim, vti dixi, & fortiùs phantasiæ scrupulus infigitur, quoties tangitur. Idcircò non ostendat Confessariùs sese admodùm studiosè scrupulos suos enarranti attendere, quasi si de re magni momenti agatur; nullo autem modo circumstantias aut petat, aut exaggeret, aut clariùs sibi explicari postulet: imò non tangat quidem. Multò etiam minùs veteres scrupulos objiciat aut exponat. Sinat consulentem primâ vice vtcumque dicere res suas, frita videatur, ne animis despondeat si se extemplò rejectum suspicetur: est enim suspicionibus admodùm obnoxium eiusmodi hominum genus. Sed vti dixi, non tangat is qui consulitur, ea quæ scrupulosus non tangit. Nam vt rectè Caietanus, in lapidum acervo qui temerè conjectis in struem saxis in acumen assurgit, non facilè lapidem aliquem tetigeris & loco moueris, quin illicò superior cumulus corruat, & deuolutis lapidibus abeat in ruinam. Sanè scrupulosi hominis cerebrum, non nisi phantasmatum & scrupulorum temerè congestorum, malèque inter se cohærentium strues est & congeries. Vnum si moueas, moues omnes: & vbi, cùm non tangebantur, aliqua saltem erat animi tranquillitas, vtcumque scrupulum vnicum moueris, actutum omnes agitari incipient, & toto cerebro fiet fragor. Itaque nè tange quæ quieta sunt, vt quieti reddas ea quæ temerè mouentur. 36.

Neq; Confessarius veteres scrupulos tangat.

Caiet. v. scrupulorum medicina.

Scrupulosus suo marte scrupulos discat superare.

Quartò, dum res definita jam est à Confessario, statutumque quid agendum sit; v. g. jeiunandum non esse, carnibus vescendum, tali cultro & non alio scindendum panem, Confessionem veterem peccatorum non esse repetendam, & cætera huiusmodi: hæc, inquam, dum ita constituta sunt; & sese occasio obtulerit quâ hæc in praxim sunt redigenda; tum verò si, vti semper fit, scrupuli insurgant valideque increpescant, nullo modo inducas animum; vt rursùs aut consilii aut solatii gratiâ Confessarium adeas; verùm cùm satis superque quid porrò agendum sit scias, tuo marte tibi scrupuli superandi sunt, tuis tibi pedibus est incedendum, neque infantis ad instar recurrendum est ad vehiculum, 37.

aut

aut brachium alienum. Numquam scrupulos expugnaueris, nisi tuis solùm viribus eos didiceris oppugnare. Numquam tibi gressus si mabitur, nisi desertis alienis humeris, tuis cœperis pedibus insistere. Id autem non agis, cùm in re tam apertâ, auxilii causâ ad Confessarium tam sollicitus accurris. Neque dicas aliquorum fortasse oblitum te, aliqua non intellexisse, circumstantias denique fortassis esse immutatas; scrupulorum hi prætextus sunt, & velamenta ludicra. Age quod agendum nosti; & cùm peracta res fuerit, Confessario expones reliqua.

38. Quòd si verò sæpiùs eiusdem rei interrogandæ gratiâ, redeat scrupulosus, tum verò ex Molinæ, Azorii, Vasquesii, & aliorum consilio, consulentem se non admittat, satis superque de re deliberatum esse seuerus edicat, nihilque prætereà apponendum. Repeti verò Confessiones præteritas, aut de integro institui generales, minimè patiatur, quocumque demum sub prætextu. Neque sinat se precibus inflecti nequidem grauissimis, ne si lachrymæ etiam precibus fuerint intermixtæ. Ferociam interpretetur scrupulosus: interim seueritas illa, si rectè rationem quam dixi tenet, summa est clementia, atque optimus scrupulos curandi modus. Numquam illi acriùs recrudescunt, quàm cum blandâ tractantur manu. Quid est autem iis ablandiri, imò & cedere, quàm eorum impetu abripi, & semper rem peractam, quasi actam malè, de integro velle reficere, ideò quòd ita agendum dictent scrupuli? Non itaque mirentur scrupulosi, aut quòd nullum à Confessariis aliquando responsum referant, aut quod à confessionibus repetendis seueriùs arceantur. Ita enim illi dum agunt, prudenter agunt; nolunt enim fouere scrupulos, quorum acrimonia magis accenditur, quò iis faciliùs ceditur, & sæpiùs obeditur. Neque verò mirari oportet, si ne vnicâ quidem vice importunitati tuæ velint cedere, neque aures postremùm de hac re confessuro accommodare. Nam quantumcumque vltimas eas fore vices, quibus de scrupulis qui tibi tum occurrunt acturus sis, bonâ fide pollicearis, ne jurato quidem credendum est tibi. Nouimus eas artes, nouimus scrupulosorum hominum, hâc in parte, quam valida sint juramenta, & quanta iis adhibenda sit fides. Ego certè homini in ebrietatem projecto & crapulæ enutrito, juranti vltimum fore hodie quod se inebriet, malim credere, quàm scrupulosis illis, se ab hâc, quam extorquere conantur confessio-

Neque à Confessariis si sæpiùs eãdem ob rem redeant admittantur.

Molina de justitia to. 4. disp. 13.

Scrupulosis asserentibus vltimã hanc fore confessionẽ quam exigunt, nullo modo est credendum ne juratis quidem.

nè, si audiantur, deinceps destituros, sanctè pollicentibus. Istud enim ebriosorum hominum juramentum vino si inscribitur; sanè scrupulosorum pollicitatio, fumos redolet. Vtraque fluida; fumorum verò magis euanida est materia.

Neque verò hæc à me dicta sunt, vt Confessariis præcepta dem; 39.
cùm eos esse sciam, qui harum rerum longè sint expertissimi; sed vt scrupulosi intelligant, è re suâ esse nonnumquam, si præter expectationem fortassis excipiantur duriùs. Sciant enim non sine grauissimorum auctorum consilio, eam à Confessariis agendi rationem iniri; quòd non alia æquè præsens medicina suppetat, importunissimæ huic ægritudini quâ occurrant. Quando autem, & quo applicanda sit modo, id verò eorum prudentiæ est relinquendum.

REMEDIVM VI.

Non sit nimiùm sollicitus de salute, nec nimiam adhibeat peccatis venialibus fugiendis curam.

Non nimiũ de salute consequendâ sis solliciius.

IAm verò, cùm istud etiam certum sit, scrupulos plerumque è 40.
metu salutis æternæ consequendæ enasci, sextum curandis scrupulis remedium, anxio huic timori adhibendum est, sedulòque curandum vt nimiæ illi sollicitudini non modicum temperamentum afferatur. Quod vt facias, illud tibi sit persuasissimum, nimiâ te peccatorum venialium euitandorum curâ distineri, longeque majori quàm Deus à te exigit. Hæres hîc satis scio quasi mente attonitus. Et quid hocce demùm rei est inquis? an ergo nimia potest esse salutis cura? an nimium perpurgandæ animæ studium? an nimia cælum tenendi sollicitudo? Possunt sanè hæc omnia esse nimia. Neque enim quisquam mihi negauerit, viatorem & de viâ nimis auxium esse posse, & de consequendo quem petit termino nimis sollicitum, maioremque adhibere posse diligentiam, quàm quæ exigitur. Si enim dum commodè incedendo ad optatam metam datur peruenire, summo sese conamine in pedes conjiciat, cursumque ita acceleret, vt spiritu demùm intercepto anhelus concidat; nec iter inceptum posthac aut lubeat emetiri, aut si lubeat, præ virium tamen imbecillitate non possit nisi

summo

summó cum incommodo, is profectò nimium in re bonâ consequendâ studium adhibuisse meritò censebitur. Neque minùs nimii studii nimiæque sollicitudinis in cælesti patriâ obtinendâ impensæ reus est, qui ita in viam incumbit, vt vires animæ præpediat, præ lassitudine langueat, & victum tœdio dimittat caput. Hoc enimuerò tamdem præstant scrupuli: studium excitant quo exederis; sollicitudinem afferunt, quâ consumeris; plurima virtutum exercitia præpediunt; vires infringunt; tœdium viæ afferunt; sic vt animis prorsus abiectis, ab itinere feliciter instituto tandem abstineas. An non hæc nimia dicenda est cura?

41. Rursùs, an tantam fugiendis peccatis venialibus curam à Deo exigi arbitraris, quàm tute tibi temerè fingis, & planè præter rem? Quasi verò ea mens sit Dei, vt singularum quæ fortè occurrunt cogitationum apices persequaris, iis insidieris, eos voluas reuoluas, excutias an fortè peccatum quid sit? deinde vt singula quæ proferenda sunt verba ponderes & appendas; & ne pedem quidem manumúe moueas, imò nec oculum detorqueas, nisi præmeditatò actionibus omnibus pondus dederis, certamque quousque extendendæ sint mensuram? Denique, vt paucis dicam omnia, an ea Dei mens est, vt euitandis eluendisque peccatis etiam minimis, quæque aciem prudentis viri fugiant, totos impendas non tantùm dies, sed & cerebrum lædas tam immaniter, vt rebus quæ tibi incumbunt ex munere non attendas, eaque agas quæ viro sapienti risum moueant, imò & quæ perculsi aut maleferiati capitis aperta sint indicia? *Neque nimiam in peccatis venialibus vitandis curam adhibeat.*

42. Minimè gentium; non tale studium vitandis maculis exquirit Deus. Imprudens omninò, & prætet modum omnem & rationem est eiusmodi sollicitudo, vtpotè quæ humanas vires, ingeniique nostri exilitatem longè superet. Deus autem nihil imperat quod prudentiæ aduersetur, aut quod rectè agentem obruat & penitùs terræ affligat. *Iugum enim meum suaue est*, inquit, *& onus meum leue.* Non igitur à Deo impositum est quod sibi scrupulosi fingunt onus, quodque reipsâ ostendunt esse prorsus intolerabile. Curam salutis exigit, sed prudentem & moderatam, moralem passim vocant; & benè: vtpotè quæ talis sit, quàm moris sit à prudentibus viris agendis rebus adhiberi. Non igitur dissolutus sit animus; sed ne ad minutias etiam nimium *Sed moralem, qualē prudentes solent.*

Matt. 11. v. 30.

miùm contrahatur. *Viam mandatorum Dei currebat*, Dauid, *sed cum dilatasti*, inquit, *cor meum*. Neque speciei aut formæ suæ curam omnem abjecisse dicenda est virgo, quæ non totos dies inhæret speculo, vt minimos in vultu detegat næuos, vt diffluentem in comâ crinem minimum subigat, & in ordinem, probè distortum & castigatum, redigat. Non est hæc formæ cura, sed vana & ridicula superstitio. Psal. 118.

REMEDIVM VII.

Peculiariter contra scrupulos, tamquam contra Diaboli tentationem, Deum oret.

Oret scrupulosus enixè vt ab hac tetatione Diaboli possit liberari.

DEnique cùm tanta sit Dœmonis vafrities, vt semper penè sese scrupulis interserat, eos aut moueat ipse, aut motos in immensum augeat; falsisque rationibus quasi pigmentis adulteret, vt aliquam saltem boni præferant similitudinem; istud tandem postremum est remedium, vt scrupulosus sincero animo ad Deum per orationem confugiat, eiusque, contra Dœmonis insultus, auxilium seriò imploret. Præsentissima hæc est medicina; scrupulosis tamen rarò vsitata, quòd sibi à Diabolo hæc esse terriculamenta, vix aut ne vix quidem persuadeant. Hâc tamen arte ad superandam importunissimi hostis vafritiem vsus est Dauid. Deficiebat animis tantus vir; *Contristatus sum*, inquit, *in exercitatione meâ, & conturbatus sum à voce inimici*. Quid deinde? *Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine*, precibus nimirum intentus & Deo. Vt quid? *Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritûs & tempestate*. Hâc igitur viâ insiste. Defatigari tibi mentem scrupulorum aculeis dum persentiscis, precibus insistendum est, alia agere dum non potes. Et primò quidem imbecillitatem tuam supplex agnosce; fatere quod res est, non esse Dœmonem hostem eum, qui viribus tuis sine Diuino auxilio exæquetur, neque parem te esse qui assultus tam efferos vafrosque excipias. Hac sanè animi demissione fauorem tibi cælestem demereberis; viamque tibi sternes, quâ consilia tibi à Confessario applicanda promptus

43.

Psal 54. v. 3.

v. 8.

v. 9.

Fateatur imbecillitatem suã.

&

& cum fructu excipias. Deinde lumen exposce quo technas vaterrimi insidiatoris detur internoscere ; quo sanctissimam Dei voluntatem sine errore vllo & fallaciâ detur intueri ; quo denique dissipentur nubes illæ, quæ tenebras inducunt animo , & phantasmata discutiantur quæ tantos hactenùs fecêre metus , tantamque pacatæ menti induxêre tempestatem. *Et diuina gratia lumen exoret.*

44. Hæc si pro virili egeris , seriò & constanter ; aderit profectò aliquando tandem expetita mentis serenitas & pax. Sin autem ; tum sanè contrahendi sunt humeri , sufferendum est durissimum quod à scrupulis infertur bellum : magno tamen & erecto animo ; cùm certum illud sit , non passurum misericordem Deum , *tentari vos supra id quod potestis* , sed vt testatur Apostolus , *faciet etiam cum tentatione prouentum.* 1.Cor.10. v.13.



SECVNDVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Laudare benè agentem voluntatem.

TRACTATVS IX.

DE TESTIMONIO ET LAVDE CONSCIENTIÆ.

Gloria & honor & pax omni operanti bonum. *Ad Rom.* 2. *v.* 10.

Gloria nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ; quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conuersati sumus in hoc mundo. 1. *Cor.* 1. *v.* 12.

Laus quam Conscientia de re bene actâ voluntati tribuit, solida est & licita. Neque ab eâ manis gloria, sed verum sincerumque Gaudium mentis exoritur.

PROOEMIVM.

Duplex Conscientiæ munus.

PRimam ratiocinationis nostræ partem exegimus, eamque difficillimam: è præruptis montium euasimus in planiora; & sic placidior faciliorque deinceps decurret oratio. Duo Conscientiæ esse munia jam dudum diximus. Primum quidem de actionibus præstandis statuere

tuere agendum quid sit, licitumne sit eas exihibere an illicitum; ac proinde in rem trahendæ num sint, an verò ab iis penitus desistendum. Alterum quod Conscientiæ competit, est de actionibus jam peractis ferre judicium, illudque decernere, an benè sint præstitæ an verò perperàm. Primum jam absoluimus; secundum nunc aggredimur explicare. Verùm istud etiam perpendendum est, quòd quamuis in actionibus quæ agendæ sunt decernendis, vnico tantùm modo munus suum Conscientia exequatur, qui totus hoc vno dictamine absoluitur, præstandam hanc quæ proponitur actionem videri aut non præstandam, agendum aut non agendum: tamen præstitâ jam peractâque actione, plura sunt Conscientiæ officia, ad quæ eius jurisdictio exercenda extenditur. Sic sanè Legislatoris, aut Regii Senatûs, in præcipiendis ferendisque legibus, vnica tantùm est actio; legis nimirum efformatio eiusque in populum diffusa declaratio, quâ cunctis fiat manifestum quid ab iis requiratur. At verò circa actiones populi jam præstitas, non vnûm est aut Regis, aut Judicis, aut Senatûs officium. Nam aut laudare rem, benè peracta si sit, debet, præmiisque bene agentem afficere; aut castigare, si lex obseruata non fuerit. Hoc verò vt agat, inquirendum est in scelera, testes examinandi, corrigenda denique quæ Reipublicæ inusta est labes. Ita prorsus varia exercenda sunt Conscientiæ munia, vt de actionibus jam peractis, officio suo faciat satis. Persequemur paulatim singula. Nunc verò istud demonstrandum est, cùm benè peracta est actio, legique quam Conscientia tulit factum est satis, munus eius esse laudare Voluntatem, eique de re bene actâ gratulari. Vnde istud existit commodi, vt tota mens Gaudio perfluat liquidissimo: neque tamen inanem hanc esse vanamque gloriam, sed solidam omnino, eamque cui, quam in hac mortali vitâ habere possumus, beatitudo superstruatur.

§. I.

Ea quæ præcedentibus sex Tractatibus sunt explicata, breuiter & summatim exponuntur.

OPeræ prætium me facturum existimo, si antequam pergam, ea quæ diffusiùs jam dicta sunt, summatim colligam, & in exiguam contracta epitomen, vno velut oculo conspicienda obiiciam. Unde id existet commodi, vt & ante actorum facilior futura sit recordatio, & eorum quæ dicenda sunt liquidior sit, & apareat quasi concatenata connexio. 1.

Conscientia est voluntatem dirigere

Primum itaque Conscientiæ munus explicauimus. Quæ cùm nobis ad instar Padagogi à Deo præfecta sit ex mente Epicteti, ita eius primum officium est, Voluntatem quæ naturâ suâ cœca est, quasi manu ducere, agenda designare, de fugiendis admonere & instruere; idque non generatim docendo quid licitum sit in genere aut illicitum, sed particulatim quid in quâuis actione quæ præ manibus est, obseruandum sit vt fiat bene, aut vitandum ne fiat malè. Quòd si Conscientiam, cum D. Gregorio Nazianzeno, mauis dicere *Tribunal domesticum*, legislatorem nominas. Aut vt pressiùs loquamur, eius munus est, legem à Deo latam Voluntati intimare & porrigere, eamque peculiaribus actionibus applicare. Si denique cum Theologis Conscientiam statuas esse *Proximam regulam actionum humanarum*, tum verò dicemus, remotam quidem supremamque regulam, cui humana omnia commensuranda sunt & adæquanda, esse legem voluntatemque Diuinam, cui vti omnia, ita & Conscientia, vt debitum ordinem habeat, debeat conformari; at verò proximam regulam & amussim, ad quam singulæ actiones exigendæ sunt & expendendæ, Conscientiæ dictamen esse, seu judicium quo certò statuit, hîc & nunc actionem hanc esse licitam, Diuinæque Voluntati penitùs conformem, aut saltem ab eâ minimè dissentire. 2. Vide auctores hos citatos in Tract. 2. §. 1.

in actionibus particularibus.

Et quidem tantæ auctoritatis esse diximus hanc à Conscientiâ latam sententiam, vt quamuis indubitata lex sit Deum colendum esse & amandum, obseruandam esse justitiam, jus suum cuique tribuendum; tamen nulla Voluntati speculatiuas hasce veritates 3. Tract. 1. §. 3.

veritates sequendi incumbat necessitas aut onus, nisi reipsâ Conscientia voluntati denuntiet, & quasi præcipiat, hîc & nunc colendum esse Numen; hanc quæ præ manibus est actionem legi esse subiectam; hoc jus dicendum; hanc denique seu Deo, seu sibi, seu Reipublicæ, seu proximo obseruationem, aut obsequium, aut reuerentiam esse exhibendam. Istud igitur primum Conscientiæ officium est, Voluntatem actu seu reipsâ instruere, & velut cæcum, ne cespitet aut labatur, per plana & aperta, quasi manu ducere.

4. Jam verò eam ex aduerso etiam esse Voluntatis obligationem docuimus, vt semper peccet, quoties Conscientiæ ducentis arbitrium non sequitur, & ab eo distracta in alia abit omnia; numquam autem peccet, quoties bonâ fide, ducenti se Conscientiæ obtemperat. Quod non tantùm locum habet, vt tum solummodò peccasse te credas, dum Conscientiæ, veram Dei legem quæque reipsâ obliget, obtendenti non pares; sed etiamsi ipsa per merum errorem, inuincibilem tamen, alia prorsus omnia, quàm quæ lex Diuina fert, facienda proponat, peccas nihilominus si ei refragaris: & contrà, impune & absque peccato sic errantem sequeris. Agis enim omnino prudenter, neque vitio vertendum est Voluntati, quòd agit inuita, aut saltem mali nescia. Sic profectò non imprudenter agit cœcus, qui ducem suum, de cuius perfidiâ nulla vmquam ei incidit dubitatio, bonâ fide ducentem sequitur, etiamsi à viâ aberret. Istud enim nequit discernere cùm cœcus sit; neque alium percipit ducentis impetum seu recto, seu deuio ducat itinere; vtrobique manu ducitur. Ducis autem est de viâ discernere, cæci verò illi insistere, per quam ducitur. Sic quamuis mentiri sit semper illicitum; si tamen Conscientia dictet mentiendum esse, quod sincerè, licet per errorem, judicet tuendæ vitæ, seu suæ seu alienæ, à mendacio petendum esse patrocinium; errat quidem Conscientia, non peccat tamen voluntas mentiendo: imò nisi mentiretur, malè ageret, quòd Conscientiæ dictamini, quamuis erroneo non obediat, cùm nulla de commisso errore menti incidat suspicio. Plana sunt hæc omnia, cùm fide bonâ agitur, cùm error non est culpabilis, aut ignorantia studio quæsita & affectata; cùm denique judicium Conscientiæ, quod de actionis bonitate fertur, certum est, neque vllâ dubitatione, aut mentis vacillatione intermixtum.

Voluntas obligatur Conscientiæ suæ dictamen certum sequi. Nec peccat etiamsi erret Conscientia.

Tract. 3. §. 2.

Tract. 3. §. 4.

Tract. 3. §. 8.

Cum probabiles sunt opiniones, Conscientia eligere potest vtram vult.

Quia verò non rarò fit vt de actionis peragendæ bonitate aut malitiâ, certum planè indubitatumque Conscientia nequeat judicium ferre: *primò* quidem, quòd pro vtrâque parte rationes stent vtrimque probabiles: eo in euentu, dixi, vtram vult, seligere posse sententiam, eamque sequi sine vllo prorsus peccandi periculo. Fusè hæc à me disputata sunt. 5. Tract. 4. & 5. toto.

In dubio sequendum, id quod tutius donec deponatur dubium.

Secundò autem, cùm hæc judicii certi suspensio, ortum nonnumquam ducat ex eo, quòd rationes sint ejusmodi vt nullum ne probabilem quidem in alterutram partem assensum queat elicere; vnde dubiam hærere mentem necesse est; tum verò dixi in tutiorem partem inflectendum esse dictamen Conscientiæ, illudque amplectendum quod est securius, quamdiu dubia manet res, neque veritas potest euinci. Istud autem dicitur tutius, quod sine peccati periculo fit aut omittitur, dum contrarium non nisi cum discrimine peccati, saltem materialis, committendi exhibetur. Sic quamdiu dubitas an jejunii lex hodiernum diem afficiat, abstinendum est carnibus donec de veritate rei constet. Nullum enim peccatum committitur, si carnibus non vescaris, etiamsi dies jejunii non sit; infringetur autem lex, si verè dies hic à lege jejunio fuerit designatus. 6. Tract. 6. §. 2. 3.

Si dubium deponi non potest, tum ex possessione aut iuris præsumptione decidenda est res.

Quòd si verò rebus omnibus bene expensis, examinatis & discussis, nihilominus dubia manet res, nec in alterutram partem, ne probabili quidem ratione veritatem datur assequi, tum sanè ex possessione, jurisue præsumptione, vti in foro externo & politico, ita & in foro interno seu domestico, efformanda erit Conscientiæ sententia, eique addicenda parti, pro quâ hæ stant. Sic si nocte diem inter Jouis & Veneris, dubitatio inciderit an sit hora noctis duodecima; quâm diu de rei veritate constare non potest, pro libertate vescendarum carnium ferenda est sententia. Certa enim possessio pro libertate stat, quam septimanâ totâ liberum obtinebat arbitrium: legis autem dubium est adhuc jus. Quòd si autem nocte quæ Dominicam à Sabbatho dispescit, inciderit hæc dubitatio, carnibus omnino est abstinendum; lex enim quæ totodie Sabbathino carnium vsum vetuit, possessionem obligandi obtinet; ea autem non elidetur, nisi certò judices Dominicam illuxisse; id verò non judicas, quamdiu dubitas de totâ re. 7. Tract. 6. §. 4. 5.

Tertiò denique, quia contingit sæpissimè; vt scrupulis agitata mens, 8.

mens, falsisque peccatorum simulacris præpedita, nullum, saltem quod sanum sit, de actionibus instituendis proferre possit arbitrium; postquam naturam geniumque huius morbi sanè miserandi exposui, tandem istud ex peruulgatâ Theologorum omnium sententiâ, dixi, contemnendos esse omnino, non tam Conscientiæ, quàm à Dæmone ingestos aculeos, & vt latratus catelli habendos despicatui. Quinimò adeò iis non cedendum, vt contraria omnia agenda sint, mente impauidâ & imperterritâ. Ut autem Conscientiæ dictamen certum & indubitatum, quod omni actioni præmittendum est, rite scrupulosus formet; suo id marte si non possit effingere, ex viri prudentis aut Confessarij id formet arbitrio. Neque tamen à Conscientiæ suæ dictamine aut judicio, eo in euentu abibit, cùm judicare istud possit, alienam sese posse in arbitrando sequi sententiam: & cùm possit, etiam sæpenumerò debere; cùm alia curandis scrupulis, formandæque Conscientiæ ipsi non suppetat medicina.

Tract. 7. toto. — *Scrupuli contemnendi sunt & agenda iis contraria.*

ibid. §. 2. — *Ex viri prudentis judicio Conscientiam formare potest, imo sæpe debet scrupulosus.*

ibid. §. 3. Remedio 5.

9. Et hæc quidem summa est eorum quæ sex præcedentibus Tractatibus sumus complexi: quibusque primum Conscientiæ officium, quod in dirigendis actionibus quæ adhuc præstandæ sunt totum consistit, vtcumque expossuimus. Ad alia itaque faciamus gradum.

§. II.

Solius Conscientiæ est peractis actionibus laudem dare, cui Voluntas tutò potest acquiescere. Declaratur quænam judicia humana æstimanda sint, quæ contemnenda.

10. OPus propositum Voluntas pro libero quo pollet arbitrio cùm peregit, tum verò ad secundum muneris sui exercitium Conscientia accingitur: siquidem omnis animæ libera actio, prout ex Conscientiæ dictamine instituenda est & dirigenda, ita postquàm peracta est & in rem deducta, rursus ad Conscientiæ tribunal est reuocanda, vt eius judicium subeat, malène fuerit transacta an verò benè. Et siquidem benè actum fuerit, approbatur opus; & Voluntas, quasi pro rostris, legitimè laudibus à

Conscientia est actionem præstitam approbare, & laudare voluntatē

Conſcientiâ extollitur : quibus tota mens delibuta, Gaudio perfunditur incredibili, & tamen ſincero & ſolido: vnicum quod Conſcientia pro re benè actâ conferre poteſt præmium. Sic tamen vnicum, vt nullum prorſus illi, aut pretio, aut ſtabilitate, aut etiam voluptate poſſit comparari: imò ſi hoc deſit, reliqua omnia nullum operæ dicenda ſunt præmium, adeoque cum D. Paulo habenda *pro minimò*, imò etiam pro nullo 1. ad Cor. 4. v. 3.

& quidem ſolius Conſcientiæ legitimum id munus eſt.

Sic certè Pædagogi munus eſt, non tantùm clientis ſui manum ducere, rectè ſcribendi dare præcepta, characteresque efformandos præſcribere; ſed & ea quæ à puero ſcripta ſunt diſcutere, & quæ corrigenda ſunt diſpungere. Sin verò rectè ſe habeant omnia, characterum apices benè ſi ſint expreſſi, linearum ordo probè exaratus, & quod propoſitum eſt exemplar accuratè obſeruatum ſi ſit; tum ſanè & laudare accurationem pueri, & verò etiam pro re & tempore præmio clientem debet afficere. Quamquam non aliud magis ſit puero expetitum, ſi ſit ingenuus, quam gaudium quo geſtit, Pædagogo ſua probari quòd perſentiat. Eius enim approbationem maioris facit, quàm vllius cuiuſquam alterius, qui characteres à ſe exhibitos laudibus extolleret. Neque ſanè domeſticorum omnium mira de ſe prædicantium dictis acquieſceret, ſi vni tantùm diſplicere ſe ſciret Pædagogo. Huic cùm ſatisfacit, ipſe ſibi ſufficit, etiamſi in ſe laudando reliqui omnes deficiant. Sapit profectò puer ita cùm ſapit; tota enim ei res eſt cum Pædagogo, cuius curæ ſe nouit eſſe commiſſum, neque ab alterius cuiuſquam domeſtici nutu aut imperio dependere. II.

Hæc itaque tenenda eſt agendi ratio. Pædagogum animæ præpoſitum à Deo, Conſcientiam eſſe jam diximus. In hanc igitur figendus eſt animæ obtutus, hæc obſeruanda eſt vnicè, vt rectè ſtatuas, in te ei quid diſpliceat. Aliorum ſi tibi præterea judicium adjicitur benignum & placidum, ægrè id quidem ferendum non eſt; ſin verò non adjicitur, ferendum id ſanè eſt perquàm leuiter, neque vulgi ſententiis eſt ſuccenſendum. D. Ambroſii præclarum id eſt monitum. *Non ſecundùm forenſem abundantiam*, inquit, *æſtimanda eſt beatitudo ſingulorum; ſed ſecundùm interiorem Conſcientiam, quæ innocentium & flagitioſorum merita diſcernit, vera & incorrupta pœnarum præmiorumque arbitra.* En vt quæ à me de ampliſſimâ Conſcientiæ jutiſdictione 12. D. Ambr. l. 1. off. c. 12.

Conſcientia eſt vera arbitra actionum; errare non poteſt.

dicta

dicta sunt, suo calculo firmet Ambrosius. Etenim *vera* prorsus est, imprimis innocentiæ aut flagitii, ac proinde pœnarum præmiorumque *arbitra*. Cùm enim voluntas errare non possit, sic vt ei culpæ vertatur, si Conscientiam sequitur, eiusque regulæ seu dictamini adæquatur vt antè ostensum est; sanè nemo quisquam potest veriùs, & manifestiùs discernere an Conscientiæ ductum voluntas secuta sit, quàm ipsamet Conscientia quæ cœcam duxit. Neque verò vllius judicio euidentiùs scies, an dictamini Conscientiæ tuæ, tamquam regulæ recti, actionem applicueris, quàm ipsius Conscientiæ judicio quæ rem direxit. Sic an linea quam chartæ inscripsisti, recta sit, quâ demùm id poteris ratione manifestiùs indagare, quam ex ipsius regulæ quæ manum scribentis duxit, applicatione & quasi sententiâ? Sanè si Conscientiæ regulam obseruasti, certum est rectum te tenuisse, id est egisse prudenter: regulam autem Conscientiæ an obseruaris, nemo id quidem diiudicabit sinceriùs, quàm ipsa quæ rem direxit regula. Vera itaque & sola innocentiæ & flagitii; pœnarum exinde præmiorumque arbitra est Conscientia.

13. Neque *vera* solummodò sed vt D. Ambrosius asserit, *incorrupta* omninò est arbitra, id est judicii prorsus incorrupti, quodque nullo fauore, nullis blanditiis, nullis etiam minis possit infringi aut vitiari. Quidquid enim mihi abblandior, quidquid persuadeo, quidquid exoro, numquam tamen id mihi persuasero vt judicem rectè egisse me, tum cùm contra judicii mei dictamen judico me egisse. Quid enim est malè agere, nisi judicio suo in agendâ re contrauenire? atqui quo pacto est possibile, judicare me, contra judicii seu Conscientiæ meæ dictamen non egisse, cùm reipsâ judicem oppositum? Dissimulare peruersitatem actionis fortè possum; judicare autem peruersam non esse, in manu non est. Nimis enim incorruptus judex est Conscientia; & huius arbitrio in mente aguntur omnia. Rursus etiam ex aduerso, nemo vllus mihi persuaserit malè me egisse, si bonâ fide Conscientiæ ductum in re agendâ secutum me fuisse mea judicet Conscientia; arbitratum, inquam, fuisse sincerè & candidè. Hoc si mea statuat Conscientia, frustraneum est quod totus orbis criminis me condemnet; innocens sum, si mea Conscientia me absoluit. Errasse possum, fateor; peccasse autem minimè: siquidem peccare est, Conscientiæ suæ dictamini contradicere; errare autem,

Item in iudicando est incorrupta.

est quomodocumque, siue per culpam, siue inculpatè, ab eo quod verè rectum est desciscere. Possum ergo sine culpâ errasse; sine culpâ autem propriè non peccatur. Conscientia igitur cùm de actione diiudicat, quamquam falli possit in eo quòd eam judicet legi Diuinæ conformem, cùm fortè per errorem conformis non sit; numquam tamen falli potest, dum judicat actum benè, id est, actione judicio Conscientiæ conformatâ & congruâ. Longè enim diuersa sunt, bonum agere, & benè agere. Bonum enim ex erroneâ Conscientiâ fit sæpiùs malè, & malum benè. Tanta est in actionibus humanis permutandis Conscientiæ vis & auctoritas; & in iis diiudicandis, tam incorrupta minimeque deprauata sinceritas.

Aliud est benè egisse, aliud verò egisse quod bonum est.

Atque ex hâc differentiâ quæ reperitur inter bonum vel malum agere, & inter benè vel malè agere, ratio fiet manifesta, cur minimi ducenda sint, imò prorsus contemnenda hominum judicia, quoties te benè vel malè egisse statuunt; quoties te vel de scelere arguunt, vel de virtute deprædicant. Non est, inquam, quod te hâc laude multùm delinias, aut vituperio magnopere perturberis: nesciunt enim quid rerum dicant. Neque de virtute tuâ aut vitio, vllus, præter Conscientiam tuam, pro sano, judicium potest ferre, cum nemo resciat quid rerum agatur intùs. Hinc ad rem meam D. Gregorius: *In omni*, inquit, *quod dicitur, semper tacitè recurrere debemus ad mentem; & interiorem testem, & judicem requirere. Quid enim prodest si omnes laudent, & Conscientia accusat? aut poterit obesse, si omnes derogent, & sola Conscientia defendit?* Nihil planè, cùm ad interiores actiones hominum rite diiudicandas, nulla nisi pro Conscientiæ tribunali, legitima detur auctoritas. 14. D. Greg. hom. 1. in Ezech.

Obiicitur, non videri contemnẽda omnia humana iudicia.

Quid ergo inquies, an nulla omninò attendenda sunt hominum, etiam proborum prudentiumque judicia? sanè si laudi ducendum non est quod omnes laudant, neque adeo dandum sit vituperio omnes quòd vituperant, maxima commercio humano infertur labes; neque posthac è communi peruulgatoque hominum sobriè prudenterque agentium iudicio, sed ex priuato cuiusque sensu, tota viuendi petenda est ratio: quod certè perquàm absonum est, & heteroclytum: inter homines enim viuimus, quorum moribus judiciisque, dum à Diuinâ lege non aberrant, sese coniungere, ne pars à toto discrepet, summa profectò est virtus, 15.

&

& quæ rectè vocatur humanitas : vbi contra judiciorum omnium contemptus, barbaries quædam dicenda est, & ad siluas ferarumque cauernas non immeritò ableganda.

Respondeo, curanda iudicia, cũ iudicant quid bonũ aut malum sit,

16. Optima est hæc obiectatio, & quæ rem omnem declarabit aptimè. Satis enim id videtur difficile, quo pacto judicia quæ de te feruntur, contemnenda cùm Gregorio passim dicant Sancti Patres, imò & Sacræ paginæ; vnique adhærendum esse statuant Conscientiæ judicio: cùm tamen in commune viuamus, atque adeò ex communi proborum hominum, vnaque conuiuentium agendum sit judicio, ne pars, vti rectè opponitur, discrepet ab vniuerso. Respondeo itaque, quòd vt recte judices, quid bonum sit & honestum agere vel non agere, tibi cùm id non constat, id quidem ex alieno petendum esse judicio. Rursus quid mores ferant patriæ, quid leges, quid vetera instituta, quid ciuium ordo, quid incolarum consensus, & cætera omnia quæ ad communem viuendi rationem faciunt. Rursus quid passim laudi vertatur quid vituperio, non è tuo petendum est cerebro, sed è communi id decernendum est consensu. Denique an ingeniosa fuerit quæ à te exhibita est actio, an vtilis aut tibi aut Reipublicæ, an tempori & rebus accommoda; tandem vt verbo dicam omnia, an *Bonum* sit id quod egisti, bonum, inquam, vt dicitur materialiter, id sanè iudicare possunt homines: & verò si probi sunt & prudentes, eorum standum est judicio; neque adeò contemnendi, vt potiùs plurima eorum laudi & vituperio deferenda sit reuerentia. Nam ad diiudicandum quid bonum sit & rectum, rationalis naturæ sese jurisdictio extendit, quam cuiuis homini inseuit Deus. At verò vt legitimè judicent homines, rectène egeris & *benè*, etiam dum egisti quod reipsâ bonum est, id verò in eorum manu non est; cùm ad internos animi tui motus dignoscendos, nulla eis pateat via. Quo pacto igitur judicent, quod nesciunt, neque scire possunt nisi ex te? sin autem de re ignoratâ ferunt judicium, jam sanè manifestum est, quàm id sit futile & contemnendum.

non verò eum iudicant quid actum benè vel malè.

Non satisfacit laus humana, nisi Conscientiæ laus accedat.

17. Vt itaque certò noueris an benè & sine culpâ rem peregeris, non id alienis judiciis indagandum est, sed decernendum tuo. Et quamuis totus passim orbis hominem te frugi vocet, magnâque virtute pollentem clamitet; justitiæ tenacem dicat; eleëmosynis quas erogas benè largis applaudat; corporis macerationes

tiones, precesque in multas horas, noctemque concubiam protractas laudet; denique virum magnæ religionis omnique exceptione majorem te deprædicet: tamen si Conscientia judicet, bona hæc omnia, non benè à te fieri, id est non rectâ mente, sed nescio cuius captandæ famæ gratiâ; denique ad distortos fines & fortasse malos, studia omnia deriuari: tum sanè sic statue, ineptum hominem esse te, hypocritam, omnique dignum vituperio, quantumcumque sanctum te dicant homines, & inter Diuorum numerum, viuentem adhuc referant, nouâ atque hactenùs inauditâ apotheosi. Bonum te egisse quod judicant, judicant benè; benè autem quod egeris, judicant pessimè. Bonum verò laude dignum non est, nisi fiat benè. Contemnenda igitur sunt, quantumcumque magnifica de te judicia; imò si rectè rationem tenes, tute ipse fateberis ingenuè, numquam tibi ab alienis laudibus fuisse satisfactum, quoties Pædagogus interior, Conscientia inquam, iis interceſſit. Quinimò maiori pudore suffusum te confiteberis, quoties reclamante Conscientiâ, actionemq; tuam condemnante, laudibus te fortè extulit alienus fauor. Verissimum est itaque istud Gregorii, *quid prodest si omnes laudent & Conscientia accusat?*

Conscientia laus, sine aliâ omni, sibi sufficit.

Vicissim verò, omnes quamuis te condemnent, virtutisque fictæ te insimulent, & omnia à te probè facta in malos pèruersosque fines detorqueant; approbationem tuæ Conscientiæ si actorum tuleris, nequidquam vituperabunt omnia. Virtute tuâ, rectique Conscientiâ te inuolues, ridebisque vulgi insanientis judicia; & vti innocens, ita & viues securus tui. Hoc autem qui consequitur, quid vltra persequitur? secum viuit placidè, dum tempestatibus circumuoluitur orbis vniuersus: habet enim de se judicium verum & incorruptum. Maneat istud itaque, Conscientiæ, non directionis tantùm, sed & approbationis jus competere: ipsius esse decernere quid rectè actum sit quid perperàm, ac proinde quid laude dignum sit quid vituperio; ac denique Voluntatem pro re bene actâ laudibus; contrà verò, vituperio afficere. 18.

§. III.

§. III.

Exponitur in quo consistat laus Conscientiæ, quod gaudium inde oriatur, & quæ dicatur Læta Conscientia.

19. IN quo autem laus sita sit, quam Conscientia actioni præstat, facilè id jam erit intelligere. Est enim ea laus, actionis præstitæ nuda approbatio, judiciumque legitimè prolatum, *Factum bene.* Sic autem instituitur tota hæc actio. Simulatque à Voluntate liberâ (nam non liberæ nulla laus competit) actio aliqua in rem producta est; illico mens in eam, quasi animæ suæ sobolem, oculos coniicit. Et siquidem eam Conscientiæ dictamini, quod antè de re agendâ tulerat, conformem inuenit; illico vt genuinum dignumque se fœtum agnoscit; approbat quod actum est, & judicat actum benè; siquidem id solùm benè agitur, quod ex Conscientiæ fit dictamine. Statuit itaque primò, actionem eam exerceri debuisse, aut saltem sine crimine potuisse: ac propterea actum esse probè. Et sic approbata est operis, vt sic dicam, substantia. v. g. statuit eleëmosynam benè collatam, preces religionemque Deo rectè exhibitas, justitiam benè administratam, conuiuium benè celebratum, corpori relaxationem bene datam: id est, omnia ista fieri aut debuisse, aut saltem potuisse. Atque hæc prima actionis est approbatio & laus.

Laus Conscientiæ est operis nuda approbatio.

Primò quoad substantiam operis.

20. Deinde circumstantias omnes operis dum circumspicit, si eas etiam dictamini Conscientiæ ad vnguem videt congruere, sic vt modus agendo præscriptus obseruatus sit; tempus nimirum datum actioni commodum & opportunum, diuturnitas operi prudenter circumscripta, locus & socij congrui, modus & mensura, prout oportet rebus adhibita: hæc inquam, omnia aut pleraque si actionem cõmendare Conscientia judicarit, tum non operis tantùm substantiam, sed & operis modum, id est, totam quanta est actionem approbat Conscientia, laudeque ex omni parte dignam judicat Voluntatem. Hoc est, ita egisse judicat, vt nemo, ne Deus ipse quidem judicare possit, actum improbè.

Deinde quoad circumstantias.

21. Atque ex hâc demum Conscientiæ approbatione, Gaudium

Quid sit Gaudium ex illa laude exsurgens.

animæ existit, quo ita delibatur, vt nullum ei, nisi solùm quod super naturam est, majores, sinceriores, solidioresque delicias possit facere. Istud autem Gaudium si petis quid sit, dico aliud esse nihil, præter pacem Voluntatis acquiescentis, & quasi indormientis Conscientiæ suæ judicio. Aut vt aliis verbis dicam, Gaudium istud, Quies est Voluntatis cupientis omnino actionem istam à se esse præstitam, & nolentis præstitam non esse; idem est enim voluntati Gaudere, & velle. Et Gaudere de re præstitiâ, nihil aliud est quàm velle te voluisse.

Conscientia unde dicatur læta.

Hæc demum voluntatis sibi acquiescentis pax & tranquillitas, Gaudium dicitur & securitas Conscientiæ. Non quòd Conscientia læta sit aut esse possit; est enim Conscientia vt ante me dixisse memini, merus actus Intellectûs; & hic quidē mera operis approbatio: in hâc autem, aut in intellectu, quod potest esse gaudium? Tamen hæc ipsa operis approbatio & laus, non malè dicitur lęta Conscientia; ideo quòd ipsa radix sit lætitiæ, quam Voluntas ex operis sui approbatione legitimâ percipit. Sic sanè læta dicitur judicis sententia, quâ quis innoxius declaratur; multòque magis ea, quâ veluti testimonio publico & authentico, eius acta deprædicantur: non quod judicis sententia læta sit, sed quod lætitiæ futuræ causa sit & fundamentum. Sic quidem verissimum est istud D. Bernardi, *Conscientia bona lætificat animam*: lætam autem facit, judicando quòd Conscientiæ suæ dictamini fuerit obsecuta, quòd ducis suæ directioni obtemperarit, denique quòd egerit benè. Læta igitur dicitur Conscientia, quia lætitiæ radix est, succumque quo voluntas gaudeat, animæ suppeditat. Gaudium autem quod exinde trahitur, tantum est, vt totam perfundat animam; eamque sæpissime ita repleat, vt etiam in corpus ipsum, & præcipuè cor, naturalis gaudij sedem, redundet: adeò vt etiam membra corporis, vtpote animæ actionisque bene exhibitæ instrumenta, suo præmio non careant, sed deliciis fruantur, vti innocentissimis, ita & liquidissimis. Atque hæc quidem laudis à Conscientiâ procuratæ, sunt effecta.

22.

Tract. 2. §. 2. & 3.

D. Bern. l. de Cōsc. part. 2.

§. 4.

§. IV.

Ostenditur minimè insanum, aut vitiosum esse, bene de actionibus à se præstitis sentire & judicare; sed contrà potiùs sanctum. Explicantur quædam oppositæ auctoritates.

23. DVo iis quæ à me dicta sunt video posse opponi, quæ non exigui sunt momenti; quæque si rite exponantur, magnam argumento nostro lucem dabunt. Et primò quidem, non absre quæri potest, an consultum sit existimare te rectè agere, & de virtute propriâ judicium ferre sibi fauorabile: quinimò & pro re benè actâ se laudare & quodammodo sibi gratulari. *Primò* enim satis constat, mente captorum id esse sese mirari, & laudibus extollere. Jam verò siue meipsum laudem, siue mea me laudet Conscientia, id quidem perinde stultum, cùm nemo à à Conscientiâ suâ sit alius, sed vna sit atque eadem res. *Secundò*, perfectioni, ad quam contendendum est, prorsus id videtur contrarium, arbitrari se rectè & ex virtutis regulâ actiones suas instituere. Aliâ sanè viâ, virtutis apicem tenuêre Sanctissimi quique viri. Per summam enim demissionem animi *verebantur opera sua* cum Prophetâ Jobo, & tam exilem projectamque de rebus suis habebant existimationem, vt sanctissimas etiam à se præstitas actiones, virtutumque heroicarum exercitia, censorio notarent calculo, & verò etiam culpæ plerumque condemnarent. Posset id quidem pluribus euinci Sanctorum Patrum testimoniis; vnum tamen dissimulandum non est, illudque celeberrimum D. Gregorij ad Augustinum Episcopum Angliæ responsum, quodque in Decreto refertur. Ita inquit. *Bonarum mentium est ibi culpas suas agnoscere vbi culpa non est.* Hoc autem bonarum mentium si sit, cuius demum mentis erit, actiones suas palpare, laudibus efferre, & quasi fœtum formosissimum blandè demulcere & quodammodo desuauiari? cuius, inquam, id mentis erit, an insolentis an insanæ? profectò id bonæ mentis esse non dicet Gregorius. *Tertiò*, quid est arrogantiæ ansam dare si hoc non est? quàm facilè insolescet, qui se, quæ laude digna

Obiectionis dua. Non videtur consultum esse quod Conscientiæ Voluntatem de re bene actâ laudet. Idque triplicem ob rationem.

Iob. 9. v. 28.

refertur distin 5. c. Ad eius.

digna sint egisse, secum ipse loquitur, sibique persuadet? Cauit profectò huic periculo Christus ipse. Idcirco, inquit, *Cum feceritis omnia quæ præcepero vobis, dicite serui inutiles sumus.* An non exinde manifestum fit, actionibus nostris nullam deberi laudem, imo ex aduerso potiùs esse vitij condemnandas? Hoc igitur agendum esset Conscientiæ; reprehendere deberet actiones etiam præclarissimas, & non eas, quasi eximium quid actum sit, putidè apud se efferre. Et hæc quidem prima est objectatio. Lu. 17. v. 9.

Obiectio 2. Lætitia ex benefactis orta, videtur esse vana gloria.

Altera ex hâc nascitur. Nam etiamsi operibus benè & ex virtute peractis, aliqua detur à Conscientiâ approbatio, tamen gaudium quod exinde oritur, videtur omnino reprimendum. Quid enim est inanis gloria, tot Sanctorum Patrum exagitata & & condemnata sententiis, nisi ea quæ ex rectè factorum Conscientiâ oritur, mentemque incautam subrepit lætitia? Quòd si autem vanæ gloriæ fumis lætitia animi inspergitur, profectò minimè dubitandum est, reiicienda quin sit, neque vmquam Conscientiæ subiectis laudibus, temerè suscitanda. Hæc fere sunt quæ dictis opponi possunt, & verò etiam explicatione indigent. Primum igitur hoc paragrapho expedio; alterum sequenti. 24.

Respondetur obiectioni primæ.

Respondeo itaque, non nisi per errorem grauissimum dici, neminem nisi per insaniam judicare posse, hominem sese esse frugi, bene agere, & laudabilem sese operam virtuti impendere; atque hoc sanctorum hominum praxi aduersari, vtpotè à quibus omnis sese demittendi impensè quærebatur occasio, nulla verò efferendi se. Temerè inquam dicuntur isthæc dicta. Adeo enim hæc Sanctorum praxi non officiunt, vt sanctissimus quamuis esset Paulus, minimèque arrogans, tamen de Conscientiæ suæ pro se datâ sententiâ, mirum in modum exultet, & sapientissimè glorietur. Ita loquitur. *Gloria nostra hæc est. testimonium Conscientiæ nostræ.* Et quid quæso testabatur Conscientia? opera ab ipso præstita, rectè præstita, atque esse bona. At ex quo capite ita censet? Ex eo sanè quòd sincerâ mente, quòd bonâ fide, quòd simpliciter ex Conscientiæ dictamine ea peregerit. En verba Pauli exponentis quæ sit gloria, aut quod sit Conscientiæ suæ testimonium, *quod in simplicitate cordis* inquit, *& sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei, conuersati sumus in hoc mundo; abundantiùs autem apud vos.* En vt quæ antè à me dicta sunt, confirmet Paulus; laudem 25. 2. Cor. 1. v. 12.

Gloriatur de testimonio Conscientiæ suæ D. Paulus & non gloriatur vanè.

nimirum

nimirum & gloriam cuíque propriam à Conscientiâ esse petendam. Nam qui aliàs generoso animo dicebat, *Mihi autem pro minimò est vt à vobis judicer, aut ab humano die*, ecce nunc de Conscientiæ suæ testimonio, pleno ore, plenus gaudio gloriatur. Totum autem de quo tantoperè exultat Conscientiæ testimonium, paucis hisce verbis circumscribitur, *quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei*, id est Deo cognitâ, judicarit *ita conuersandum in hoc mundo*, prout conuersabatur; id est, ita egisse, prout Conscientia agendum præscripserat. En totam quam Paulus habebat & præ se ferebat lætandi, imò & gloriandi materiam.

1. Cor. 4. n. 3.

26. Non tamen hic hæreo: sed jam sic tecum ago. Quòd si omnis Pauli gloria sit testimonium propriæ Conscientiæ, certum est, testimonium de re benè actâ Pauli Conscientiâ tulisse: quod quantùm intelligo nihil est aliud, quàm judicasse, actiones præstitas, ex virtutis regulâ esse præstitas, ac proinde fuisse laudabiles. Nam si perperàm acta fuisse Conscientia attestaretur, nullam sanè ex tali testimonio habuisset Paulus gloriandi materiam. Laudauit itaque Paulum Conscientia. Et cùm Paulus à suâ Conscientiâ nihil differat, manifestum profectò est Paulum laudasse se. Et tamen, an vllus insaniisse Paulum dicere audeat, nisi qui non vulgariter ipsemet insaniat? Nullus inquies. At Paulus ita de se sentire licitè poterat, cùm id liquidò sciret, sanctitatis omnis apicem assecutum se. Itáne verò? at vnde id rursus poterat dignoscere, nisi ex Conscientiæ suæ, singula quæ in simplicitate cordis & sinceritate Dei agebat approbantis testimonio? non igitur quia sanctum se nouerat, idcircò opera sua tamquam laude digna commendabat Paulus; sed quia singula quæ præstabat opera, Conscientiæ testimonio approbabantur, idcircò de sanctitate suâ, de Dei, inquam, amicitiâ sibi præstitâ, judicium poterat pro sano ferre. Non igitur dicat quis, insanorum esse laudare se, actionibusque suis album calculum adiicere. Sanè prudentis est scire quid quis agat, & de actionibus suis judicium verum ferre. Insani est, laudes suas passim in vulgus temerè spargere; dotes animi aut corporis vbique ostentare, & forsitan eas quas non habet: insani est, de rebus à se actis nullum loquendi modum aut finem facere: insani est etiam quandoque, actiones suas ita omnibus velle commendari, quasi si nullum iis vitium

& ostenditur, adeò non insanire esse quod Conscientia se laudet, vt sine illâ laude nemo sit probus.

Quando sit insanum laudare se.

irrepserit: insani est, judicare tam ingeniosè, tam prudenter, tam cautè agi & acta esse à se omnia, vt ab omnibus necessariò sint approbanda. Hæc, inquam, omnia, aliquid intermixtum insaniæ habere possunt. Verùm si rectè aduertis, hæc ad Conscientiæ forum, jurisdictionemque non spectant. Judicat illa, vt antè me dixisse memini, non an ingeniosè, non an cautè, non an ex humanis sapientiæ regulis, non denique an alienam approbationem & laudem merita sit actio quam præstitit; sed an benè actum sit, hoc est, an sincerè, an bonâ mente & fide. Hoc autem judicare adeò insani non est, aut arrogantis, vt sine hoc judicio nemo possit esse vir probus, Conscientiæ, inquam cultor suæ. Hic n. 16.

Quid in operibus suis rigidè attenderint sancti viri.

Ad sanctorum autem virorum praxim quod attinet, quasi si ipsis solemne fuerit sese etiam de bonis actionibus accusare, & verò etiam quasi de malè actis condemnare; id enim verò prorsus nego. Et quamuis errori huic, plurimorum recensitis exemplis, laruam possem detrahere, vna mihi iam sufficit D. Pauli quam nunc protuli, & quidem irrefragabilis auctoritas. Equidem fateor, sanctissimos homines rigido prorsus examini actiones suas subiicere solitos, & non indiligenter fuisse perscrutatos, an non nævus aliquis, quamuis exiguus, quique etiam minùs perspicacium aciem effugeret, fortassis virtutum exercitio sese insinuauerit: condemnasse verò actiones omnes vtcumque ceciderint, id sanè diffiteor. Certùm est, quòd quamuis ex. gr. oratio Religionis sanctissimum sit exercitium, tamen non ita sanctam esse semper quæ funditur, vt non aut diuturnitate moræ, aut mentis euagatione & incogitantiâ, aut etiam ex corporis labori renitentis inconstantiâ, venialem aliquam labem possit contrahere; quæ tamen orationis substantiam, vt sic dicam, non vitiat; quemadmodum neque farinam prorsus adulterat, si quid forte furfuris sit intermixtum. In hos tamen nævos Sancti viri inquirebant acerrimè. Et sic *verebatur opera sua* Job, non quidem ne mala essent, quæ sciebat naturâ suâ esse sanctissima; sed ne à subrepentibus paulatim vitiis, quidquam eorum bonitati detraheretur. Neque tam verebatur opera sua, quàm verebatur operibus; quorum bonitati, industriâ singulari præcauebat. Errores ergo inquirebant in actionibus suis Sancti; non vt operibus nigrum theta inurerent, eaque condemnarent; sed vt si iis labis 27.

aliquid

aliquid ex humanâ fragilitate adhæsisset, istam illicò discuterent & emendarent. Neque verò quæ formæ suæ studiosa est virgo, vultûs sui speciem condemnare dicenda est, quòd minutim admodùm in nævos maculasque exiguas speculo opposita inquirat, iisque adinuentis, illicò ad manus veniat quasi si bellum vultui indixerit. Vultum certè non condemnat, sed nævos; hos autem dum condemnat, commendat vultûs speciem. Neque verò in maculas inquirit, vt iis repertis sese deformem judicet, formosa cùm sit; sed vt inuentas deleat, ne formæ pergant officere. Talis, inquam, Sanctorum mos est: nævos in actionibus etiam sanctissimis inueniunt, ad quos aliorum oculi caligarent. Verùm judicasse eos, actiones omnes perperàm à se esse institutas, orationem nullius fuisse meriti, ideò quòd euagatione mentis interpolata fuerit; corporis afflictiones, eleëmosynas, aut alia iustitiæ opera, mala fuisse, quòd vana iis sese gloria interseruerit; colloquia corporisque recreationes sceleratas fuisse, quòd modùm aut aut tempus aliquantulùm excesserint; aliaque eiusmodi, actiones suas ita vitiasse, vt malas habendas duxerint; hoc, inquam, penitùs nego eos iudicasse, & dicta eiusmodi, piæ cuidam, vt sic dicam, sacrarum rerum ignorantiæ censeo tribuenda. *Explicatur comparatione*

28. Quid enim? an ergo Sancti pro gratiis sibi à Deo præstitis, gratos sese non præstitêre largitori tam munifico? Gratias autem fauoresque è cœlo percepisse se si agnoscant, sanè istud etiam sciuêre, an gratiis sibi concessis rectè sint vsi. Vsi verò iis rectè si fuerint, consequens est vt sciant benè aliquid à se esse præstitum: nisi fortè dicas, benè aliquid posse fieri ab ignorante, an benè operetur an malè, id est, sine boni aut mali Conscientiâ. *scire oportet an benè egerit vt Deo gratus sit.*

29. Atque vt errorem hunc multis magis detraham, istud hîc per transennam dicendum est, falli plurimos, quòd examen nocturnum Conscientiæ, cui multùm assueuêre pii homines, inquirendis tantummodò peccatis, quæ per diem commissa sunt, credant institutum. Falluntur, inquam, si hanc totam esse putant examinis materiam. Fateor ideircò institui, vt in actiones præteritas inquiratur: & quidem si peccatis fuerint inuolutæ, vt illicò defleantur, & non procrastinatâ pœnitudine, contractæ sordes vt deleantur, pristinusque redeat animæ nitor. Sed quid si actiones inueniantur bonæ, aut certè maculis tantùm exiguis interspersæ? Tum sanè agendæ sunt Deo grates oppidò maximæ, bono- *& ad grates exhibendas institutum est magna ex parte examen quotidianũ Conscientiæ.*

bonorum omnium largitori, & per quem ſtetit, à te actum quòd ſit bene. Hæc enimuerò eſt animi, virtutes ſuas agnoscentis, demiſſio; agnoſcere per quem ſis id quod es; eique tribuere actionum à te benè præſtitarum, vti originem, ita & laudem. Grates autem quomodò præſtabis Deo, niſi bonitatem actionis agnoſcas, ad quam exhibendam, vſus te Deus fuerit vt inſtrumento? Hoc itaque agnoſce, & non de nihilo lætus es, quia non de nihilo gratus. Hanc autem examinis inſtituendi formam, præterquàm quòd à Sanctiſſimo Patre noſtro Ignatio deſcriptam acceperimus, etiam à D.Chryſoſtomo inuenio olim traditam, ac in duo membra diſpunctam. *Quando in lectum tuum veneris*, inquit, ... *dicito in corde tuo & in animâ tuâ*; *Expendimus diem ô anima! quid boni fecimus, aut quid malè operati ſumus? Et ſi quid boni feceris, age Deo gratias*; *ſi quid mali, de cætero ne facias* Etiam igitur ex D.Chryſoſtomi mente eſt, rem à ſe actam dignoſcere, & ſiquidem acta ſit bene, id etiam ſine temeritate vllâ, poſſe, imò debere iudicari.

D Ign. in 1 Exercit.

D.Chryſ. hom.2. in Pſal.50. to.1.

Reſpondetur ad locum D Gregorij.

Cur ergo, inquies, D. Gregorius aſſerit *Bonarum mentium eſſe proprium, ibi culpam agnoſcere vbi culpa non eſt*? Palmaria videtur eſſe hæc à tanti viri auctoritate deſumpta difficultas; gaudeo nihilominus eam mihi eſſe obuolutam. Scio multorum Theologorum ingenia torſiſſe hanc ſententiam, & varia à variis enodandæ difficultati afferri acuta & præclara. Et quidem D. Antoninus vt ſe expediat, dicit *culpam agnoſcere*, nihil aliud eſſe niſi *culpam timere*. At præterquàm quòd id ſit diſtorquere verba Pontificis, ego iſtud nequidem ſatis intelligo, cur bonarum mentium ſit, culpam timere vbi culpa non eſt. Id quid bonarum mentium proprium eſſe video, cauere ne ſubrepat malum, illudque fugere dum præſens eſt. Sed cur timere debeo, ne vipera hîc me mordeat, vbi vipera non eſt, nec prima quidem viperæ veſtigia? Sic ſanè, culpam timere vbi culpa eſt, id verò video bonarum mentium quî ſit proprium; at verò eam timere, vbi non eſt, pace D. Antonini dixero, me penitùs non percipere, bonarum mentium id quî ſit. 30.

D.Anton. p.3. tit.3. c.10 §.10. reg.6.

Bona mens ſumitur à D.Gregorio pro ſimplici & ignorante.

Aliis alii modis nodum hunc conantur diſſoluere; ſed ego ne nodum quidem video, ſi quid ſint hoc loco *Bonæ mentes*, rectè expoſueris. Bonas enim mentes hic vocat Gregorius, mentes rudes & ſimplices; antiquæ, ſed parum in rebus agendis inſtitutæ 31.

tutæ probitatis. Sic autem *Bonarum*, id est, simplicium mentium, fateor proprium esse culpam aliquo modo aut etiam omninò agnoscere, vbi culpa non est; hoc enim est simplicem esse & rudem. Hanc autem sententiam & mentem esse Gregorii, patet ex ipso orationis contextu, & responsi naturâ. Quærebatur nimirum ab Augustino, Angliæ Episcopo, inter alia, an mulieribus, tum cùm illi sexui morbis consuetis, menstruis, inquam, implicantur (sit verbo venia, vt constet de mente Gregorii) an, inquam, eo tempore sacra eis deneganda Synaxis esset. Et rursus, an rectè agerent, quæ tum à tam sancto mysterio suâ sponte abstinerent; esse enim non paucas quæ id sibi religioni ducerent: prout & nunc non paucos videas, qui illoto ore, netas esse, quamuis per errorem ducunt, hæc sacra suscipere. Quæstionem sic dissoluit magnus Gregorius: Synaxim eis denegandam non videri, & rectè agere eam cùm petunt. Verùm si quæ ex mysterii reuerentiâ, cui sordes has corporis putant officere, vsum sibi Communionis interdicat, laudandam esse potiùs quàm reprehendendam. En verba Pontificis. *Si ex veneratione magnâ percipere non præsumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda.* Et prioris quidem sententiæ rationem subjicit. *Bonarum quippe mentium est*, inquit, *ibi etiam aliquomodo culpam agnoscere, vbi culpa non est.* Vt autem probet culpam non esse, illicò addit, *quia sæpè sine culpâ agitur, quod venit ex culpâ*, scilicet Adami, prout hæc & reliquæ omnes infirmitates veniunt. *Vnde etiam*, inquit, *cùm esurimus sine culpâ comedimus, quibus ex culpâ primi hominis factum est vt esuriremus.*

32. En sensum D. Gregorii; quem quidem judico esse apertissimum, verum, & genuinum; neque vllis explicationibus intricandum, si per *Bonas mentes*, mentes simplices & ignorantes intellexeris; quas quidem, præsertim in hâc materiâ satis sordidâ, neque pro populo multùm explicandâ, simplicitati suæ & ignorantiæ committendas, in eâque relinquendas esse judicat Pontifex, ne simplices animæ aliquod arripiant fortassis offendiculum: præsertim cùm sine peccato vllo à Communione licitum est abstinere. Neque sensum hunc video Sylvestro displicere, qui duriùs etiam bonæ mentes quid hîc sint, explicat. *Hoc est bonarum mentium*, inquit, *proprium: sed non in quantùm sunt bonæ moraliter, sed in quantùm naturaliter sunt malæ ex defectu rationis non*

Sylvester verbo scrupulis.

potentis judicare verum, propter complexionem melancholicam, vel alias cauſſas ſcrupuloſitatis. Ita ille. Dicamus autem naturaliter eſſe bonas, hoc eſt ſimplices; & plana erit oratio. Judicant enim culpam eſſe, non quia moraliter ipſæ bonæ ſunt, ſed quia naturâ ſua bonæ ſunt, hoc eſt ſimplices, & quidem ex rationis defectu. Neque verò mirum eſt D. Gregorium bonas mentes cum ſimplicibus confundere. Nam præterquam quòd id linguis vernaculis, quibus nunc vtimur, paſſim in vſu ſit, video etiam hunc *ſimplicis* & *boni* promiſcuum ſenſum Latinis non diſplicuiſſe. Plinius certè ſic loquitur, *Bonitas*, inquit, *& ſimplicitas vxoris.* & Cicero ipſe *boni* vocabulum ſic detorquet, *Conſules duos bonos quidem, ſed tantùm bonos amiſimus.* Quid eſt autem tantùm bonos, niſi quod vulgo dicimus ſimplices, & ad res gerendas inhabiles? Itaque conſtent ſibi D. Gregorij & verba & mens; & ex hoc loco non conficies, ſanctitatis indicium eſſe culpam fingere aut agnoſcere vbi culpa non eſt, ſed mentis non ſatis ſobriè ſapientis, aut certè ignorantiâ, quæ ſimplicitati ignoſcenda eſt, temerè implicatæ.

Plinius apud Lucium inærario ling. Lat. Cicero ad Brutum.

Reſpondetur ad locum ex Euangelio de promptum.

Jam verò quòd ad auctoritatem Chriſti attinet, diſcipulos 33.
ſuos ſic inſtituentis, vt cùm fecerint omnia quæ præcepta ſunt, dicant ſeruos ſeſe eſſe inutiles; id ſanè à me dictis minimè officit. Non enim præcepit Chriſtus, vt ſeſe malos ſeruos dicant, ſed inutiles. Quod quidem triplici poteſt ratione explicari. *Primò* vt quæcumque demum virtutum opera à nobis fuerint præſtita, etiam acuratiſſimè & ſanctiſſimè, tamen de iis tam tenuiter eſſe ſentiendum, vt naturâ ſuâ prorsus inutilia eſſe agnoſcamus, quibus amicitiam Diuinam, cœleſtemque gloriam conſequamur; quæ non operum congenitæ præſtantiæ & merito naturali quaſi de condigno tribuuntur, ſed Gratiæ Chriſti dantis dignitatem ſupernaturalem operibus, & Dei ea acceptantis atque ita remunerari decernentis mero beneplacito. *Secũdò* inutiles nos eſſe ſeruos fatendum eſt, licet omnia à Deo præcepta fuerimus executi; quia opera noſtra nihil commodi Deo afferunt; neque quidquam pro eis gratiæ Deus debet, cùm nihil ei ſit præſtitum, quod non jure ſeruitutis debebatur. Et hunc ſenſum verbis ſuis præſtituiſſe Chriſtum, declarat orationis contextus. Cum enim petiiſſet, *Numquid gratiam habet* (Dominus) *ſeruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto.* Mox ſubjungit: *Sic & vos,*

Lucæ 17. v. 9. 10.

& vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. Quod si fecerint quæ debuerant, certè fecêre quæ bona erant; non enim facere debebant mala. Igitur cùm sciuerint feciſſe ſe quæ debuerant, sciuerunt sanè feciſſe ſe bene, atque adeo bonum de suis actionibus tulêre judicium. Et hoc debuêre ferre, ex mente Christi, vt nihilominus ſese ſeruos faterentur inutiles, id est obsequiis suis nullum Domino conferentes commodum. *Tertiò* locum hunc sic interpretatur D. Augustinus, *dicite serui inutiles sumus*, seu *superuacui*, id est *vacantes*. Quasi si dicat Christus, agendum esse tam strenuè cum Deo, vt cùm omnia fecerimus quæ præcepta sunt nobis, non putemus nos muneri satisfeciſſe si deinceps vacemus ab opere; sed illicò accurrendum esse ad Deum; nouaque operum virtutumque exercitia esse petenda, ne vlla vitæ nostræ pars à Dei obsequio vacet. Itaque peractis omnibus, dicite *serui inutiles*, hoc est, *vacantes* sumus, *quod debuimus facere fecimus*: absoluimus nempe imperata, & sic noua deinceps poscimus imperia. Atque ex his huius loci expositionibus, satis jam constare arbitror, nullum ex hâc Christi sententiâ dari patrocinium iis, qui animo sanè remisso & imbelli, judicant actiones omnes in malam partem esse trahendas, neque vmquam approbandas, sed contrà potiùs condemnandas.

Quid significet seruus inutilis.

Aug. l. 2. Euan. qu. q. 39.

34. Imbellis dixi ignauique animi esse ita secum agere; & quamuis qui illius genij sunt, sanctitatis adipiscendæ magnum in deprauatis hisce de se judiciis credant se habere adjumentum, insignem nihilominus hîc technam dœmonis video & fallaciam. Persuadere nimirum nititur, vt semper iniquis oculis actiones suas homines, cæteroquin optimi, conspiciant, de iis in malam partem semper sentiant, ac denique vt condemnent; idque demissionis humilitatisque falso sub prætextu. Interim alia prorsus est ei mens. Animos ad bene agendum promptos aliàs atque alacres, nititur infringere. Certum est enim, vti rectè factorum Conscientia animos addit vt plura quis audeat; suoque exemplo excitatur quis, vt ad majora aspiret. Dei adjuuante gratiâ, cùm agnoscit ea quæ præstitit bene succeſſiſſe: ita nihil adeò animos deiicit, hominemque in omnem trahit ignauiam, quàm si videat, omni etiam adhibitò conamine, nihil quidquam se proficere, nihil agere quod laude dignum sit, nihil quod non

Diabolus persuadere nobis vult actiones omnes esse condemnandas tanquam malas.

meritò reprehendatur & à Deo, & à se. An non hoc est ignauum tœdium actionibus inducere? Sanè reprehende quotidie & identidem puerum summâ diligentiâ characteribus formandis incumbentem, neque quidquam eorum quæ pinxit commenda; velle, reuelle apices singulos; citò destituetur animis, nihil aget; & si nihilominus cogatur scribere, lentâ calamum trahet manu. Hoc igitur Dœmonis artificium attende, & caue ne dum censor tuiipsius vis esse nimiùm rigidus, imbellis fias & ignauus virtutis executor. Nolo sanè palpari errores; sed fingendi non sunt vbi non sunt: & dum perperàm factis debita adhibetur reprehensio, sanè laus sua bonis actionibus, quæ tota in Dei gloriam cedit, à Conscientiâ, æquo nimirum judice, minimè est deneganda.

§. V.

Gaudium ex Conscientiæ bono testimonio exortum adeò non esse vanam gloriam, vt contra sit maximè solidum & meritorium, demonstratur.

Ex laude Conscientiæ Gaudium Voluntatis,

VT ergo officio suo functa est Conscientia, benignamque de actionis peractæ probitate sententiam tulit, in quâ, quæ so- 35.
la à Conscientiâ expectari potest, voluntatis laudem diximus consistere; tunc minimè dubium est, quin pro ingenito naturæ rationali laudis studio & amore, mentem subeat inexplicabile quoddam Gaudium: quòd sæpenumerò ita effertur, totamque ita complet animam, vt præ nimiâ abundantiâ corpori superfusum, illud etiam deliciis afficiat exquisitissimis. Gaudium animi, diximus esse quietem Voluntatis insidentis quoddammodo bonis à se partis; sibique complacentis, Conscientiæ quòd fecerit satis. Corporis vero deliciæ, sanguinisque quam animi Gaudium excitat impetiginem, gratumque sensum, propriè voluptatem voca. Et quidem de his secunda inferebatur quæstio; nimirum an Gaudium hoc, eiusque assectæ, non sit ea quæ tantoperè condemnatur vana gloria? an non saltem vanitatis hujus contrahendæ periculo mens exponatur; ac proinde an non satiùs fuerit Gaudium hoc coërcere & contrahere, ne se efferat,

imo & corpori voluptas oritur,

Quæritur an Gaudium hoc non sit inanis gloria.

efferat, quàm fræna ei laxare ne incautum in præceps ferat?

Quid dicam? Reuerà dissimulare non possum, quod mihi in mentem venit. Video, inquam, homines, quibus ita lubet esse meticulosis & tristibus, vt valde dubitem an non in ipso Gaudij centro, in cœlo inquam disputaturi sint, an liceat tandem gaudere animo soluto & defœcato; & an inter delicias illas innocentissimas, periculum subituri non sint inanis gloriæ. Adeò meticulosum est hoc hominum genus, tristitiæ patroni sanè importuni. *Ineptè hoc petitur.*

37. Breuibus itaque respondeo; non aliam me profectò felicitatem mortalibus, miseram in hoc orbe vitam trahentibus optare, quàm eam quæ ex Conscientiæ bono testimonio enascitur. Vtinam huic Gaudio inquirendo insisterent mortales omnes! sanè & longè facilius lætitiam assequerentur, & longè sinceriorem ex eâ voluptatem caperent, præ eâ quam in nescio quibus corporis deliciis, labore improbo, fructu aut nullo aut perquàm exiguo, miserè perscrutantur, & numquam inueniunt. Longè profectò præ his alia est, quæ ex Conscientiæ testimonio voluptas percipitur. *Gaudium hoc summum est ad virtutem incitamentum.*

D. Bern. de trip. modo orandi ser. mone. 5. *Non est*, inquit D. Bernardus, *non est hæc delectatio cibi neque potus, aut similis cuiuslibet rei. Delectatio tamen est, & maior omnibus illis. Diuina est & non carnalis delectatio; & cùm his delectamur, planè delectamur in Domino.* Hæc certè est de quâ gloriabatur Paulus ipse, neque tamen inanem esse, de quâ gaudebat, gloriam arbitrabatur. Gloria verò hæc erat Conscientiæ propriæ testimonium. Adeo autem non erat inanis, vt ex eâ maiores sumeret animos ad durissima quæque subeunda pericula: quin & corpus ipsum hâc tam solidâ delectatione reficeret, eique nouos subiiceret spiritus, ad aggredienda ea facinora, ex quorum approbatione, tam sincera & liquida ipsum corpus subiret delectatio. Et erit iquisquam qui jam dubitet ea gloria aut voluptas admittenda num sit, quæ tantum ad heroica facinora præstat incitamentum & auxilium?

Quid, quòd non summæ delectationis tantùm sit hoc Gaudium, sed & meriti maximi, virtutisque actus planè excellentissimus? quod quidem sic planum facio & demonstro. An enim hoc mihi quisquam negauerit, actum amoris & beneuolentiæ egregium exercere me, si quando gaudeo atque etiam præ gaudio exulto, alienâ operâ Deum coli dum video, misericor- *Gaudium hoc summi est meriti, & virtutis excellentis actus.*

diæ opera passim exerceri, templis cultum deferri, Sacram Synaxim frequentari? Nonne singulari etiam honore Deum afficio, hæc omnia dum probo, gaùdeoque reuerentiam ei debitam à mortalibus deferri? Quis id inquis dubitet? amoris enim actus is est & Deo & hominibus Deum colentibus beneuoli. Summi igitur meriti est id gaudium. Jam verò istud rogo; cur si hæc ego meipsum agentem video, mihi non liceat eam beneuolentiam mihimet ipsi præstare, vt mihi gratuler bene me agere? aut cur delectare me non possint Deo à me præstita obsequia, delectare si possint aliena? an minùs ergo me afficiet, Deum à me quàm ab alio coli, si cultus vtrobique æqualis sit, & meus fortè haud paulò religiosior? Certè præter rationem essent hæc omnia. Nemo enim cùm mihi propinquior sit nec carior, quam ego met mihi; inordinatum planè sit me de alieno gaudere bono, & non de meo. Itaque si me diem rectè exegisse videro, si præclara pietatis opera præstitisse, si scelera deuitasse, si religionem exactè coluisse, si Diuino cultui reuerentiam debitam exhibuisse, gratias agam Deo oppidò maximas; & beneuolo amore quo erga Deum feror, gaudebo à mortali homine Numen coli: mihique gratulabor, quòd me cultûs sibi præstiti, passus sit esse instrumentum; & sic viuam placidè & securus mei. An non hoc gaudio Deum mihi demereor? an hoc non est Deum amplecti amore non qualicumque, sed amicitiæ & beneuolentiæ, hoc est, amore sinceriſſimo? Vt quid ergo vanum hoc dicunt gaudium, vanamque gloriam, quæ tanta merita secum trahit? Vana esset fortassis gloria, si bona quæ egisti opera passim diuenditares, humanæ tantùm laudis approbationisque putidè captandæ gratiâ: vana esset imò insana gloriatio, si bona quæ agis, tuo marte, sine Diuinæ gratiæ auxilio, consecutum te crederes: vana esset gloria, si hæc ad contemptum aliorum te pertraherent; & contrà, magnam tuiipsius existimationem ingererent, quasi esses quid eximium, & dignus qui tibi saltem placeas.

Aliud longe est gaudere de se & sibi placere, aliud gaudere de a-

At inquies, qui de bonitate gauder actionis à se præstitæ, an non is de se gaudet, & sibi placet? Minimè verò. Aliud enim longè est placere actionem à se exhibitam, aliud autem hominem placere sibi. Digna hæc est ad quam sedulò attendatur, duplicis complacentiæ differentia. Non enim est sanè, quod 39

multùm

multùm sibi placeat, aut multùm arroget, quiscumque demùm dum adhuc mortalis est; nimia enim est humanæ virtutis inconstantia & infirmitas. Et quamuis tibi modò de virtute tuâ applaudas, teque demulceas; nescis sanè crastina quid ferat dies, & secutura Dæmonis impugnatio. Hinc numquam de se solidè quisquam gaudeat: nam quod est, potest non esse cras. Verùm cùm virtutis actionem aliquam præclarè exercui, salua res est, in saluo est opus; neque vmquam quod exhibitum est Deo obsequium, potest vitiari. Deo exhibitus est cultus debitus, dies hic benè exactus est; neque si cras malè egero, quidquam de hâc operis bonitate & præstantiâ, aut de cultu hodie Deo exhibito detrahetur. Placere itaque id potest, quod actum est benè, quamuis is qui egit, sibi penitus placere non possit, neque quidquam arrogare, inconstantiæ suæ sibi cùm sit conscius, adeoque nesciat quid de se futurum sit cras. Sic qui mercede operam elocauit, vesperi exacto opere, de labore peracto, & mercede conquisitâ meritò gaudet, quamuis nesciat crastinæ quid ferant vires.

Actione præsentia illamque placere.

40. Gaudeat igitur Conscientiæ suæ testimonio felix anima, & de opere bene peracto, sibi & Deo beneuolè gratuletur: sanè hoc ipso Gaudio, Deum sibi rursus demerebitur. Neque enim video, cùm dolor & pœnitudo scelerum Diuinos fauores, & gratiam possit promereri, cur hoc meritum Gaudio de re bene actâ denegetur. Rursus, si dolor animi peccata detestantis, vitandis deinceps sceleribus gratiam cælestem eliciat; certè de peractâ benè actione Gaudium, ad noua audenda animos dabit; & verò etiam iis peragendis, noua à Deo auxilia consequetur. Gaudeat itaque felix Anima; Deo de præstito sibi fauore gratias agat, sibique tanquam Diuini cultûs promouendi instrumento gratuletur. Neque si lese tam felix lætitia animo ingerat, mentem contrahat: expandat quinimò illi excipiendæ omnes animi & pectoris sinus. Nam vt ex Bernardo dixi, *Diuina est, non carnalis illa delectatio, & cùm sic delectamur, planè delectamur in Domino.*

Si bonus & meritorius est de malo dolor, etiam bonum & meritorium est Gaudium de bono.

TERTIVM

TERTIVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ.

Reprehendere voluntatem de malè actis.

TRACTATVS X.

DE STIMVLIS CONSCIENTIÆ.

Tribulatio & anguſtia in omnem animam operantem malum. *Ad Rom. 2. v. 9.*

Quomodò Conſcientia voluntatem peccantem arguat, & caſtiget per immiſſos ſtimulos & aculeos. Explicatur quam grauis hæc ſit pœna; quid ſint hi ſtimuli; quæ eorum effecta; quandonam à Deo, quando à naturâ aut Diabolo excitentur. Denique his exſurgentibus quid ſit agendum.

PROOEMIVM.

QVòd ſi Conſcientia, cui tota à Deo, veluti Pædagogo, commiſſa eſt animæ directio & gubernatio, voluntatem benè agentem, hoc eſt, ad Conſcientiæ libellam & amuſſim actiones ſuas exigentem & componentem, laudibus pro ſuo munere debeat extollere; eamque lætitiâ & tranquillitate animi, tamquam præmio, pro re benè actâ ſoleat afficere; hæc enim virtutis in hoc orbe ſunt præmia, vti magnus teſtatur Apoſtolus: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*: ſanè vt munere Pædagogi fideliter Conſcientia defungatur, non laudibus tantummodò agendum dum res acta eſt benè; verùm & eâ debet auctoritate pollere, vt à recto tramite exorbitantem, actiones, inquam, ſuas peruersè inſtituentem voluntatem, reprehendere poſſit

Conſcientia vt Pædagogi partes agat, debet auctoritatẽ habere reprehendendi, ſicut habet laudandi.

Ad Rom. 2. v. 10.

possit liberè, & officii malè impensi commonere. Hoc Pædagogo si non datur, nihil agitur: neque eius curæ commissus cliens, eius præcepta multùm reuerebitur; imò ne laudantis quidem orationem magni faciet, à quo reprehendi minimè metuit, aut quia hoc ei à parente concessum non est, aut quòd ad castigandum puerum Pædagogo non est animus. Neutrum profectò deest Conscientiæ: magna enim ei à Deo hâc in parte data est auctoritas; munusque suum exercet sanè intrepidè: nescit adulari si agas malè: omnesque si tibi abblandiantur, & quod nefariè factum est excusent; ipsa tamen sententiæ suæ inhæret mordicus, malè agentem vellicat, pungit aculeis, stimulis excitat, vrget, torquet, donec officio factum sit satis, & aberrantem animum ad honesta & recta detorqueat. Magnam enimuerò Conscientiæ offensæ vim! De stimulis itaque quibus animum vrget Conscientia, agendum est modò; exponendumque non indiligenter, quid demùm sint hi aculei; quàm acerbè vrant; quos in vsus adhibeantur à Conscientiâ; vnde dignosci possit an à Conscientiâ, à Deo inquam, immittantur, an à Dœmone; deniq; quid animæ agendum sit, dum stimulis à Conscientiâ ad officium perurgetur.

§. I.

Ex acrimoniâ stimulorum quos peccatoribus admouet Conscientia, rectè colligitur esse aliquod supremum Numen, cuius auctoritate hæc fiant.

1. ALia vt deessent, quæ humanis rebus Numen aliquod esse superius liquidò demonstrent; illudque auctoritatis tam eximiæ, vt ei rerum omnium in hoc orbe gestarum ratio vltima aliquando tandem danda sit; cætera, inquam, quamuis argumenta non suppeterent, tamen interiores illi aculei, quibus scelerati hominis mens peruritur, acerbissimeque distorquetur, præsertim dum pudendo crimine sese innexuit, Majestatem illam supremam, eximiamque occulti Numinis jurisdictionem, mihi faciunt omnimodò manifestam. Quod vt exactè probem, & verò euincam, ratiocinationem sic instituo. Vos date si placet audientiam. *Ex stimulis Conscientiæ dignoscitur quòd sit Deus.*

Cruciatus Conscientiæ sunt exquisitissimi.

Imprimis istud attendo, eximios esse inexplicabilesque cruciatus, quibus animam sceleris ream vrit Conscientia; adeò vt communis sit Sanctorum Patrum sententia, non aliud in hâc vitâ tormentum maius homini posse admoueri, quàm quo sæpenumerò Conscientia mentem torquet; nullumque pro judicum forensium tribunalibus acerbiorem esse equuleum, quo scelerati torqueantur immaniùs, quàm ea quæ in hoc domestico Conscientiæ tribunali præsto est carnificina. Minimè id quidem dubium est D. Ambrosio. *Quæ pœna*, inquit, *grauior, quàm interioris vulneris Conscientia? Quod seuerius judicium, quàm domesticum quo unusquisque sibi est reus?* Non dico tamen tormenta eiusmodi semper à Conscientiâ adhiberi, eaque peccatorem re ipsâ semper afficere: instituto meo sufficit, ad manum esse Conscientiæ pœnas eiusmodi, stimulosque tam terribiles, iisque sceleratam animam sæpissimè excarnificari. 2. D. Ambr. l. 3. offic. c. 4.

Ab aliquibus dicitur pœna inferni in his consistere.

Atque vt tormenti huius acerbitatem meliùs exponam, non diffitebor Theologos esse præclaros, qui non improbabili ratione contendere sese credunt, inferni tormenta vt plurimùm in hâc Conscientiæ carnificinâ consistere: ignemque æternum, Conscientiæ vermen esse, quo infelix anima semper arroditur & peruritur. Verùm quamuis ad metaphoricum ignem, veras inferni flammas detorquere sit planè temerarium, tamen istud etiam certum est, inter varia quæ in infelici carcere sunt tormenta, hoc præ aliis fore exquisitissimum. Nullum certè mihi videtur aptius, quo anima penitùs torqueatur, & à quo acriorem dolorem percipiat. Quid enim? nam vt ignis elementum sit edacissimum, nullumque dolentius; tamen corporeus cùm sit, animam ipsam non potest affligere, nisi (vt in interno fieri docent præclarissimi Theologi) supra statum naturæ suæ eleuatus. Non enim secundùm communem naturæ ordinem est, vt quod merè est corporeum, vim aliquam violentiamque spiritui imprimat. At verò Conscientiæ aculei, naturâ suâ spirituales cùm sint, maiorem sanè habent aptitudinem, vt sese animæ penitùs inserant, eiusque sinus acerbissimè perscrutentur: ac propterea etiam crediderim, majorem iis inesse præ ipso igne, animæ torquendæ & perurgendæ acrimoniam. Quidquid sit; quamuis etiam cruciatus hi, ignis inferni tormenta non superent, tamen ingentes planè esse necesse est, cùm iis non immeritò possint comparari. Et rursus, si iis 3.

Vermis Cõscientiæ videtur aptior ad cruciãdam animã, quàm ignis.

Saltem omnia tormẽta huius mundi superat.

si iis non æquentur, sufficit mihi, vt acerbitatem crudelissimi vermis demonstrem, id quod diserte asserit D. Augustinus: saltem *inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla maior est, quàm Conscientia delictorum.*

D. Aug. in Psal. 45.

4. Vt autem nemo mihi objiciat, Sanctorum hunc virorum esse sensum tantummodò: eorum nempè, qui cùm Deum tenerrimo amore complectantur, ita etiam grauissimè cruciantur, dum tam dilectum Numen offenderint; amoris itaque tormenta hæc esse potiùs, quàm solius Conscientiæ. Hæc, inquam, ne quis oggerat: video enim homines etiam sceleratissimos, in omnem audaciam projectos, & quibus Deus nihil pensi est, acerbissimis tamen intolerandisque Conscientiæ stimulis sæpissimè aduri, imò & excarnificari in modum maximè miserandum. Non est quòd pluribus id confirmem; plenæ sunt Sacræ profanæque historiæ. Lutheri tamen testimonium non est quod dissimulem. Exuerat sceleratum caput modestiam omnem & verecundiam; sacri profanique, Dei & hominum, apud eum contemptus par; reuerentiam omnem pudoremque, naturæ frænum, penitus excusserat: non potuit tamen eheu infelix, Conscientiæ suæ vermem extingere: quem nihilominùs hausto effusè vino, largis poculis, insanisque commessationibus nitebatur quotidie aut diluere, aut etiam si fieri posset suffocare. Nequidquam omnia. Cæterum, hominem ferocem, quique nec Principum imperio, nec rationum pondere, nec Pontificum auctoritate, nec Dei legumque reuerentiâ domari poterat, aut ad scelerum pœnitudinem reuocari, à suâ expugnatus est Conscientiâ; & qui omnia quantumcumque sana consilia, reprehensionesque justissimas hominum, per jocum summamque impudentiam explodebat, Conscientiæ tamen, infamem vitam redarguentis aculeos non potuit tolerare. Doloris intimi confessionem expressit tandem tormentum domesticum, idque non semel. Præcipuè, inquit, vitæ tam infaustæ historicus accuratus Vlenburgius anno 1527. eius hæc sunt verba. *Cum paroxismo captus manè, à prandio Pomeranum* (fidem Achatem suæque perfidiæ sectatorem egregium) *vocauit; cui peccata confessus, dixit cruciatus animi quos manè passus fuerat, verbis non posse explicari. Addens: quia me hilarem non numquam exhibeo, putant me jucundam vitam ducere; sed Deus perspectam habet morum meorum rationem. Sæpe proposui paulò maiorem austeritatem & sanctitatem, in*

Etiam sceleratos acerbissimè cruciat.

Patet in Luthero.

Vlenburg. in vita Lutheri o. 19.

Lutherus fatetur voluisse se emendare, sed non potuisse.

gratiam hominum, præ me ferre; verùm à Deo mihi donatum non fuit vt hoc exequerer. Egregiam profectò desperati hominis pœnitentiam! in gratiam nempè hominum, non quidem agere quæ sancta sunt, sed sanctitatem tantummodò præseferre voluit; & quod voluit, tamen non potuit. *Justissimam enimuerò peccati pœnam*, inquit Augustinus, *vt qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit.* Quamquam ne rectè quidem facere voluit miser apostata, qui tantummodò in gratiam hominum, sanctitatem nitebatur sceleribus dissimulandis obtendere. Verùm id nunc non ago; istud placet modò aduertere, ingentes esse proculdubio Conscientiæ aculeos, quæ ab homine malis omnibus indurato, sceleribusque innutrito, doloris tandem, licèt naturalis, confessionem, tormentorum vi expresserint. D. Aug. l. 3. de lib. arb. c. 17.

Ne pagani quidē eum euadunt.

5. Rursus autem ne mihi dixeris Lutherum, quamuis à verâ fide apostatam, Christianum fuisse nihilominùs; & Deum licèt non amarit, fide tamen cognouisse Numinis majestatem, futurique judicis potentiam: hoc autem fuisse quod exhorruerit; adeoque non mirandum adeò, Conscientiæ stimulos tam acerbos quòd persenserit, cùm scelerum Conscientia, diuinarum rerum fide fuerit intermixta. Fateor sic est. At verò vt rem meam promoueam, ostendamque ex Conscientiæ stimulis Diuinitatem agnosci posse, etiamsi fidei Christianæ lumine, homini ea non innotuerit; video paganos etiam homines, Ethnicos inquam, quibus nulla fidei lux affulsit, neque vlla Dei præcepta aut voce aut scripto fuêre proposita, stimulos hos non euasisse, ex iisque legem sibi impositam cognouisse. Legem autem si cognouerint, manifestum jam est, aliquam etiam Legislatoris auctoritatem agnouisse humanâ maiorem, quæque legitimè posset & legem ferre, & de infractâ vindictam sumere.

Probatur ex D. Paulo.

6. Disertè id me docet Gentilium Apostolus. *Gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt* Quid deinde? *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente Conscientiâ ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus defendentibus aut etiam accusantibus.* Sentiunt igitur, teste Paulo, Ethnici ipsi cogitationes, sese de sceleribus commissis accusantes & reprehendentes: atqui hi sunt Conscientiæ aculei, vt mox dicam; illis ergo torquentur etiam ii, qui verum, prout est, Deum cæteroquin non agnoscunt. Et verò quid multis opus est? Ad Rom. 2. v. 14. & 15.

Fatetur

Fatetur hoc Conscientæ ingens supplicium, Ethnicus quàmuis Seneca *Prima* inquit, *& maxima peccantium est pœna peccasse. Nec vllum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris, in scelere supplicium est. Sed nihilominus & hæc illa, secundæ pœnæ premunt ac sequuntur, timere semper & expauescere, & securitati diffidere.* Hinc rectè paullò antè dixerat, *Ita est: tuta scelera esse possunt, secura non possunt.* Nam vt omnes lateat commissum scelus, Conscientiam tamen non latet, suiipsius carnificem & tortorem. Ita hic Ethnicus. Non possum hîc non addere alterum Taciti etiam Ethnici de Ethnico Tiberio, & quidem ex Platone Ethnico testimonium. Postquam Tiberij Imperatoris, præ mœrore insanientis penè, voces adduxit, subdit illicò Tacitus egregiè ad rem meam: *adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus Sapientiæ* (nempe Plato) *firmare solitus est; si recludantur Tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & tectus; quando vt corpora verberibus, ita sæuitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant; quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur.* En Conscientiæ, etiam in homine Diuinitatis veræ ignaro, formidandum planè supplicium.

imo & ex gentilibus Seneca, Platone & Tacito.

Sen. ep. 97.

Tacitus init 10. l. 6. Ann.

Plato l. 9. de Republicâ.

7. Quæ cùm ita sint, tantaque in sceleratos, Dei cæteroquin etiam ignaros, Conscientia exerceat supplicia, tum sic quidem rationem mecum instituo, quâ Diuinitatem aliquam humanis rebus majorem, euidenter mihi videor eruere. Statuamus enim ingens aliquod pudendumque crimen commisisse me, occultum tamen adeo, vt mihi certum sit, clàm id futurum omnibus, nec vmquam propalandum; quod infinitis in euentibus accidere posse, in confesso est. Nihilominus subibit animum sceleris conscium immensus dolor, languor corporis, deliciarum omnium fastidium, tædium denique exosæ vitæ quo vigor omnis labefiat, & corpus ipsum denique dissoluatur. Quod quidem sæpissime multis, & verò ipsi Tiberio accidisse in comperto est. Jam verò quid hocce rei est? cur hîc tantopere excrucior? Facti, inquis torqueris pudore & verecundiâ. Audio quidem, sed non satis id intelligo. Nam si pudor, vt passim definiunt cum D. Thomâ Theologi, sit *Timor ingloriationis*, nulla autem ingloriatio timeri possit, vbi scelus quod pudori sit

Hinc recte ex stimulis Conscientiæ colliges esse Deum.

Non enim aut facti verecundia,

aut famæ officiat, numquàm futurum est in propatulo; nescio sane quis pudor, aut quis infamiæ timor mentem subire possit, vbi nullum infamiæ est periculum.

aut facti Conscientia cruciaret,

Ast inquies, penes teipsum stat infamia: judicat enim Conscientia, scelerate, & contra rationem egisse te. Fateor; at quid deinde? an idcirco perurgendus sum stimulis, & conficiendus mœrore improbo? Certè id præter rationem est, si nulla alia est dolendi causa, quàm quòd judicem improbè fecisse me: nam si, prout fateor, pessimè actum sit à me, istud video ratione sanâ à me etiam postulari, vt ne posthac amplius tali scelere me contaminem. Verùm cùm id quod jam factum est, infectum fieri nequeat, quantumcumque me facti pœniteat; non est sanè rationi consonum, tantopere vt me crucier, id quod infectum dare, in manu jam non est. Ita mihi quidem, dum rationem consulo, non ineptè videor argumentari & colligere. 8.

nisi esset Deus;

Et tamen, vt jam ostensum est, & nemo negauerit, etiam ob occulta abstrusaque crimina, quæque infecta nequit reddere, sceleratissimus quisque facti pœnitentiâ tangitur; eorum dum reminiscitur, pudore suffunditur, & doloribus grauissimis conficitur adeo, vt Conscientiam sese redarguentem sine summo tœdio ferre non possit: manifestum itaque est, non suas tantùm partes agere Conscientiam, sed superioris cujusdam Numinis; aliam huic negotio præter humanam sese jurisdictionem inserere; denique domesticum Conscientiæ tribunal, subalternum esse tantummodò, quod supremo cuidam subjaceat, & ad quod tandem referendum est, quidquid pro Conscientiæ tribunali fuerit judicatum. Hinc illi stimuli, hinc accusantes illæ cogitationes, vti Paulus arguit, ostendunt opus legis scriptum in cordibus nostris, testimonium reddente Conscientiâ, legem esse aliquâ quam infractam esse peccator adeo dolet; ac propterea Legislatorem humanis rebus longè excellentiorem cõfitetur, cujus seueros oculos, justissimamque iram non immeritò reueretur. Numquam enim sine Legislatore lex: nec legitimus est Legislator, cui de neglectâ lege netas sit inquirere, & reum pro meritis castigare. 9.

cuius Vicarius atque oculus est Conscientia.

Conscientiam itaque cùm times, Deum times. Nam vt rectè Menander *Mortalibus omnibus Conscientia Deus est*, ideo quod ejus partes vicarias pro numere sibi impositio agat legitimè. Hinc tanta est peccatoris ex scelerum recordatione verecundia; non 10.

quod

quòd Conſcientiæ redarguentis oculos & infamiam vereatur; quid enim eſt à ſeipso quod timeat, aut se quod erubescat? erubescit tamen, quòd in Conſcientiæ oculis, Diuinos agnoscat, quorum illi ſunt Vicarij. Hi ſunt qui pudorem incutiunt, hi ſunt qui metus faciunt, hi ſunt denique qui facti pœnitentiam extorquent. Diuinum itaque quiddam eſt in Conſcientiâ; idcirco agit tam despoticè; & cùm torquet, punit tam ſeuerè. Nullum in juriſdictionis ſuæ partem admittit, niſi ſe. Nam vt rectè Bernardus, *omnium delictorum noſtrorum ipſa teſtis, ipſa iudex, ipſa tortor, ipſa carcer: ipſa accuſat, ipſa iudicat, ipſa damnat.* Hoccine autem an eſt hominem, an verò Deum agere? sanè quidquid id eſt, Diuinum eſt; neque præter id quod Diuinum eſt, quidquam eſt in Conſcientiâ, quod magnopere timeatur: timetur autem, etiam ab inſigniter ſceleratis. Deum itaque hîc inuenio, & in Conscientiæ torminibus, Diuinitatem intelligo. Ita age, inquit Auguſtinus, non multùm euageris, Conſcientiæ adita tantùm ſubi, vide quid agatur intus, *& illic inuenies Deum*, vices inquam, gerentem Dei, atque vt verbo dicam omnia, Oculum Dei. Nam vt præclarè Pſalmiſta *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine*; hoc dum vrgeor, à te vrgeor; hoc dum reuereor, te reuereor; ſtimulosque à Conscientiâ immiſſos dum ſentio, te redarguentem ſentio; & dum hoc fateor, te confiteor & agnoſco.

D. Bern. l. de Conſcient. c. vlt.

D. Aug. in pſ. 45.

Itaque ex Conſcientia Deum eſſe intelligimus.

pſ. 4. v. 7.

§. II.

Quid propriè ſint ſtimuli Conſcientiæ; & quomodo actionem ſuam peccatori primò inſtituat, ac deinde tormenta animæ admoueat.

11. DIcamus jam porrò quâ ratione accuſatoris & reprehenſoris partes inſtituat Conscientia, diem reo dicat, actionemque peccatori tam terribilem, pro domeſtico tamen tribunali, auſpicetur. Terribilem dico; nam non eſt, peccator quòd ſe palpet impunitate peccandi; ſeriùs enim aut ociùs, vt rectè D. Paulus, *Tribulatio & anguſtia in omnem animam operantem malum.* Conſcientiæ dictamen ſi non ſequeris; perſequetur ipsa te. Diſſimulare

Ad Rom. 2. v. 9.

mulare dum credis scelera, iras colligit vt fortiùs feriat, & torqueat inclementiùs. Rem totam, si placet, ab ouo incipiamus, atque ordine quo geruntur intus omnia, singula prosequamur.

Antequam quis peccet, prius per passiones obscuratur Conscientiæ dictamen aut sententia.

Quamprimùm itaque peccandi sese offert opportunitas, illico suboriri tibi senties metum quendam animi, quo euidenter iudicas, tibique ipsi dicis, *Res hæc aut actio quam aggrederis est planè illicita.* Judicium hoc ipsissima est Conscientiâ, seu dictamen superioris Animæ, cui actionem faciendam Voluntas debet necessariò attemperare. Quî ergo fit, inquies, vt Voluntas sæpissimè duci suo rationique rectæ non obediat, & in contraria feratur? Dicam. Interea dum in superiori parte Animæ pronuntiatur hæc sententia, illicitam nempè rem esse quæ est præ manibus; in inferiori vt sic dicam domo, aut parte Animæ in quâ corporeæ affectiones dominantur, per mali naturæ arridentis præsentiam, accenduntur igniculi quidam, Passiones vocati; ex quibus fumi & fuligines euaporant, qui cerebrum inficiunt, totamque cæcâ caligine mentem inuoluunt. Rem exemplo exponamus. Impudicitiæ aut injustitiæ committendæ sese offert occasio: illicitum id esse, in suo tribunali pronuntiat Conscientia: hoc decretum in superiori parte Animæ affigitur, ac voluntati, id est, appetitui rationali intimatur. Interim affectionibus suis excitata inferior Animæ portio, quam Appetitum naturalem dicimus, forum, id est mentem occupat, & insanis omnia complet clamoribus; veluti dum præ Senatûs foribus, plebeculæ insanientis gliscit seditio. Hinc cogitationes hæ aut similes subeunt animum: Vt res à Conscientiâ judicetur illicita, & impudica, naturæ tamen & corpori gratam esse, huic aliquid esse concedendum: item rem esse vtilem, & magni lucri occasionem nunc adesse præclarissimam, quam, cùm elapsa est, non facilè fuerit reuocare; adolescentiam id requirere; non nisi semel committendum crimen. Plurimæ denique hujus generis rationes sese offerunt, quibus & mens percellitur, & ratio obfuscatur, & appetitus instigatur, & caro accenditur. Sic tandem in hoc seditioso affectionum conflictu, *defendentibus se inuicem cogitationibus aut etiam accusantibus*, præpeditur planè mens, & quasi tenebris obuoluitur, adeo vt superius Conscientiæ decretum, Voluntati quasi præ foribus affixum, legere aut mens non possit, aut etiam nolit. Et sic tandem contra Conscientiæ præscriptum,

seditioni

seditioni Passionum succumbit, & in earum concedit partem; malorum, in quæ se coniicit, admodum secura, quia naturæ exardescentis fuligine excæcata. Præceps eheu fertur miseria, & nescit quò. Sciet autem malo suo, scelus quod abblanditur dum expleuerit.

13. Vtrumque eximiè docet Ambrosius. Peccatur inquit, *quia dum in quadam sumus delinquendi libidine, nebulis quibusdam insipientiæ mens obducitur & fumo quodam iniquitatis oculi eius caligant ne videat eorum quæ concupiscit deformitatem.* En primam animæ labem, ortam ex affectionum fuligine. At verò inquit Sanctus, *cùm omnis nebula transierit, grauia tormenta exercentur, in quodam malè conscii secretarîo.* Neque credas multùm differenda hæc tormenta. Vix enim nebula transierit, transit autem simulatque commissum est scelus, illicò Apparitoris instar aderit Conscientia, in jus te illico quæ abripiat. Neque est illi quòd succenseas: istud enim ei à Supremo omnium Domino demandatum est officij, vt statim nullâ morâ interpositâ peccantem occupet. Ita Deus ipse Caino. *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* quidnam autem hîc peccatum dicitur, nisi peccati memoria, id est, sceleris Conscientia? Aderit itaque Conscientia, & quidem statim, præ foribus ne effugias, vt tamquam Apparitor seuerissimus, sigillo vultûs Diuini armatus (*signatum est enim super nos lumen vultûs tui Domine*) legitimè tibi non diem dicat, imò ne horam quidem, sed extemplò, eodem quô peccatum est temporis momento, in jus rapiat etiam inuitum. Ad quem judicem? ad seipsum, ad Conscientiæ, inquam, domesticum tribunal. Quid exiget? hoc breui scies. Primum quod extorquebit, erit sceleris nuda confessio. At quid si fateri nolim? Fateberis profectò etiam ingratiis. Fassus est crimen suum, quamuis occultum, Lamech, etiam vbi non cogebatur. *Audite*, inquit, *vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum.* Mira profectò in mente habet, qui talem à mulieribus exigit audientiam. Quid ergo? *Occidi*, inquit, *virum in vulnus meum, & adolescentem in liuorem meum.* Stupet hîc Chrysostomus candorem viri, secreta scelera confitentis, & *Quis istum dic obsecro* inquit, *ad confessionem adigit? Nullus alius quàm Conscientia & incorruptus ille iudex. Nam simul ac in peccatum declinarat, sta-*

D. Ambr. l. 2. de Abraham. c. 4.

Gen 4. v 7.

Ps 4. v. 7.

Gen. 4. v. 23.

D. Chrys. hom 20. in Gen.

Vt peccatum commissum est, redit menti claritas.

Citatur peccator ad Conscientiæ suæ tribunal.

stim

tim insurrexit Conscientia inclamans, & ostendens peccatorum magnitudinem (en vt apparitorem & iustitiæ ministrum agat strenuè) *omnibus seipsum pœnis obnoxium fecit. Ita enim se habet peccatum, vt priusquam fiat, obtenebret ac decipiat mentem: postquam autem consummatum fuerit, manifestè nobis suam absurditatem proferat, & ostendat.* Ita Chrysostomus.

Redit in memoriam sententia à Conscientiâ prius lata.

Vt autem pergam dicere quæ in jus rapto peccatori tandem adhibenda sint tormenta, nec tamen tumultuariè & iniustè, aut sine juris formâ; rem totam sic habe. Simulatque igitur commisso jam scelere residit aliquantulùm affectionum seditio & mentis perturbatio, illicò discussâ cerebri fuligine, lux rursus oboritur, & superior animæ pars clarescit. Sic rursus sese menti aperit atque objicit decretum illud, quod antequam aggredereris scelus, Conscientia Voluntati præfixerat, nempè: *Hec actio est illicita.* In mentem, inquam, venit illicò sententiæ à Conscientiâ de hâc actione committendâ latæ memoria. Sententiâ sic exhibitâ, illicò personam mutat, accusatorisque partes arripit Conscientia; factum exhibet, clareque in os exprobrat, contra suum dictamen pertinaciter egisse te: neque aliis vtitur actionis contra te institutæ probationibus aut instrumentis, quàm ipsâ facti evidentiâ. Tenetur enim scelus, *& in foribus peccatum adest*: neque vllus datur tergiversandi locus, aut negandi euasio, vbi tam recens est commissi memoria, imò ipsa sceleris præsto est præsentia. 14.

Convincitur peccator facti evidentiâ & præsentiâ.

Et damnatur criminis reus.

Quid hîc aget peccator? quò se vertet? factumnè negabit, aut defendet? neutrum potest; manus dat, habemus fatentem reum. Tum demùm Conscientia pro tribunali sententiam nouam pronuntiat, quâ tandem criminis se condemnat, statuitque factum malè & scelerate, pœnasque legi infractæ esse persoluendas. Neque sententiæ executionem procrastinat; illicò pœnas sumere incipit, eodemque judicii sui rigore voluntati crimen objicit, improperat inconstantiam, exprobrat impudicitiam, arguit denique contemptam Dei legisque tam clarè exhibitæ auctoritatem. Atque hæc quæ de se & suo scelere fert judicia, propriè sunt aculei & tormenta Conscientiæ. 15.

Aculei Cõscientiæ sunt facti exprobratio.

Multis modis & vicibus fit ea criminis exprobratio.

Et quidem tolerabile id esset vtcumque, si intra nudam vnicamque facti exprobrationem staret Conscientiæ insultantis asperitas; sed primo judicio non contenta, recurrit identidem, objectatio- 16.

jectationes ingeminat, factum repetit, indignitatem rei exaggerat, mœstamque præ sceleris sui verecundiâ, acerbissimis modis exagitat voluntatem. Neque hoc agit quasi scommata de plaustro conjiceret; sed quemadmodum judex qui sententiam protulit, rationes coaceruat vndique, quibus juste pronuntiatam esse, liquidò demonstretur; sic vt os reo, quantumcumque pertinaci, possit obstruere. Ita agit sceleris rea, dum necdum penitùs extincta est Conscientia: nihil non mouet, nihil non inuenit, vnde sententiam criminis confirmet, sibique meritò faciat conuitium. Atque eccum verum Animæ tormentum. Criminatur atque exprobrat, vt rei indignitatem, voluntatisque impudentiam ob oculos ponat; contemptam non naturæ tantùm rationisque legem, sed ipsam supremi Numinis auctoritatem explosam, irritatam offensi Dei Majestatem, idque ob abjectissimam carnis petulantiam, quæ ne in hominum oculos quidem sine summo pudore & infamiâ veniat: ob sordidissimas & quæ illicò erant perituræ voluptates, fœdo commercio venditas esse cœlestes æternasque delicias: hominis aut scorti familiaritatem infamem, Diuinæ amicitiæ esse propositam: conculcatum esse sanguinem ipsum morientis Christi, pretium scilicet Animæ, turpi libidine diuenditæ; majorisque fuisse perituras opes per summam iniustitiam partas, præ iis quas tanto sibi sudore comparauerit moriens Deus. Infinitus sim si cuncta afferre voluero, quæ in hanc rem, sententiæ suæ pondus factura, vndique congerit Conscientia. Iisque congestis, tum rursus instat, vrget, premit, rogat an hoc sit Christianum esse: an hæc Deo pro tantis impensis reddatur gratia; an hoc sit donis naturæ & gratiæ vti; an ad hoc ei data sit ingenii perspicuitas, corporis valetudo & firmitas, fortunarum amplitudo, vt his omnibus instructus & armatus, ea veluti arma in benefactorem conuerteret, & quantùm in se est, iis Diuinitatem ipsam impugnaret? Hoccine demùm esse hominem agere, in cœno voluptatum, porci adinstar, volutari, nihilque humanum præ se ferre præter os, quod ne inter homines quidem honestos audeat aperire?

Exponuntur modi aliqui quibus Conscientia crimen exprobrat & exaggerat.

17. Hæc judicia, sæpiusque iteratæ, & variis modis inculcatæ sententiæ, aculei sunt, tormenta sunt, quæ sceleribus vindicandis, tortoris instar, admouet Conscientia; & in iis tolerandis tota consistit peccantis animæ carnificina. Ita igitur tota res agitur. *Primò,*

Synopsis dictorum hoc §.

mò, in ipso sceleris articulo, peccantem Apparitoris vices agens adoritur Conscientia, & è vestigio in jus trahit. *Deinde*, nullâ morâ interpositâ, actionem instituit, crimen objicit, & factum euincit. *Tertiò*, sententiam actutum pronuntiat, actum malè, actum impiè, actum sceleratè. *Quartò* denique, sententiam à se latam inculcat identidem, atque exprobrat modis omnibus sceleris commissi immanitatem.

Voluntas in hu. accusationibus à nullo habet patrocinia, sed sola ab omnibus destituitur.

Vbi tum ea quæ te ad peccandum perpulêre phantasmata? vbi quæ abblandiebatur vultûs species? vbi rationes quæ sceleri patrocinabantur? vbi qui necessitatem abutendi corporis, voluptatibusque indulgendi, prætexebat appetitus? vbi quæ rem licitam esse clamabant argumenta? vbi naturæ præsidio tectæ affectiones? vbi faces libidinis? vbi qui seditionem excitarunt insanæ affectiones? Resederunt omnia commisso scelere, & re male actâ, tumultuantis adinstar plebeculæ, viso judice, aufugêre, teque in ipsis Conscientiæ manibus perfidè destituêre, hoc est, Judicis, imò carnificis tui, permiserunt arbitrio. Egregios enimuerò caussæ perditæ patronos & aduocatos! Hoc nempè erat quod addixêre patrocinium, clientem perdere, & perditi caussam prodere. Neque id mireris inquit D. Chrysostomus, *Ea enim peccati natura est, vt priusquam omninò perpetratum sit, hominem tumultuantis afficiat: postea quàm autem expletum ac perfectum est, tunc ea voluptas sese proripiat & extinguatur. Ac solus jam deinceps stet accusator; Conscientiâ nimirum carnificis locum obtinente, ac peccatorem lancinante, ab eoque extremas pœnas exigente, ac plumbo quouis grauius ipsi incumbente.* Ita Chrysostomus & rem ipsam describit gnauiter, & quæ à me dicta sunt, suâ auctoritate penitùs confirmat. D. Chrys. epist 7. ad olympiadem. 18.

§. III.

In quo consistat pœna quam animus sentit ex Conscientiæ tormento, & quanta hæc sit, amplius declaratur.

Vti incubuit cor, ita Cõscientia animã pec-

REstat explicandum modò, quid tandem sit exquisitissimus ille dolor, quem ex Conscientiæ suæ carnificinâ tormentisque immissis animus percipit. Quod vt agam magno erit vsui, ea 19.

quam

quam modò D. Chrysostomus protulit, plumbi comparatio, dum Conscientiam asserit carnificis adinstar, animam opprimere, *ac plumbo quouis grauius ipsi incumbere*. Perplacet, inquam, elegans comparatio. Prout enim contingit non rarò sinistro lateri indormientibus, vt sanguinis ex hepate defluentis grauedine, quam Incubum Medici vocant, vndique opprimatur cor, eique mole suâ infestus adeò incumbat, quasi si plumbo premeretur: vnde contingit palpitare cor, angi viscera, & spiritum quodammodò intercipi ac suffocari; dum sanguinis cordi imminentis vi, & vim eluctantis cordis conamine, anima perstringitur & contrahitur; atque in ipso eluctandi conamine & reniſu angores patitur exquisitissimos. Ita prorsus cùm acerrimus accusator, Conscientia inquam, animæ nocenti incubat, judiciumque intentat grauissimâ in causâ etiam grauissimum; contrahit sese illicò cor, labascit animus. Vt clariùs loquar, contrahunt sese præterita desideria, quæ cor ipsum jucundo quodam calore demulcebant; labascunt actiores sanguinis spiritus, affectionum naturalia nutrimenta; & sic tandem deficit animus, contractus metu, vigore omni destitutus, neque deficientem spiritum lubet, ne ad solita quidem officia deinceps explicare.

Rati reum suffocat.

20. Atque hæc demùm virtutis natiuæ destitutio, hoc animi deliquium & angor, pœna est seu passiuus, vt planè loquar, dolor, quem animus ex stimulorum à Conscientiâ ingestorum aculeis persentiscit. Dolor autem hic in tribus maximè animi actionibus consistit. *Primò*, quidem in facti pœnitudine: quæ nihil est aliud, quàm ingens desiderium, factum non fuisse quod factum est, seu commissi sceleris Detestatio. Hæc prima mentis lucta. *Secundò*, dolor exoritur ex improbo conamine, quo vim Conscientiæ eluctari mens nititur; & exprobrationes quas vndique & sine intermissione ingerit accusator, conatur aut non audire, aut à se penitùs amoliri. Quod dum nequidquam tentat, *tertius* suboritur dolor animo, ineluctabilis nempè pudor & verecundia, quâ mens obducitur tum præsenti exprobratione Conscientiæ impetita, tum etiam timore futurarum quas sibi certò scit quotidiè ingerendas. Hinc animo sic contracto & doloribus fracto, suboritur tandem odium quoddam, aut saltem tœdium sui. Pudet enim hominem sui, neque pudoris causſam potest excutere, quamdiu ipsemet sibi est pudoris justa materia. Et sic verum est

In quibus actibus cõsistat dolor quem ex Conscientiæ stimulis percipit anima.

Maximus dolor, à seipso torturam pati.

quod dicit Seneca: *Prima & maxima peccantium pœna est, peccasse*: ob pudoris nempè incussi, identidemque incutiendi acrimoniam. Nam vt rectè paullò pòst subjicit, *numquam fides latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos Conscientia, & ipsos sibi ostendit.* Ita ille. Se autem dum sibi ostendit, non alium ostendit quàm hominem improbum & sceleratum. Hæc autem conuitia semper excipere, neque ab iis ferias dari aut promitti; tormentum est sanè, vti ineuitabile prorsus, (quis enim se euitet?) ita & intolerabile prorsus, cunctisque pœnis tormentum majus: nihil enim est intolerabilius, quam ab amico conuitium pati. Et quis magis amicus est homini, quàm quisque est sibi? Hinc magis est impatibile, quòd reus sceleris patitur non ab alio, sed à seipso; neque aliud vllum huic tormento est comparandum. Seneca epist. 97.

Maximum à propriâ Conscientiâ dolore causari, probatur in Adamo.

Quid enim? Quid, inquam, tantopere, miserum, peccatorem nempè, Adamum affligebat? An secutura mors, an morbi, an inedia, an subortura terræ sterilitas, sudoris laborisque deinceps futura materies, & sceleris à se commissi vindicta? Certè mala hæc, nec experientiâ suâ nouerat, neque adeò nosse poterat indicio alieno. Incogniti autem quis potest esse tantus timor? Mouet quæstionem hanc D. Chrysostomus, eamque dissoluit. *Quare*, inquit, *dic oro, quare timuit? Quoniam videbat sibi trucem stare accusatorem, Conscientiam dico: neque enim alium objurgatorem habebat & testem peccatorum, sed vnicum illum quem intrinsecùs circumferebat.* Ita ille & rectè. Objurgatorem certè alium non habuit: quem enim habere tum poterat nisi Deum, cùm ab Euâ sceleris complice nihil esset magnoperè metuendum. Quid verò Deus? an accurrit forsitan irâ feruidus, auidusque vindictæ? minimè verò; *Deambulabat*, ait sacer textus, *in paradiso ad auram post meridiem.* Non est sanè ferocientis animi indicium, hæc tam pacifica deambulatio; neque vindictam multùm spirat, qui amœnas sic quasi per otium captat auras. Et tamen, *cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Atqui truculenta non erat facies Dei, sed placida, sed amœna: eam tamen fugit Adam. An forsan vocem grauiorem intorquet Deus offensi animi manifestum indicium? Ne hoc quidem habet Adam timoris sui argumentum. *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es?* quid dici poterat modestius? 21. D. Chrys. homil. 17. in Gen. Gen. 3. v. 8. v. 9.

quid

quid etiam amicabilius, quàm deambulationis suæ comitem perueſtigare? Et tamen intrà latebras suas seſe continet fugitiuus:
v.10. *qui ait, Vocem tuam audiui in Paradiſo, & timui quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Non quòd nudus esses timebas Adam, sed quòd peccator: prætextum quæris verecundiæ, sed cauſſam diſſimulas. Quid enim terrere poterat tantoperè cognita & amica vox? non vociferatur, non indignatur, non exprobrat quidquam; blandè tantùm rogat, *Vbi es?* Hæccine timoris aut pudoris eſt materies? Eſt sanè & quidem maxima. Quò enim blandior placidiorque erat Numinis offensi vox & oratio, eo rancidior erat seueriorque Conſcientiæ internus clamor, illud ipſum acerrimè exprobrantis, nempè mulieris amorem, amicitiæ tam placidi & amœni Numinis esse prælatum, contemptamque illius Dei sanctiſſimam auctoritatem, qui etiam offensus, nihilominus secum agat tam beneuolè & amicè. Conſcientiæ itaque vox prorsus erat horrida; & quia minimè adhuc Adamo expertum, primum maximumque tormentum. Grauis profectò vox & planè horribilis, quæ tumultu & strepitu quem in Adami animo excitarat, etiam Dei deambulantis vocem suauiſſimam & amœniſſimam, auribus infelicis viri horrendam reddebat & intolerabilem. Nam inter clamores streperos vociferantis Conſcientiæ, blanditias suas amœnitatemque, Diuina vox amiserat. Et sic qui vocem ambulantis Dei audiuit, vocem exprobrantis Conſcientiæ ferre non potuit. Illam audiuit, sed hanc timuit: fugit & abſcondit se. Se tamen non effugit, suus posthac futurus carnifex.

22. Ingens proculdubio tormentum hoc vt sit neceſſe eſt; cùm vt præclarè animaduertit D. Ambroſius, Deus, grauiſſimè tamen offensus à primâ infelicis Adæ ſobole Caino, eum supereſſe voluerit; eique, quamuis mortis reo, de mortis tamen à quoquam illi inferendæ periculo cauerit, tantùm vt diutiùs ærumnis superuiueret, & diuturnioribus Conſcientiæ ſtimulis vrgeretur. Digna eſt quæ exponatur res. Notum eſt Caini facinus: primum fuit quod orbis vidit, & quidem fratris homicidium; primum, inquam, inuidiæ ſacrificium. Deus sceleratum caput pro suo jure aggreditur: inquirit scelus, tergiuersantem vrget, denique conuincit criminis. Vindictam petit effusus cruor. Ita Deus ipſe. *Vox*
Gen. 4. v.10. *ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Iudicem profectò inclamat, pœnas exigit sceleri pares. Cumque jam nihil aliud supereſſet,

Morte ipsâ diuiorem esse probatur in Caino.

esset, quàm vt mortis sententiam in homicidam Deus ferret; ecce tibi sententiam pro ert vitæ. *Nunc igitur maledictus eris super terram.* Ita sit, sed salua vita est. Ita est. Et neque nunc tantum saluam vult Deus, sed vt imposterum eius vitæ caueat: *Posuit Deus Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum:* non immeritò enim timebat infelix Cain, ne quispiam suo exemplo ferox in vltionem occisi innocentis insurgeret. Signum itaque aliquod, fronti verosimiliter aut appendit aut impressit Deus, aut certè tremorem continuum, vt quidam volunt, membris indidit, vnde & dignosceretur homicida, & ab omni violentiâ aut pœnâ in vindictam criminis commissi inferendâ, posthac sciretur immunis, Deique judicio reseruatus. Salutis itaque concessæ testimonium (saluam guardiam vocaremus modò) Cain propalàm circumferebat, omnium jam exemptus jurisdictioni & manibus, præterquàm suis. Et quidem tam luculenta erat hæc à Deo data fides publica, vt minæ etiam grauissimæ Caini conseruandi gratiâ adderentur, *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Hîc verò justitiam tuam imploro, justissimè scelerum ponderator & judex Deus. An hoc punire est scelera, an verò dissimulare? an hanc pro clamoribus suis vindictam refert innocens Abelis cruor? Ignoscere si vis, ignosce; Deus es & potes omnia. At verò pœnas sumere si constitutum est tibi, sanè pro criminis atrocitate pœnas det. Mortem si est meritus, vt quid morte eximitur? Vt crudeliùs viuat, inquit Ambrosius, & ferociùs torqueatur. *Egressusq; Cain à facie Domini, habitauit profugus in terrâ.* Nusquam securus sui, quia semper secum. *Cum adhuc à Domino pœna cessaret,* subjicit Ambrosius, *torquebat eum suorum Conscientia peccatorum. Latebat miser tremens & timens; & cum adhuc percussor deesset, ipsa sese iniusti vita cruciabat. Acceperat signum ne eum aliquis occideret; non vt vitæ suauitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnam; vt percussorem suum quotidiè timendo pateretur. Meruerat quidem vt percussor non inhiberetur; sed sine vllâ intermissione ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor.* En vindictæ Diuinæ justitiam, ab omni sceleris dissimulatione, ab Ambrosio eleganter & verè propugnatam.

v. 11.

v. 13.

Ibid.

v. 16.

Ambr. in Psal. 35.

Animaduersione dignum est quod dicat Sanctus, vitam concessam esse Caino, *ne mors auferret ærumnam.* An ergo Conscientiæ tormenta majora sunt, quàm quæ secum fert infausta mors? 23.

Dicam

Dicam quod res est. Non omnes Conscientiæ stimuli tam crudeles sunt vt morti comparentur; neque enim semper vires omnes Conscientia exerit, neque omnes quibus instructa est stimulos semper infligit. At verò rem agere cùm incipit, & grauiora quæ ad manum sunt tormenta dum admouet, tum sanè ea ingerit, quæ morte omni sunt grauiora, & quibus nullum nisi à solâ morte datur patrocinium. Experti credunt. Et rem non expertus, tamen exhorruit Bernardus, Audi. *Horreo*, inquit, *vermen mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ numquam peroccîdit, & semper occîdit. Quis det semel mori, vt non moriatur æternum !..... denique inuocabunt mortem, & non veniet.* En vitam omni morte crudeliorem. Saluberrimum tamen supplicium; vt tandem aliquando resipiscat reus, aliusque à se fiat conuictus sceleris, & victus vitæ tam exosæ fastidio.

Et ex D. Bernardo.

D. Bern. l. 5. de Consid. c. 12.

24. Istud enim, præclarum tormentis hisce temperamentum attulit, malis humanis indolens Deus, quòd vim auctoritatemque Conscientiæ in hâc vitâ vtcumque contraxerit: ne scilicet quamdiu peccatores viuunt, omni quo posset impetu reum opprimat, eique cruciando semper mordicus inhæreat. Hoc modo in inferno carcere iurisdictionem suam Conscientia exercebit. In hâc verò vitâ, feriæ dantur nonnumquam à tormento, & per interualla carnificina repetitur; neque verò etiam extrema vis adhibetur. Non enim illi ferendæ homo par esset, breuique tempore doloris vi emarcesceret. Ea propter inquit Chrysostomus *& illud prouidit* (nempe Deus) *vt ex interuallis nobis immineret Conscientiæ redargutio; propterea quòd est admodum seuera, & quouis stimulo acriùs pungere soleat.* Ita ille. At ego præterea benigni Numinis misericordiam agnosco. Interualla tormentis dat, vt de vitæ suæ rationibus immutandis, seriò peccator deliberet cùm à tormentis vtcumque liber est; quod non est tam facile & expeditum animo prorsus languido, & doloribus tantis præpedito.

Non semper vrgere Conscientiam permittit Deus, ne peccator extinguatur.

Et vt possit resipiscere.

D. Chrys. hom. 17. in Gen.

25. Interim ingentem à Deo datam Conscientiæ auctoritatem & potentiam, mecum si placet, perpendite; illudque tandem statuite, quantæ apud nos esse debeat venerationi. Nuda est Conscientia, inermis est, non fascibus metuenda aut securibus, non virgis armata aut ferro, non catastis funibusque terribilis. Sola

Conscientia nulla arma habet nisi seipsam.

est, neque arma præ se fert, nisi quæ ipsa sibi format & suppeditat; atque illa sunt simplex rei actæ condemnatio. Interim tam acerba est hæc Conscientiæ sententia, vt totum hominem percellat & pauefaciat: vigorem omnem exsugit facti tœdio; occludit cor; suauitatem vitæ labefacit: sic vt nec edere libeat, nec commeſſari delectet, nec solita gaudia afficiant, nec veteres amicitiæ placeant, nec somnus detur oculis, nec quies animo: imò vt nec viuendi quidem vlla posthac sit lubentia. Tantus animum inceſſit dolor. Quid autem id est quod hominem habet tam miseris modis? quid est quod mentem, imò & corpus lancinat tam crudeliter? Nihil prorsus, nisi solius Conscientiæ sibi metipsi infensæ aculeus. Sic dum agit, Deum agit.

Adhortatio ad peccatorem.

I nunc peccator, & tecum statue, an operæ pretium fuerit, 26.
voluptatis momento duraturæ impendio, tam ingentes & tam perennes dolores sibi comparare? Statue, inquam, an æquum sit rationique consonum, vt corpori, naturæque affectionibus corruptæ, vno temporis articulo placeas, sibi tam acerbum in morem toto deinceps vitæ tempore displicere. Voluptatem exiguam, & verò falsam, tormentis tam veris & diuturnis compara, & tandem erubesce. De cæteris, quæ insaniæ tuæ debentur, suppliciis nunc non ago: de iis loquor, quæ modò pateris à teipso. Hæc verò si non fers, æterna cur non expaueſcis? Si autem fers, neque forsitan præ inueteratâ peccandi consuetudine, à Conscientiâ pungeris; aut si pungeris, nihilominus non compungeris, neque aculeos persentiscis; actum esse de te timeo: cauteriatam, vti D. Paulus loquitur, habes Conscientiam, id est aduſtam & sine sensu emarcidam; neque quidquam bonæ vitæ tibi factum est super, qui in tantâ dolendi materiâ, doloris sensum amisisti.

§. IV.

§. IV.

Ostenditur non omnes Conscientiæ aculeos esse tam acres, neque semper vrgere. Item datur ratio, cur ex quibusdam peccatis majores sentiantur stimuli, majorque percipiatur dolor, quàm ex quibusdam longè grauioribus.

27. VErùm vt nihil quod materiam hanc concernit intactum relinquam; & ne fortassis etiam timorem nimium incusserim iis, qui cæteroquin bene frugaliterque vitam instituentes, nonnumquam aut fragilitate humanâ, aut Dæmonis instigatione, aut etiam peruersitate propriâ in nonnulla crimina se induerunt, neque tamen tam vehementes Conscientiæ stimulos persentiscunt: vnde & metuere possent an fidam habeant Conscientiam, an verò cauteriatam, cùm officio suo non videatur satisfacere; idcircò duo mihi hîc præcipuè dicenda sunt, quæ sint solatio.

28. Primò quidem licèt acerbissima, quibus reum sceleris cruciet, tormenta, in manu Conscientiæ sint; iis tamen non semper vti, certum est; neque adeò admouere nisi rebellibus & cotumacibus, iis denique quibus libet & constitutum est esse penitus sceleratis. Hos profectò adoritur crudeliter, hos torquet pertinaciter; & si flectere non possit peruicacem, tandem deserit; tormenta sua subtrahit, donec puniendus est æternis. Cæterùm peccatores eos qui sese sceleribus penitus non deuouêre, qui necdum criminibus frontem perfricuêre, neque Deum quasi ex æquo paribusque armis decertaturi, ad singulare certamen sceleribus audent lacessere; hos, inquam, pungit Conscientia, officiique admonet suauiori prorsus modo. Castigat quidem agentem malè, sed non tam vt pœnas sumat, quàm vt corrigat. Quòd si autem admonitus illico ad mentem veniat & resipiscat, cur pœnas deinceps admoueat rei benè gerendæ non necessarias? Cur clamores adhibeat, vbi sibilo res peragitur? Hinc fit, vt sæpe peccato commisso, non ingens sentiatur Conscientiæ morsus:

Eos qui non sunt pertinaciter scelerati, sæpe non tam acriter punit Conscientia.

Præsertim cum illico venitur ad pœnitudinem.

sus : suffecit enim modica vellicatio. Sentit hanc peccator, & erubuit ; & vt erubuit, pœnituit, & salua fuit res.

Aliquando tamen etiam in pœnitente manet aculeorum sensus, vt videat peccator quid meruerit, & quas pœnas paratas habeat Conscientia.

Non inficior tamen, durare nonnumquam in sceleris pœnitente, quandam animi amaritudinem & pudorem. Is tamen à Conscientiâ non ingeritur vt frangat animos : vt quid enim eos infringat, quos jam depressit facti pœnitudo ? Ad quid ergo ? Sanè vt ostendat Conscientia quid peccando mens sit merita ; atque ostenso tormento timeat, & sapientiùs agat imposterum. Sic Pater aut Pædagogus virgas ferulamúe ostendit ; & verò etiam delinquenti, & errorem deprecanti nonnumquam admouet leuiter, non vt puero dolorem incutiat quô contabescat, animosque dein penitus abiiciat ; sed vt delicti recordetur cujus pœnam sensit, sciatque imposterum non deesse Pædagogo mala quæ incutiat, & quidem iis quæ passus est majora, si malè rursus agere in animum induxerit. Ita sæpissime agit Conscientia : quamuis actorum pœniteat, statutumque sit penitus resipiscere ; castigat tamen, sed molli manu : stimulos ingerit, qui licet blandiùs, afficiunt tamen, & perurgent pœnitentis animum : tum vt pro commisso crimine pœnas det, tum vt oculos tandem aperiat, agnoscatque esse quibus puniatur tormenta prorsus eximia, quorum hæc quæ sentit, initia tantùm sint & quasi rudimenta. Sapiet posthac suo malo edoctus peccator, & delicias scelerum detestabitur, quæ tam eximij doloris futuræ sunt materia. 29.

Sæpe ob minora peccata maiores sentit Conscientia stimulos.

Alterum quod occurrit, quodque Conscientiæ stimulos suspectos possit reddere an veri sint an exorbitantes, est, quòd persæpe grauissimè feriant post commissa quædam scelera, quæ reuerâ aliis longè minora sunt. Interim stimulos ingerunt longe acriores iis, qui commissis grauioribus, à Conscientiâ peccatori admouentur. An hoc est fide bonâ & sincerè partes agere Pædagogi, ad minora clientis sui vitia vocem efferre, minitari extrema, totamque clamoribus complere domum ; ad majora vix vocem efferre, & sceleribus quasi conniuere ? Sanè id in humanis vitiis experimur quotidie. Minimè quippe dubitandum est, quin ingens famæ detractio, majus sit crimen naturâ suâ, quàm furtum : vtrumque majus etiam est fornicatione, aut simplici luxuriâ : omne peccatum si mortale est in quâuis materiâ, indubitatim majus est peccato veniali quod in castitatis materiâ committitur : omnibus hisce denique deformior est 30.

Expenditur vnde id fiat.

blasphe-

blasphemia, atque odium Dei. Et tamen longè acriores animi stimulos persentiscunt plurimi, majori pudore suffunduntur, imò & longè magis cor ipsis adstringitur, si furti sibi sint conscij, quàm detractæ famæ si sint rei. Et rursus, majorem animo dolorem concipiet pudica virgo, si se carnis vitio etiam exiguo contaminarit, quam si detraxerit aut homini famam, aut blasphemando honorem Deo. Quid hocce demùm rei est? vnde in tam dispari culpâ tam dispar dolor? Scio quidem majorem tempestatem animo nonnumquam oboriri, ex Confessionis instituendæ verecundiâ. Verùm cur hæc ipsa tam inæqualis est? Quòd si ea ex Dei offensâ, Conscientiæque exprobratione oritur; certè longè grauior illa est culpa, ob quam tamen non adeo erubescis. Quid, quod & veniale sæpe tantùm sit, nec Confessionis subjectum legi? quid ergo motus facit tam dispares & inæquales? An forte Conscientia ex fide non agit partes suas? Hoc tamen de bonâ Conscientiâ minime licitum est suspicari.

Datur ratio cur aliqua peccata minus præ aliis detestanda, magis tamen sint erubescenda.

31. Dicam quod sentio. Præclarè sanè consilio prouidit Deus, vt vbi majora sunt labendi pericula, isthic etiam præsentiora forent quæ lapsum arceant, retinacula: & vbi morborum plures sunt illecebræ, isthic etiam in promptu essent acriores, quæ malo opponantur, medicinæ. Hinc ergo, cùm alia atque scelera, ex ipso naturæ corruptæ vitio, fomenta aut minora habeant aut etiam majora, vnde pronior est frequentiorque in hæc quàm in illa lapsus; magnâ sane circumspectione & misericordiâ id egit Deus, vt plura essent adjumenta, præsentioraque retinacula, vbi facilior frequentiorque ruina erat expectanda. Cùm igitur tam lubrica sit carnis nostræ constitutio, tantæ voluptatum illecebræ, tam procax sanguinis impetigo, tam vehemens phantasiæ formosâ specie illectæ petulantia, tum crebra affectionum illicita exposcentium seditio, tot denique ex hâc parte incitamenta quæ ruinam prouocent; huic sanè peculiari studio fuit prouidendum. Majorem itaque verecundiam naturæ inseuit, & quasi sepem pudicitiæ seruandæ circumduxit Deus spinis stimulisque asperam, vt aculeis quibus impetenda est mens, perterrita sese contineat, nec limites sibi à ratione, à Matrimonij legibus, à Deo denique præscriptos, temerariè perfringat & excedat. Acriores itaque spinæ & stimuli isthic erant obiiciendi, vbi ma-

jor futura erat sepem perfringendi licētia aut potiùs lubentia. Stimuli hi sunt naturalis illa, omniq;, qui pudicus est, homini innata verecundia, quam non immeritò frænum vocaueris naturale vitiorum. Et licet omnia, si rationem spectes, pudenda sint scelera, & quidem quæ majora sunt erubescenda sint magis; tamen circa luxuriantis carnis vitia longè acrior circumseptus est à Deo pudor, quàm circa odium ipsius Dei; quia nempe ex ipsâ carne, maximæ existunt illecebræ quæ ad ista, & pauca quæ ad hoc pertrahunt. Expediebat autem omnino, vt vbi majus erat corruptionis discrimen, ibi esset acrior medicina. Et cùm ex corpore malum luxuriæ plerumque pullulet; ex sanguinis nimirum æstu spirituumque vehementiâ; etiam ex ipso sanguine parandum erat aliquod mali remedium. Hoc autem est Verecundia, quæ ex sanguinis affluxu oritur, frontem, os, oculosque occupat, rubore vultum inficit, eique inscribit manifestas sceleris notas. Sic nempe sanguinis vitium, sanguine proditur; & dum se prodit, se castigat. Atque hæc est ratio, cur quædam scelera magis quidem sint detestanda; non tanta tamen erubescentiæ sint materia, præ aliquibus, quæ longè minùs sunt detestanda, erubescenda tamen quam quæ maximè.

Cur Conscientia magis acriter pungat verecundiâ in peccatis carnalibus, quàm in spiritualibus.

Hinc ergo Conscientiam non argue, neque quidquam sinistri de ejus bonâ fide suspicare, ingentes si aliquando minora ob peccata stimulos subiicit, eosque subtrahit longè deterioribus. Agit enim partes suas perquàm accommodè. Sufficit Conscientiæ, si te in officio contineat; aut si excesseris, ad meliora si reduxerit. Hoc autem vbi commodè, ratione solâ objectâ consequitur, vti passim fit in criminibus, merè vt vocant spiritualibus, & quæ ex ipsâ carne non pullulant; isthic corporea tormenta quæque cor carnemque magnopere afficiant, plerumque non adhibet. At verò in iis sceleribus quibus corporeæ voluptatis plurimum est intermixtum, quandoquidem non ratione aguntur pleraque, sed affectionis impetu & prolapsu; sanè præter rationem quæ animo & voluntati admouetur, etiam naturali pænâ agendum est, & voluptati quæ carnem afficit, frænum imponendum est quod carnem domet. Doloris itaque sensum corpori Conscientia adhibet, vbi curandum est corpus, vt animo benè sit. Huic autem bene esse cùm incipit, & per seriam anteactæ vitæ pœnitentiam cùm respiscit, subsidit illico etiam is qui ex

32.

Cessant stimuli & dolor ex

verecundiâ

verecundiâ inustus est corpori dolor; & sic tandem pacata sunt omnia; & animo bene est, nec corpori est incommodè. *pudore ortus, cum respuerit peccator.*

33. Neque verò credo necessarium, vt hunc quem Conscientia seruat agendi modum & ordinem, fusiùs comprobem; experientia enim clara est, & ratio manifesta. Cùm enim præcipuus, quem Deus sibi præscriptum habet, finis sit, non adeo peccatorem Conscientiæ admotis stimulis cruciando castigare, quàm corripere & ad officium reducere; sanè si peccator ictus sapiat, eumque sceleris commissi pœniteat, non est quòd intentâ manu feriat, aut quod per Conscientiæ tormina, nouam quotidie carnificinam moliatur. Redit animo pax, vbi reditur ad officium; ipse animus sibi redditur, vbi quod debetur, redditur Deo. Ita sanè testatur apud Isaiam Deus ipse. Iras se tandem positurum pollicetur. *Non enim in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar? ..... vias eius vidi & sanaui eum; & reddidi consolationes ipsi.* Agnosce artes te per Conscientiæ stimulos corripientis Dei, quisquis es mortalis; & inter angores animi quibus nunc ingemiscis, *Misericordias Domini in æternum cantabis.*

Isai. 57. v. 16. & 18.

§. V.

Alios esse Conscientiæ aculeos naturales, alios supernaturales; rursus alios veros, immissos à Deo & Conscientiâ, alios à Dæmone. Quomodo discernantur. Denique quid agendum sit animæ his stimulis exercitæ.

34. PAuca tamen adhuc subnectenda sunt, vt aculeorum à Conscientiâ ingestorum natura penitus exponatur.

35. Ac *primò* istud reticendum non est, quòd quamuis ingentem animo commissi sceleris dolorem persentiscas, eumque aculeis suis Conscientia inusserit, non tamen semper supernaturalem esse sensum illum: & quamuis te facti pœniteat, scelusque præteritum detesteris, non tamen eam esse semper detestationem quæ veniam delicti impetret, amissamque cum Deo amicitiam reconciliet: habet enim etiam ex naturæ visceribus depromptos aculeos Conscientia. Tunc quidem supernaturalis ordinis sunt hi stimuli, doloremque qui super naturæ vires sit eliciunt, cùm *Dolor qui ex naturæ rationibus elicitur naturalis est.*

ex

ex Diuinitatis offensæ Majestate, Auctoritate, aut Bonitate, dolendi caussa elicitur, aut saltem iis ex rationibus quas fide attingimus, vti fusius Tract. 12. 13. 14. Explicabimus. At verò quid si doleas aut ob vitium corpori illatum, aut ob infamiam apud homines subeundam, aut ob dignitatis amittendæ discrimen, aut ob opum euertendarum periculum, totusque hisce de caussis abeas in lachrymas? Certè naturalis hic dolor est, quem per rationes tantùm naturæ rationique consonas elicit Conscientia, atque adeo inhabilis omnino cui aut peccatorum relaxatio, aut alia quæ supra naturam sit, gratia tribuatur. Non tamen malus hic est dolor; quinimò ad supernaturalem physicè disponit peccatorem. Supernaturalis tamen fiet, si pœnas illas, quasi justè à Deo per te offenso inflictas, æquo submissoque animo excipias; & sic, non tam naturæ sese vindicantis, quàm Dei per naturam te castigantis agnoscas manum. Atque hæc est praxis, quâ cuncta quæ naturâ patimur mala, ad supernaturalem ordinem possumus euehere, iisque tolerandis supernaturalia præmia promereri.

Illi non datur condonatio peccatorum.

Potest fieri supernaturalis.

Si statim peracto peccato aculei nimii sint, à Dæmone sunt pleumque.

Secundò, si postquam commisso sceleri constitutum est non inhærere, nihilominus ingentes admodum, quique præter morem sint, aut quam par est diuturniores, doloris stimulos persentiscis, hoc tibi certum sit non eos tibi per Conscientiam à Deo immitti; sed vel ab insitâ animo superbiâ, per quam tibi, nescio quam constantiam virtutemque arrogabas, aut nescio quid de nobilitate animi & corporis promittebas, sic vt tam pudendo crimini non videreris obnoxius; vel certè Dæmonis artificio tempestas tanta excitatur. Uti enim scrupulis, homines etiam sanctitate conspicuos aggreditur, & per falsas scelerum imagines iis illudit, sic vt peccata esse suspicentur, vbi peccata non sunt: ita & apud eos qui sese fortè, aut prudentes, scelere aliquo contaminauêre, à quo se tamen breui per pœnitentiam, nisi mora iniiciatur, sunt extricaturi; apud hos, inquam, mirâ arte crimen exaggerat, indignitatem rei in immensum eleuat, vt sic dolore immodico mentem excruciet, & tandem etiam penitus labefaciat & conuellat. 36.

Quando sint nimij à peccatis exsurgentes stimuli, declaratur.

Tum autem absque vllâ dubitatione, certissimoque scias immodicum dolorem esse, & à Dæmone suggeri; cùm vel minimam veniæ desperationem, aut certè magnam consequendæ difficultatem 37.

tem obuoluit. Illud enim nouimus indubitatum esse, Deum sibi non aduersari, neque quidquam agere quod hominem à se auertat. Atque adeò, aculeos qui sese eò extendunt, vt Diuinæ Misericordiæ labem inferant & conuitium, non nisi inueterati hostis, Dæmonis inquam, seditiosas voces esse, nimis est manifestum, quàm vt pluribus indiciis tam clara fraus debeat comprobari. Detexit hanc Dæmonis technam D. Ignatius in aureo Exercitiorum libello. *Si per discursum mentis*, inquit, *aliquid offertur vel sequitur quod ex se malum sit; vel auocet à bono; vel ad minus bonum impellat quàm anima priùs quærendo sequi decreuisset; vel animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet, sublatâ quæ priùs aderat quiete, pace & tranquillitate; euidens tunc erit indicium, auctorem esse cognitionis eiusmodi spiritum malignum, vtpotè vtilitati nostræ semper aduersantem.* Ita ille.

D. Ignat. in Exer. Reg. 5. inter priores de discern. Spirit.

38. Quapropter etiam admodùm mihi suspecti sunt proborum hominum vehementes nimiùm motus, exorbitantesque angores animi, qui peccatis leuioribus & venialibus, ab iis etiam per imprudentiam commissis, nonnumquam superueniunt; quamuis ob Numinis à se tenerrimè dilecti offensam crucientur. Suspectus, inquam, hic dolor est, quia nimius. Nimium autem tunc esse scies euidenter, cùm tœdium quoddam infirmitatis humanæ ingerit; cùm solitas preces interpellat, sacram Synaxim impedit, Exomologesim perturbat, aliaque religionis exercitia tetrica reddit & odiosa ex hoc capite, quòd numquam ea sine culpis venialibus detur peragere. Nimius, inquam, hic est dolor, & qui sine dubio à Dæmone ingeritur: ii enim qui à Deo sunt Conscientiæ aculei, quamuis fastidium detestationemque peccati etiam venialis excitent; tamen & animos subdunt, & remedia suggerunt, quibus errores commissi superentur: inter quæ cùm præcipua sint oratio, Sacramentorum vsus, cum Deo commercium, & solita muneris sui statûsque quem quisque obtinet exercitia; ad hæc sedulò accurateque exhibenda animos viresque dant, quæ à Deo sunt, suggestiones. Commodùm id me rursus docet Ignatius. *Spiritui*, inquit, *bono proprium consuetumque est, rectè agentibus animum ac vires reddere, consolari, deuotionis lachrymas ciere, illustrare mentem, & tranquillitatem dare; sublatis obstaculis omnibus; vt expeditiùs alacriusque per opera bona semper vltrà tendant.* Vbi contrà, inquit: *Hominibus qui se à vitiis & peccatis purgandos curant*

Suspectus est nimius angor animi ab peccatis venialibus.

Quis sit nimius, & à Dæmone.

Angor bonus semper est cum fiduciâ.

Ibid. Reg. 5.

Qui à Dæmone est, animos dejicit.

sollicitè, & in obsequii Diuini studio magis ac magis indies promouent, immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, & alias id genus perturbationes, quibus profectum illum impediat. Et ita nonnumquam impedit, vt defectionem persuadeat. Sic videas nonnullos deceptos adeò, vt non tantùm solita pietatis exercitia prorsus omittant, ne iis exhibendis veniali se peccato contaminent; sed vt abjectis animis, ne propositum quidem firmare audeant vitandi peccata venialia, quasi ea decreta omninò frustranea essent; imò etiam mala, ob assiduum ex infirmitate humanâ relapsûs periculum. Quæ quidem omnia, manifesta terriculamenta sunt Diaboli: atque adeò aculei qui eiusmodi suggestionibus armantur, contemnendi prorsus sunt; doloriqúe quantumuis videatur sanctus, qui in tam infelices sese protendit propagines, magna imprimis adhibenda est moderatio, ne in labruscas tandem degeneret & fructus amariſſimos, dum sanctitatis specie, vuas promittit, & vina meraciſſima.

Memoria peccatorum condonatorum quæ mentè turbat, à Dæmone est.

Tertiò. Quòd si autem pœnitentiâ jam peractâ, peccatisque Exomologesi seriâ expiatis, rursus præteritorum scelerum memoria subeat, & aut prioribus dùm adhuc eras sceleris reus, aut etiam majoribus Conscientiæ stimulis vrgearis, sic vt de expiatione gratiâque à Deo factâ ambigere, nouamque incipias Confessionem moliri; præsertim si cogitationes eiusmodi magnam excitant tempestatem: ne quæras quis aculeorum eiusmodi auctor sit: manibus tenetur Dæmon. 39.

Ad quos actus excitet memoria veterum peccatorum quæ à Deo est.

Longè enim alia est, quæ à Deo oritur, præteritorum scelerum quorum facta est gratia, recordatio. Reminiscuntur, fateor, peccatorum veterum Sancti, sed placidè. Recordantur enim *Primò*, vt ea rursus detestentur, sed animo prorsus tranquillo. *Deinde*, vt grates immensas agant olim offenso Numini, ob gratiam scelerum sibi tam benignè præstitam. *Tertiò*, vt ingentem in se fiduciam excitent, fidantque non defuturum sibi Dei patrocinium bona volentibus & benè etiam pro virili agentibus, cùm tam propitium sibi Numen, etiam dum hostes essent & rebelles, sint experti. *Quartò*, recordantur scelerum, vt anteactæ vitæ memoria, præsentis exemplum sit, & præcautio, ne in eadem posthac incidant discrimina, quæ tam feliciter euasêre. *Quintò* denique vt in amorem inardescant tam boni Dei & sibi tam benigni, 40.

offen-

offensasque præteritas majori obsequio, & amoris noui impendio studeant compensare. Hæc sunt quæ mentibus ingerit præteritorum, dum à Deo est, scelerum recordatio. Tranquilla est, serena est, sancta est; & Cælum vnde delapsa est redolet.

41. Vbi ex aduerso turbulenta illa anteactæ, & jam expiatæ vitæ memoria, natiuum solum spirat vnde exorta est: Infernum dico, *terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Quid autem ex tali regione adferri possit, nisi quod turbidum sit, inordinatum, & turbulentum? Atqui vt rectè Sacræ paginæ, *non in commotione Dominus*, non in ventorum turbine, non in flammis vsquequaque diffusis Eliæ apparuit Deus, sed *in sibilo auræ tenuis.* Placidus est genius Dei; & vbi placidè agitur, neque exercentur odia, serenum spirat. Hæc quoque D. Ignatii est obseruatio. *Eorum*, inquit, *qui promouent in bono salutis, animis se insinuat vterque spiritus diuerso modo. Bonus quidem leniter, placidè, ac suauiter, sicut aquæ stilla in spongiam illabens; malus vero duriter, implacidè, & violenter, cum strepitu quodam, sicut imber decidens in petram.* Non sufficit nempè seditioso Dœmoni, strepitu & tumultu cœlos complesse, nisi & terram inuoluat turbine: neque sat magnum lapsu suo fragorem è cœlo dejectus excitasset, nisi & mentibus innocentissimis durus allaberetur hospes, pacemque suam dum non potest consequi, alienam interturbaret; semper sibi similis, semper turbulentus. Et hæc quidem variorum spirituum, seu aculeorum est natura.

Probatur vtraque differentia.

Iob 10. v. 22.

3. Reg. 13. v. 11.

D. Ign. in regulis secundis de discern. Spirit. Reg. 7.

42. *Quartò* igitur. Si post grauia à te commissa scelera, nullâ tam prostitutæ vitæ pœnitentiâ tangeris, nec vllos à Conscientiâ tibi stimulos admoueri persentiscis, non est quòd te palpem: timeo certè ne conclamata sit res. Actum est de vitâ, dum malum ita increbuit, vt & vim morbi æger non sentiat, & Medicus ipse adhibere medicinam præ desperatione aut tædio dedignatur. Ne tibi abblandire quisquis tibi criminis conscius es, & tamen agis bellè & hilariter. Non te admordet scelerum Conscientia, quòd jam te deseruerit forsan Deus. Neque vicarias Dei partes agit Conscientia, vbi medicinam omnem subtraxit, pertinaciâ nimiâ defessum Numen. Quid de te statuerit, equidem nescio: istud scio, pertentari nonnumquam Dei patien-

Qui dum peruerse viuit Stimulos Conscientiæ non sentit, timendum est ne sit desertus à Deo.

tiam, & vt sic dicam, superari peccatoris contumaciâ; medicamque manum prorsus subtrahi, dum benevolam peccator pertinaciter aspernatur. Genium suum disertè apud Ieremiam exponit Deus ipse. *Curauimus Babylonem & non est curata. Derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam: quoniam peruenit vsque ad cœlos iudicium eius, & eleuatum est vsque ad nubes.* Ier.51.v.9. Silet itaque nunc Conscientia, ideò quòd causa ad tribunal supremum Dei retracta jam sit. Domesticum tribunal silet, *nam peruenit vsque ad cœlos judicium eius*, neque à subalterno Iudice quidquam in terrâ mouetur, *quia eleuatum est vsque ad nubes judicium.*

Adhortatio ad obduratos peccatores.

Hæc audis peccator, nec expauescis? eóne caussam tuam vis protrahi, vnde nulla dabitur appellatio? Interim ne tibi de Conscientiæ silentio plausum des. Horrendum enimuerò est silentium & omni clamore terribilius. Neque verò quæ tacet modò, tacebit semper. Age nunc pro libidine & lubentiâ; vitæ commodis vtere & abutere; os obstrue arguenti te Conscientiæ. Verùm dum ad vitæ scelerumque metam perueneris, silentium soluet illa; & tum demùm sensum animi aperiet in luctus tuos. Tum verò nequidquam ingemisces miser, tum patrocinantem Dei manum frustra exposces, tum præ mœrore vndique diffluues, aculeisque vndequaque sese ingerentibus, dolori tuo nequidquam implorabis medicinam. atque vtinam dolor hic, æterni non sit prodromus, aut initium. 43.

Si peccato commisso pungeris & ad pœnitentiam cum fiduciâ obtinendæ gratiæ reuocaris, scias hanc vocè esse Conscientiæ.

Quintò itaque, si, quòd propitius auertat Deus, ità fors aut imbecillitas, aut etiam peruersitas tua tulerit, quisquis es Mortalis, vt mortiferi te facinoris reum sagax Conscientia inuenerit, atque in ipso scelere deprehenderit: & si tam infeliciter deprehenso manus quasi injiciat, indignitatemque facti cœperit exprobrare, contemptam sese criminetur, contemptam in se Numinis majestatem, contemptum jus omne & fas: hæc, inquam, & similia si in mentem veniant, nullâ tamen diffidentiâ consequendæ gratiæ intermixta, quin potiùs magnâ eam obtinendi cum fiduciâ; certò tecum statue, Conscientiæ tibi fauentis, has voces esse: Pædagogi, inquam, non adeò castigantis te, quàm corripientis & ad meliora reuocantis, si non dulces, amicos tamen sibilos. 44.

Illam si sapis illicò sequere, vt tecum tibi benè sit.

Eos autem cùm exaudis, si sapis sequere, neque aliâ insistas viâ. Errabis proculdubio turpissimè, si aliam persequeris, dum duceris aliâ. Idcircò è Christi consilio: *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum* 45. Matth.5. v.25.

dum es in viâ cum eo; ne fortè tradat te aduersarius Iudici, & Iudex tradat te Ministro. Aduersarium vocas Conscientiam; quia fortè ingrata præcipit, aut durius exorbitantem corripit: interim amicus est, & Pædagogum agit, non aduersarium. Esto itaque ei consentiens, inquit Christus, dum adhuc in viâ es, id est in vitâ: ne contemptus à te, Judicis partes, & tandem etiam carnificem agat tuo malo truculentum. Neque verò tibi persuadeas, aut blanditiis inflectendum, aut pollicitationibus demulcendum, aut tandem etiam decipiendum falsimoniis: his quidem humana circumueniri possunt judicia, Conscientia verò numquam decipitur. Non denique manus eius facilè effugies; quis enim seipsum effugiet? Quocumque te conuertis, te circumgestitas, doloris tui initium & complementum. Nullum itaque rebus perditis superest consilium, nisi vt manus des, fœdusque icias cum offensâ Conscientiâ sincerum & stabile. Denique cùm eius genii sit & indolis, vt nullâ ratione sperari possit, eam in partes tuas concessuram, tuæque perfidiæ consensuram, *esto tu, si sapis, consentiens aduersario tuo*, ne pergat aduersari. Cùm irato Deo pacem fac, vt tandem aliquando depositâ peruicaciâ, pacem obtineas & lætam & constantem, tibique benè sit à teipso, à tua, inquam, Conscientiâ quæ dum *in viâ es*, partes agit vicarias Dei.

QVARTVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ.

Legitimè in acta inquirere.

TRACTATVS XI.

DE CONSCIENTIÆ EXAMINE QVOTIDIANO, ET SACRAMENTALI.

Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum & non sum locutus. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. *Psalm. 76. v. 5. 6. 7.*

Quo jure examen præteritæ vitæ, & in quem finem, Conscientiæ competat. Quomodò instituendum sit examen tam quotidianum, quàm quòd sacræ Confessioni præmittitur. Seuerissimè, non tamen anxiè inquirendum esse quid actum sit. Cùm moderatione verò de actis esse judicandum; præsertim dubiis.

PROOEMIVM.

QVartum Conscientiæ munus aggredior, illudque longè amplissimum. Disquisitionis id jus est; quo non tantùm ream criminis animam datum est in ipso scelere apprehendere, apprehensamque quasi torturæ pro re malè actâ, vt ad mentem veniat, subjicere, prout præcedenti

denti Tractatu exposuimus: Verùm & in omnes omninò facinorosæ voluntatis actiones inquisitio demandatur: sic vt nullum, non dico opus aut scelus hominum oculis manifestum, sed ne reconditæ quidem cogitationes, si peruersæ sint, eius jurisdictioni subtrahantur. Omnia & singula discutere & in jus vocare legitimè, cùm libet, potest; imò debet, etiam dum non libet. Quo jure tanta Conscientiæ in hominem competat jurisdictio, & in quem finem à supremo orbis vniuersi Domino & judice, ei sit concessa, illicò primo loco videbimus. Explicabimus deinde quâ ratione instituenda hæc sit, legitima vt sit actio. Quòd quidem duplici capite comprehenditur. *Primò*, quidem vt examen seuerum sit, nullique actioni quæ criminis suspecta sit, latebras concedat aut ferias; omnia discutienda sunt, & ad Diuinas leges expendenda. *Secundò* autem, ne nimiâ seueritate examinis peccetur, prudenter instituendum est; sic vt de crimine per suspiciones nihil, nihil etiam per auxesim nimiamque importunitatem exaggeretur; sed crimen ipsum exponatur prout est. Hæc quo conficienda sint modo, & cætera omnia, quæ serium & non scrupulosum aut anxium Conscientiæ examen constituunt, Deo dante, nunc explicabimus.

§. I.

Jus inquirendi in omnes Animæ actiones, vndenam Conscientiæ competat; & in quem vsum.

1. TVrbata imò perdita dum res est domi; reus in ipso scelere deprehensus, crimen manifestum, iratus Deus; sanè tum non sufficit Conscientiam indignitate rei offensam excandescere, minas intendere, facti atrociam exprobrare, variisque stimulis peccantem animam exercere. Nam si Pædagogi munere Conscientia fungitur; certè si cliens Pædagogi curæ commissus egerit petulantiùs, Patremque immodestè offenderit; officio suo non facit satis, si pueri dissolutos mores reprehenderit, & verò etiam castigarit: ad patrem sanè deducendus est filius immorigerus, vrgendus vt veniam delicti petat, & procuranda omnimodis interruptæ benevolentiæ redintegratio. Hoc itaque nunc agendum

Conscientia incumbit peccantem voluntatem ad Deum reducere.

dum est Conscientiæ, animæ Pædagogo. Nihil enim quidquam egerit iis quos admouit stimulis, nisi tandem eò duxerit reluctantem animam, vt ferocitate depositâ, offensum Deum supplex adeat, facinoris noxam deprecetur, amissam Patris gratiam rursus impetret, judicisque in se justissimè concitatam iracundiam prorsus exoret. Restauranda est igitur malè fracta pax: omnes reconciliationis quærendæ sunt viæ, vt turbæ cessent domi, suaque redeat animæ tranquillitas.

à Conscientia debet fieri criminum confessio, vt sit legitima.

Istud autem est admodùm admirabile; quòd cùm totus cardo rei in hoc versetur, vt pœnitenti sceluisque suum confitenti, criminis à Deo fiat gratia: & rursus, quamuis naturâ suâ in misericordiam adeo sit implicatus Deus, vt nihil tantopere exoptet, quàm gratiam præstare peccatori scelerum pœnitenti: nihilominus eam plenè non velit tribuere, nisi priùs Conscientiæ factum sit satis, Quid ergo agendum inquies? an Conscientiæ meæ debeo supplex fieri, eamque deprecari? Minimè id quidem; à Deo etenim concedenda est scelerum gratia. Non autem conceditur, nisi declarentur, illudque constet quæ tandem sint crimina quorum pœnitet, & quorum gratia postulatur. An non inquies Deo manifesta sunt omnia? sunt enimuerò; sed Majestatis eius interest, vt peccator qui per arrogantiam euanuit Deumque contempsit, animos nunc deprimat, seseque submittat: quod quidem facinorum confessione conuenienter fit, & justè. Etenim quæ potest dari minor honoris Deo detracti reparatio, quàm vt reus crimen admissum fateatur? Fatebitur reus inquies, peccatorem se dicet, facti hominem pœnitebit. Bene isthæc omnia: non tamen gratiæ impetrandæ adhuc sufficit, generatim illa, aut etiam particulatim sic quasi projectim & tumultuariò effundere. Quid ergo deinceps exigitur? Hoc nunc ago. Ordinatam, juridicialem, & legitimam confessionem criminis esse necesse est. Ut autem sit legitima, totam rei disquisitionem ad Conscientiæ domesticum tribunal amandauit Deus. Isthic vult factum examinari, momenta facinoris expendi, totam causam instrui, meritaque criminis judicari, antequàm legitimè gratia concedatur. 2.

Ratio.

Et quidem prudenti sanè id consilio magnâque æquitate requirit Deus; vt sic, dum constat quid peccarit reus ac proinde quid sit meritus; exinde etiam dum constat quantæ rei facta sit gratia, 3.

gratia, peccator eam majoris faciat, benefactorique suo Deo non tantùm prolixiores grates habeat, sed & impensiùs liberaliusque, pro re malè actâ, obsequium præstet.

4. Neque verò hanc agendi rationem, multùm video abludere, ab eâ, quam in Principum Regumque subselliis video obseruari. Istud enim in more est positum, vt si quisquam homicidij aut alterius criminis à se facti reus, supplicem Regi libellum offerat, quo & factum à se homicidium fateatur, & facti veniam deprecetur; etiamsi constitutum sit Principi pro suâ potestate veniam criminis concedere; jure tamen suo, id est supremo, non vtatur, nisi priùs libellus supplex, imò & reus ipse ad Senatum, tribunalúe Prouinciale ablegetur cui de jure ordinario competit commissi criminis cognitio. Isthic porro excutienda est rei confessio, examinandumque an facti veritati correspondeat; an non aliis præterea flagitiis sit implexus, is qui est factus supplex; denique an reus ipse, crimenque sit ejusmodi, cui à Principe gratuita sceleris gratia meritò impendi possit. Et hic quidem vsitatus est, etiam vbi à Rege facienda est gratia, tribunalium ordo. Magno etenim Reipublicæ bono, & ne dissimulatione aut impunitate nimiâ excrescat peccandi licentia, nolunt Reges gratiam à se factam, esse arbitrariam, sed legitimam & obseruatâ juris formâ; sic vt Principis benignitas aliquo Justitiæ rigore temperetur. Facit id enimuerò admodum ad conseruandam Principis majestatem, quòd & reo constet, quanta sit quæ ei impensa est gratia, ac proinde quid benefactori suo debeat; & quòd Reipublicæ etiam innotescat, non tumultuariè & pro libidine, sed benè perpensis rebus gratiam fieri; neque tam sceleribus impunitatem dari, in quæ tanto rigore inquiritur, quàm benignitatem clementiamque, post comperta scelera, ea condonando, populo legitimè declarari.

Sic nec in foro fori gratia à Principe datur, nisi confessioni legitimèin Senatu examinata.

5. Sic ferè nobiscum agit offensus Deus. Tanta profectò est eius beneuolentia, & ignoscendi promptitudo, vt longè magis aueat peccatori gratiam flagitij commissi facere, quàm flagitiosus impetrare. Sed quia Majestatis eius interest, legitimè peragere omnia ob rationes quas exposui, non id ei satis est peccata pro Diuino tribunali proclamari quasi per tumultum: ordinatim peragi vult omnia. Utque hoc fiat, caussæ cognitionem ad domesticum tribunal, vtpote ad quod jurisdictio in reum competit,

Peccata condonanda remittit Deus ad Conscientiam prius examinanda.

amplâ cum poteſtate relegat. A Conſcientiâ itaque velut à competente Judice crimen examinari vult; illudque ſibi proponi, non prout fortè occurrerit, aut prout ſuſpicio, aut ſubitus timor tumultuariò ſuggeſſerit; ſed prout factum fuiſſe, legitimè à Conſcientiâ fuerit deprehenſum. Et quidem id apertè tradit Concilium Tridentinum. Ait enim *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem Conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri.* Tantam autem huic à Conſcientiâ inſtituto examini auctoritatem & fidem tribuit Deus, vt licet poſt diligentem diſcuſſionem, aliqua ſuperſint ſcelera quæ diſcutientis Conſcientiæ aciem effugerint, tamen nihil vltra requirat, vt omnium omnino ſcelerum gratiam faciat ampliſſimam. Ita rursus grauiſſimè Tridentinum: eius hæc ſunt verba: *Itaque dum omnia quæ memoriæ* (à Conscientiâ nimirum diſcuſſæ) *occurrunt peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, proculbio omnia* (etiam per ignorantiam ommiſſa) *Diuinæ Miſericordiæ ignoſcenda exponunt.* Trid. ſeſſ. 14. c. 5. Trid. ibid

Hinc fideliter debet agere Conſcientia.

Tanta igitur res, quanta proculdubio eſt peccatoris cum irato Deo reconciliatio, Conſcientiæ commiſſa cùm ſit, eiuſque quartum munus ſit de re totâ judicare, nempe quid factum ſit & quomodo, quoties peccatum, & quanta Deo irrogata ſit injuria, venialiſne an mortalis: hæc, inquam, omnia cùm ab eâ expectentur, nullaque admittatur facti confeſſio, niſi prout eam faciendam eſſe decreuerit; liquidò jam conſtat, non perfunctoriâ manu hæc eſſe tractanda, ſed ſeriò magnâque accuratione excutiendum ſcelus eſſe, vt & Dei, cujus vicarias agit partes, auctoritati faciat ſatis; & ſuam cauſſam cùm agat, ſibi etiam faciat benè. 6.

In omnia peccata inquirendi jus Conſcientiæ competere probatur exemplo.

Ita ſit inquies, inquirat ſanè in id quod commiſſum eſt ſcelus, & cujus gratia petitur. At cur præterea in alia omnia inquirit? cur anteacta vita diſcutienda eſt tantoperè; & quæ tempore aut incuriâ jam dudum ſunt obducta, in medium cur producuntur? Profectò dum homicidij perpetrati gratia petitur, etiamſi à Principe facti inquiſito ad Tribunal prouinciale demandetur, non illico Senatui jus competit, vt in domum ſupplicis irruat, omneſque perſcrutetur ædium angulos ſcriniaque diſcutiat, vt inquiratur an non etiam furti teneatur reus, qui homicidij gratiam poſtulat. Sic eſt. Verùm ſi aliunde Judicibus ſatis conſtet, 7.

ſtet, non vnius te tantùm homicidij reum eſſe ſed plurium; rurſus te non homicidiorum tantummodò, ſed variorum præterea criminum eſſe compertum; ſanè eorum eſt id ad Principem deferre, eique denuntiare homicidij gratiam impendendam non eſſe ei, qui tot titulis juſtam Regis iram, ſcelerumque vindictam promeruerit. Atque vti ex hoc capite, modeſta aliqua & ſine juris ſtrepitu, Prouinciali Senatui in rei vitam actioneſque præteritas competit inquiſitio; ita & Conſcientiæ illa vt minimum tribuenda eſt, per quam ipſi conſtet, te gratiâ à Deo ſceleri quod confiteris dandâ, non eſſe indignum.

Probatur deinde ex amicitia cum Deo ineunda, quam non præſtant Principes, cùm gratiam ſceleribus faciunt.

8. Hic tamen non hæreo. Altiori ex capite Conſcientiæ jus competit inquirendi in omnia prorsus crimina etiam occultiſſima, ſi jus in vnicum tantummodo & cuius gratiam tibi à Deo fieri poſtulas, ipſi conceſſeris. Alia enim longè eſt Dei, alia Regum, gratiam præſtandi ratio. Etenim Reges eam homicidio ex. gr. dum concedunt, indemnitatem tantùm homicidæ aſſerunt, meritæque ſubtrahunt nocentem pœnæ, & iræ Regiæ declarant hâc de cauſsâ obnoxium non fore poſthac. Non tamen gratiam ſic præſtant, quaſi ſi ſupplicem in Regiam amicitiam, familiaritatem inquam amici, atque aulæ commercium contuberniumque adſciuerint. Aliud enim prorsus eſt gratiam criminis, aliud amicitiæ intimæ gratiam concedere. Illam dant Reges ſceleratis pro vitâ ſupplicantibus; de hâc, ne minima quidem aut in reo aut in Principe eſt cogitatio. Et hoc quidem aulæ humanæ ingenium eſt: aliud omnino Diuinæ. In hâc enim non tantùm datur pœnæ meritæ remiſſio, ſed vera ſit *reconciliatio cum Deo*, vt loquitur Tridentinum, *atque homines iræ filij & Dei inimici*, in ſinceram atque intimam Dei amicitiam, familiaritatem, cæleſtiſque aulæ commercium admittuntur. Iſtud enim apud Theologos planè conſtat, numquam peccatum aliquod à Deo remitti, niſi ſimul gratia ſanctificans animæ infundatur: tota quidem, ſi peccatum mortale fuerit quod remittitur; ſin autem veniale, gratiæ ſanctiſicantis tribuitur augmentum. Illud autem ſatis conſtat, ſanctificantem ſeu habitualem gratiam animæ inhærentem, eſſe formam quæ Deo gratum facit, amicum conſtituat, dignumque reddat hominem, qui impoſterum à Numine vnicè diligatur, & in numerum filiorum Dei adoptetur. Hæc ſanè eſt *Gratia*, inquit Paulus, *in quâ ſtamus, & gloriamur*

Trid. ſeſſ. 14. c. 3.

ad Rom. 5. v. 2.

in spe gloriæ filiorum Dei.

Alia est gratia seu condonatio sceleris, alia vero gratia amicitiæ seu sanctificans.

Istud igitur maneat, gratiam remissionis numquam peccatis fieri, quin gratia sanctificans, ab eâ prorsus alia, Animæ infundatur. Illa, est mera sceleris condonatio; hæc, præclarissimum Animæ ornamentum: illa, pœnæ nocentem subtrahit; hæc Diuini in se amoris, cælestisque regni jus tribuit: illa, vt data est, transit; hæc animam afficit, ei inhæret, totamque mirâ specie facit Angelis aspectabilem. Itaque cùm, vt rectè Tridentinum, 9.

Vtraque simul datur, nec prima sine secunda.

Vniuersa mortalia peccata etiam cogitationes, homines iræ filios & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum apertâ & verecundâ Confessione à Deo quærere, ne videlicet Gratiæ sanctificanti infundendæ obstaculum opponatur. Indignum enim esset omnino, in aulæ consortium à Principe assumi eum, quem satis constaret inimicitias animo adhuc voluere, & mortali aduersùm se odio implicari. Trid. sup. c. 5.

Hinc probatur jus Conscientiæ inquirendi in omnia peccata.

Atque hæc est demùm ratio, cur Conscientæ non tantùm in id, cuius gratia petitur, sed & in omnia præteritæ vitæ scelera inquirendi jus competat. Cùm enim numquam peccatuum vnum mortale condonetur, vti jam diximus, nisi condonentur etiam omnia: rursus cùm numquam sceleribus detur gratia, nisi legitima sit scelerum confessio: denique cùm hæc legitima non censeatur, nisi ad Conscientiæ tribunal diligens peracta sit facti disquisitio, eaque fateatur reus, quæ Conscientia fatenda esse judicarit; jam sanè manifestum est, non vnicum illud quod præ manibus est, disquirendum esse crimen, sed omnia omnino si quæ fortè recondita sunt & occulta, ad domesticum tribunal reuocanda, ibique bonâ fide recensenda. 10.

Videtis itaque totam gratiæ impetrandi vim, reconciliationisque cum Deo faciendæ sinceritatem ab hoc examine dependere. Illud ergo sincerum vt sit oportet; non enim quisquam sese fallit in hoc negotio, nisi malo suo. Videamus itaque quâ ratione instituenda sit hæc inquisitio, vt Conscientia suo munere defungatur prout oportet, & Deo fiat satis. 11.

§. II.

§. II.

Imprimis diligens debet esse peccatorum omnium discussio. Ad hoc multum confert examen Conscientiæ quotidianum. Exponitur ex Dauide quomodo & quam accuratè id faciendum, & qui fructus ex eo existant.

12. EXtra controuersiam est, eum cui aut in Reipublicæ, aut in priuati hominis scelera inquirendi commissa est prouincia, minimè officij sui partes explere, si summatim id agat, properatò & quasi perunctoriè. Non enim ea Principis mens est; & hoc non tam est scelera persequi, quàm nolle scire: adhibendam esse diligentiam & quidem sedulam nemo diffitebitur. At quanta requiratur, non facilè est definire. Moralem adhibendam esse dicunt omnes, id est eam quam pro causæ grauitate, temporis locique opportunitate, & disquirentis viribus, quiuis vir prudens judicio sano statuet adhiberi debuisse, atque adhibitam, suffeciisse. Sic si graue homicidium in vrbe commissum sit, diligentem criminis disquisitionem non dicetur feciisse actor cui à Replublicâ commissum id munus, si obuium quemque qui rumore rem perceperit, in plateâ interroget: partes tamen expleuerit, si quos oculatos testes sciuerit, de crimine legitimè sciscitetur. Neque rursus muneri satisfecerit, si vt homicidam inuestiget, domum eius adeat, & per patentia cubicula oculum circumferat: satisfecerit verò, si ædium omnes angulos excusserit, si portas vrbis occluserit ne reus maturè se subducat, si domos suspectas latebrarum adierit, eaque egerit quæ maturo judicio facienda esse prudens vsus induxit, & Reipublicæ consuetudo confirmauit. His autem absolutis, etiamsi reus lateat, tamen diligens censebitur adhibita esse inquisitio: nam etiamsi reuerâ maior physicè adhiberi possit, non potest tamen maior moraliter, id est prudenter. Non enim vnius ob crimen, longo tempore, cum summo Reipublicæ incommodo, occludendæ sunt Urbis portæ; neque per vicinos pagos aut oppida circumducendi sunt satellites qui nocentem indagent, sumptibus im-

Diligentia in inquirendis scelebus à Iudice est impendenda.

Sufficit moralis.

Quanam sit diligentia moralis.

mensis, labore improbo, spe exiguâ, neque quæ inquirentium impensis exæquetur.

Talis à Conscientia in peccatis inquirendis adhibenda,

Idem planè de nostro dicendum est examine. Diligentem omnino debere esse præteritæ vitæ disquisitionem, quæ Confessioni Sacramentali præmittitur, omnes dicunt, nemo diffitetur, & verò ratio quam attulimus id euincit. Sed quanta sit ea quæ requiritur inquirendi diligentia, non ita pronum est dispungere. Moralem sufficere vt credant omnes, tamen hoc etiam multos angit, quòd non satis commodè dicant se posse statuere, ecquando moralis illa, seu quæ à prudente viro dicenda sit sufficere, diligentia examini impensa esse censeatur. 13.

Vt de hac diligentia securi sint, quotidianum examen faciunt viri probi.

Huic incommodo obuiam vt irent viri sanctissimi, angoribusque vt se expedirent, non duxêre expectandum donec ad Dei tribunal peccata confessuri, gratiamque Sacerdotis absolutione accepturi accederent. Sed vt de diligentiâ indagandis peccatis adhibitâ, quæ quidem Conscientiæ partes sunt, ipsis cõstaret; quotidianum actionum diurnarum examen Conscientiæ commisêrè: satis magnum in inquirendo studium se posuisse judicantes, si quotidie in perperàm facta inquirerent. Quod antequam exponamus, operæ pretium erit examinis hujus & consuetudinem, & praxim, eiusque circumstantias ex optimo Dauide, & aliquando peccatore pessimo, intelligere. 14.

Exemplo Dauidis.

Enimuerò criminum sibi conscius, *Laborabat in gemitu suo, lauabat per singulas noctes lectum suum, lachrymis stratum suum rigabat*, donec placato tandem tam seriâ pœnitentiâ Numine, gratiæ sibi scelerum factæ, per Nathanum Prophetam legitimè intimatam sententiam acciperet, audiretque optatissima illa verba *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Verùm ne quæ fortassis, alia ab adulterio homicidioque crimina indulgendam veniam interturbarent, summâ ipse accuratione in omnem anteactæ vitæ, quin & elapsi diei actiones inquirebat, singulasque ad examen reuocabat studio peruigili, sensu animi, vt ipsemet fatetur, sanè acerbo. Juuerit judicii hujus à Dauide instituti formam exponere. 15. Psal. 6. v. 7. 2 Reg. 12. v. 13.

Examini nocturnum tempus accommodatissimum.

Et quidem si tempus spectes, *Anticipauerunt*, inquit, *vigilias oculi mei*: id est, exactâ jam die dum nox incumbit, castrisque tuendis ex more militari vigiliæ solent disponi & circumduci; non sum passus ego majorem arci meæ aut castris obseruandis curam 16. Psal. 6. v. 5.

curam impendi, quàm Animæ. Itaque vigiles diligentiâ præuerti; & quando illi jam serâ nocte stationes vigiliis aptas incipiunt occupare, jam tum oculi mei in statione stabant, obseruaturi porrò non quid in palatio, sed quid in interiore mentis aulâ rerum ageretur, intenti in omnem partem velut in ordine dispositi satellites, ne quid hostile per diem irrepserit, & si irrepsit, ne per incuriam elabatur. Atque his ita rectè dispositis, tum verò inquit remotis arbitris, cessante negotiorum strepitu, tribunal domesticum ingredior, acturus deinceps causſam meam, qui toto die egerim alienas. Atque eccum tempus examini instituendo accommodatissimum. Sera nox inquam, dum silent omnia. Numquam enim, quàm in silentio, loquitur Conscientia clariùs, aut sinceriùs exauditur, Non est igitur quod tempus examini præstitutum à Senecâ addiscamus, quod ex Dauide hausimus. Si quid tamen auctoritas Philosophi adiicere possit ponderis, non grauabor adferre id quod de se testatur. *Vtor* inquit *hâc potestate, & quotidie apud me causſam dico. Cum sublatum è conspectu lumen est, & conticuit vxor moris jam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipsi abscondo, nihil transeo. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cùm possim dicere: Vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco?* ita ille.

Sen l. 3. de irâ. c. 26.

Neque verò dissimulandus est Lipsij commentarius. *Sine admiratione* inquit *hoc numquam legi, homini tot negotiis, tot studiis, & vxore etiam districto, hanc tam arctam & quotidianam inquisitionem fuisse.* Ego autem vicissim miror, homines passim sapientes, ita se negotiis etiam alienis totos tradere, vt ne bonæ diei particulam quidem, eamque exiguam, summo, sibique proprio negotio possint seponere. Frustraneum est autem omnia agere, præterquam sua; nec satis sanum est omnium meminisse, obliuisci verò sui. Hoc autem non est negotiis sese concedere, sed prorsus dare, imo & vendere.

Omnis sapiens deberet aliquam diei particulam examini dare.

Verùm quamquam in excutiendo animo admiranda prorsus sit Senecæ diligentia & constantia; tamen non eum illi examini quod explicare proposuimus, intentum fuisse comperio. Emendandis ille vitiis animi, erroribusque per diem commissis imposterum corrigendis incumbebat, non verò eluendis animæ maculis per peccata contractis. Hoc est quòd molliori se tractat

18.

Aliud Senecæ examen, aliud nostrum.

ctat manu, dixisse contentus, *Vide ne istud amplius facias.* Et quamuis fructus hic sit examinis, vt mox dicam, non pœnitendus; tamen cùm ad reconciliationem cum Deo faciendam maxime spectet, hæc quam tractamus Conscientiæ inquisitio, altius assurgendum est, & ad Dauidem reducenda est oratio, vt pœnitentis hominis, ad tribunal Conscientiæ stantis specimen quod imitemur habeamus.

Humilis sit corporis, & animi examinantis se compositio.

Cum itaq; tempus examini deputatum aduenisset, *Prohibebam* 19.
inquit *aspectum oculorum meorum.* Ita legit Hieronymus, vbi
vulgata habet *Anticipauerunt viligias oculi mei.* Compositionem Ps.76.v.5.
animi & corporis describit Dauid. Non enim quasi si Regem
sese meminisset, alto incedit supercilio; sed rei adinstar, cui
apud Iudicem dies dictus est, *prohibebat aspectum oculorum.* Oculos nimirum claudit, vt ne animus euagetur, seduloque attendat actori quid respondeat. Rursus quia de rationibus dandis conueniri se percipit, *aspectum oculorum prohibet*, dejicit nimirum oculos suspecta sibi scelerum mens, fastum contrahit, ceruicem dimittit, veroque pœnitentis habitu misericordiam inueniendis criminibus deprecatur. Et hæc quidem corporis constitutio. Interim si animi compositionem inquiris, *Turbatus sum* inquit ibid.v.5.
& non sum locutus. Perculsa nimirum judicij expectatione hærebat mens; neque quidquam pro se locuta, totam actionem, defensionisque & accusationis rationem, non insanis animi perturbati affectionibus, sed soli Conscientiæ suæ committebat. Interim turbatus, id est, anxius rei totius exitum expectabat. En veram, id est humilem submissamque seriò & sincerè examinandæ mentis speciem. Ita prorsus examini sistendus est animus; humilis omnino & suspectus sibi.

Colligenda mens est per seriasque aternasque rationes.

Stante sic pro Conscientiæ subselliis animo, oculis fastuque pe- 20.
nitus dejecto, ad instar rei, crimen ipso habitu propè confitentis: tum verò incipit actio. Conuocantur vndique tacitorum testes, & in judicium producuntur, reo opponendi. Qui testes inquies? nulli admodùm, nisi cogitationes tuæ, ex memoriæ ædibus excitæ. En ibid.v.6.
accusationis formam. Cùm sic, *turbatus starem*, inquit Dauid, nec quidquam pro me loquerer, *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Ne quæ fortè præteritæ diei transactorumque negotiorum, aut voluptatum perceptarum phantasmata mentem interturbarent, seriamque rerum mearum disquisitionem

nem ad se traherent, & sententiæ ferendæ seueritatem interuerterent: ad fugandum, inquam, insana hæc phantasmata, mentisque atrium perpurgandum, *annos æternos in mente habui*; iisque præteritos vitæ dies componens, æternos scilicet & numquam transituros annos cum diebus antiquis & vetustate suâ jam collapsis comparans; tum demùm, *antiquos dies*, id est, præteritas delicias cœpi detestari, cùm earum vanitatem æternis deliciis compositam cœpi agnoscere. Rursus, *cogitaui dies antiquos*, quos perdidi; imò per quos me perdidi: *& annos æternos*, quos per antiquos dies, & noua scelera amisi, malo meo edoctus *in mente habui*. Hæ aut similes sunt cogitationes seriæ, quibus per diem collecta negotiorum phantasmata sunt fuganda, ne examinanti se obstrepant. Beneficiorum interim Diuinorum memoriâ colligendus est animus, vt sese ad errores in eius obsequio commissos inquirendos, detestandos, & emendandos, promptiùs liberaliusque extendat.

In ipso examine omnia, etiam occulta educenda sunt crimina.

Tum demùm omnibus sic ritè dispositis, instituenda est actio. 21. Non enim sufficit antiquos dies, imò nec recenter præteritum, generatim tantùm & superficietenus percurrere; immorandum est rebus singulis. Itaque, inquit Dauid, *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Ibid. v. 7. Exercebat enimuerò se accuratus sui censor, quasi qui reum interrogationibus variè versat, vt facti veritatem eliciat; & idcircò *scopebam*, inquit, *spiritum meum.* Atque hoc primum in examine instituto obseruandum est, vt sit imprimis veritatis curiosum, & accuratum. Non enim, vbi penitùs mundandæ sunt ædes, sufficit sordes quæ pauimento insident omnium oculis conspicuæ, leui manu euerrere: perscrutandi sunt anguli; sedilibus etiam scriniisque; imò & lectis subjectæ educendæ sunt scopis sordes; isthic enim agglomerantur sæpiùs, quàm in patente cubiculi areâ. Non est quod me clariùs explicem. Occultæ sunt lectorum, scriniorumque fuligines; in occulto sunt quæ isthic perpetrantur scelerum machinationes, & tamen notæ nimiùm quàm vt eas hîc exponere necesse sit. Educenda sunt tamen omnia; suisq; è latebris extracta, sistenda sunt Iudici, vt omnium accuratissima ratio habeatur. Hoc est quod, *exercitabatur* Dauid, dum durus exactor incumbit operi; & non demulcebat blanditiis, sed *scopebat spiritum suum.*

Proponendus est itaque sibimet ipsi animus, totaque præteriti 22.

Notet diligenter quâ iuerit, & quomodo in errores cõmissos inciderit.

diei aut temporis ratio oculis opponenda : agendumque id quod de mysticis animalibus testatur Propheta Ezechiel, *Vnumquodque coram facie suâ ambulabat.* Quòd teste D. Gregorio non tantùm significat, ambulasse non cœco modo, seu quâ ducebant oculi ; quasi si duces oculos tantummodò sequerentur ; sed & *coram facie suâ ambulabant*, quasi suismet oculis objecti & oppositi ; sic vt nusquam mouerent pedem, quin eos ambulantes, sequerentur censores oculi, qui duces antè in agendo fuerant. Egregium enimuerò Conscientiæ prototypon. Ducit animam Conscientia; & tamen quam ducit, quasi si sequeretur, obseruat. Dux itaque est actionum omnium, & tamen censor. Non ergo eundum est tantummodò quâ ducit viâ, & quâ videt Conscientia esse eundum; sed & videndum est sedulò, quâ eatur. Audi Gregorium. *Omnis justus qui vitam suam sollicitus aspicit, & considerat quantùm in bonis quotidie excrescat, aut fortasse quantùm à bonis decrescat; iste quia se ante se ponit, coram se ambulat : quippè qui vigilanter videt vtrum surgat & defluat. Quisquis vero vitæ suæ custodiam negligit, discutere quæ agit, quæ loquitur, quæ cogitat aut despicit aut nescit; coram se iste non ambulat; quia qualis sit in suis actibus aut moribus, ignorat.* Ita Gregorius.

Ezech.1. v.12.

D.Greg. hom.4. in Ezech.

Primus fructus huius examinis est prudens futuri cautio.

23. Ex quibus liquet, illud te imprimis ex quotidiano hoc examine relaturum commodi, vt naturali Prudentiæ magnum exercitatione hâc adjecturus sis quotidiè incrementum ; majoremque deinceps circumspectionem actionibus tuis, imò & vestigiis sis allaturus, vbi te videris pedem fefellisse, & discriminis oppidò incuriosum, temerè imò & miserè fuisse prolapsum. Fructum hunc primum examinis egregiè exaggerat D. Augustinus. *Siquidem*, inquit, *necessaria nobis est circumspectio Examinis; quatenùs per experientiam eorum quæ fecimus, ad ea quæ agenda sunt, cautiores reddamur.* Certè si quid de me addere liceat, experientiâ mihi compertissimum est, ex nullis librorum aut sapientissimorum virorum effatis scriptisque sententijs, te quæ ad Prudentiæ virtutem in te augendam pertinent, faciliùs luculentiusque petiturum, quàm ex te : si nempè cogitationes tuas sedulò attendis; si quæ subitò inuadant animum, quæ verò morâ temporis & paulatim obrepant, consideras : rursus si quomodò incipiant, quomodò immorentur aut menti aut phantasiæ; denique si quomodò tandem

D.Aug.l. de Spir. & anim.c.3.

Prudentia optimè adiscitur ex seipso.

tandem desinant aut euanescant, non incuriosè circumspicis. Hunc itaque librum, te inquam, inspice, huic incumbe, & tandem sapies. Sed ea est nostra infelicitas, quòd velimus sapere, non ex nostro, sed ex alieno. Hinc euagamur per omnia, labore immenso, fructu exiguo: & cum omnibus loquimur libentiùs, quàm nobiscum. Atque idem in plurimis scientiis video contingere, alienis ingeniis immergimur, iis inhæremus, eorumque inuentis delectamur; nostram interim mentem contrahimus, nec in cogitationes proprias explicamus. Verùm hoc nunc non ago, contentus indicasse quæ via ad Prudentiam consequendam sit expeditissima, & ad mores distortos imposterum corrigendos facillima; accurata nimirum actionum suarum discussio.

24. Rationem mihi dat Seneca, sanè luculentam. *Faciebat hoc Sextius*, inquit, *vt consummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti, quâ parte melior es?* Tum verò ad rem meam subjicit; *Desinet ira, & erit moderatior* (idemque de alijs animi vitiosis affectionibus intellige) *quæ sciet sibi quotidiè ad judicem esse veniendum.* Optimè protectò; nihil enim agitur circumspectiùs, quàm cuius breui strictissima danda est ratio. Hic fructus primus examinis quotidiani. Quem quia Seneca percepit & degustauit, exclamat præ gaudio, & non absre: *Quid ergo pulchrius hâc consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm tranquillus, altus ac liber; cùm aut laudatus est animus, aut admonitus; & speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis?* Ita exclamat fructum expertus, qui tamen nihil habet naturâ maius. Quid ergo dicturum putatis, si altiorem illum percepisset, ad quem Christiani connitimur, reconciliationem, inquam, offensi Numinis, cuius hoc examen fundamentum esse ostendimus? Hoc igitur breuiter persequamur.

Circumspectè fit, cuius breui danda est ratio.

Sen l. 3. de ira c. 36.

Sen. ibid.

25. Atque adeò dico, examinis nostri, non tam Philosophici quàm Christiani fructum secundum esse, quemque summoperè æstimandum judico, pacis & gratiæ à Deo sceleribus consequendæ non tantùm initium exinde oriri, sed & authenticam assertionem, (prout antè tetigi) quâ quis securus esse possit, dum pro Confessionis tribunali ad pedes Sacerdotis futurus est supplex, munere suo in examinandis sceleribus ritè legitimeque defunctum se;

Secundus fructus examinis quotidiani est securitas de diligentiâ criminibus inquirendis legitimè adhibitâ.

Hic n. 12.

quandoquidem singulorum dierum acta, quotidiè ad Conscientiæ examen noctè ingruente reuocarit. Ecquæ enim major diligentia adhiberi potest à mercatore rerum suarum satagente, quàm si accepti expensique rationes singulas quotidiè referat in commentarios? Nulla sanè major ab hominum vllo prudenter exigitur. Quid si ergo quis quotidianâ curâ, peccata singula quæ vesperi occurrent, scripto mandarit; an non etiam ille de diligentiâ examinandis sceleribus allatâ, tutus omninò esse poterit, sibique omnimodis persuadere, ita se perfunctum examinatoris munere, vt à Deo nihil prætereà possit exigi? Ita videtur inquis. Atqui, vti Theologorum nemo negarit, omnesque asseuerant, Deus nullâ vmquam ratione exigit, vt quis quotidiè peccata sua scripto committat, eorum vt reminiscatur fideliùs, tum cùm Confessioni Sacramentali subjicienda fuerint. Nusquam, inquam, tanta accuratio præscribitur, imperatur, imò ne suadetur quidem, ob varia quæ exinde obuentura sint incommoda. Itaque cùm examini quotidiano sola desit peccatorum exscriptio, quæ huic judicio adhibenda non est; restat vt muneri boni accuratique Censoris satisfeciisse dicatur, si quæ quotidiè commisit scelera, quotidiè ad examen reuocet, eaque suo tempore apud Sacerdotem proferenda, memoriæ bonâ fide concrediderit. Quòd si autem, vti fit sæpissimè, tractu temporis aliqua è memoriâ effugerint; illud tamen habebit solatii, securum esse posse se, bonâ à se actum fide, moralemque, id est, quæ prudenter exigi poterat, conquirendis peccatis diligentiam fuisse admotam; neque à Deo quidquam prætereà requirendum: quod certè maximum est Exomologesis faciendæ leuamentum.

Itaque vbique oculos habeat Conscientia, vt videat omnia.

Istud itaque Conscientiæ, quotiescumque examini sese applicat, primo loco obseruandum est sedulò, vt sibi minimè parcat, neque quidquam dissimulet: sed ex aduerso, summè inuigilet latebris, sinusque animi omnes excutiat, scrutetur & perueștiget, vt cum Dauide dicere possit *scopebam spiritum meum*. Et vt id non perfunctoriè consequatur, mysticas Ezechiëlis rotas imitetur, quarum erat *totum corpus oculis plenum in circuitu*, vt ea nimirum quæ oculis passim non patent, oculos tamen non effugiant. Nam vt disertè D. Gregorius dum hunc locum commentatur, *ea quæ sunt in facie, sæpè etiam peccatores custodire solent*. Manifesta nimirum scandala, & publica scelera, etiam nefarij quandoque euitant 26.

Ezech. 1. v. 18.

D. Greg. hom. 7. in Ezech.

tant timore infamiæ perterriti ; at verò addit Gregorius: *Justi viri quia se & in eis custodiunt quæ in promptu & in facie non videntur, in dorsis oculos habere referuntur. Qui ergo & ea quæ in oculis sunt discutiunt, atque ab iis se custodiunt quæ latent, profectò oculos in dorsis habent.* Oculos itaque & in pedibus, & in manibus, & in oculis ipsis habeat animæ suæ studiosus obseruator, vt nihil prorsus, ne oculorum quidem conjectus nefarius sit ; qui Conscientiæ oculos censuramque euadat. Oculos sanè qui perscrutentur omnia, vbique disponet is, cui salus animæ est in oculis.

§. III.

Secunda conditio Examinis est, vt inquisitio sit sincera, neque minuat peccatorum malitiam, ea perperàm excusando.

27. COmpertis jam diligenti inquisitione animi vitijs aut morbis, præsertim verò ijs quæ non sine lethali noxâ sunt sceleribus ; istud vnicè obseruandum est deinde, ne grauitatem commissi criminis penes se diminuat, neue sibi abblandiatur, aut nescio quos dissimulando sceleri quærat prætextus. Caussidici hæ sunt partes reo patrocinium quærere, idque aut negando factum donec probetur legitimè ; aut si tenetur, enormitatem sceleris minuendo. Patronum verò agere Conscientiæ non est, cui judicis commissum est munus. Itaque prout est, ita exhibenda est res. Ita autem est, prout reipsâ Conscientiæ proponitur. Nihil igitur quidquam mutet, nihil alteret, si officio ex fide, & ex bono suo vult defungi. Etenim nulla erit, nullius, inquam, valoris deinceps gratia, quæ sceleri ementito, fucis tecto & quasi calamistrato dabitur. Vt quid autem examen instituitur, cuius deinde nullus erit vsus, & cui nulla à Deo legitimè præstanda est gratia ? Rem itaque si sapit, proponat prout est res, neque sceleri quidquam per adulationem detrahat.

Examen sit sincerum

ne inualida sit à sacerdote facta gratia.

28. Ita se examen instituere fatetur Dauid. Quòd vt exponam, animaduertendum est, verbum *scopebam*, idem quod *speculabam*, Psal. 76. v. 7. Hebræis significare ; ideoque cum dicit, *scopebam spiritum meum*, etiam rectè intelligi, ac si diceret, *speculabam spiritum meum*,

Conscientia sit ad instar speculi repræsentantis rem prout est.

aptâ imprimis in rem meam metaphorâ: ſpeculi enim adinſtar debet eſſe Conſcientia, inquit Bernardus, vt partes ſuas expleat. Jam verò vti eleganter D. Auguſtinus: *Tamquam ſpeculi fidelis nitor, nullius accipit adulandam perſonam; ſed eorum quæ ſibi obiiciuntur, non ſolùm quæ pulchra & integra, ſed etiam quæ vitioſa deformiaque indicat,* ita prorſus dum te tibi inſpiciendum & quaſi ſpeculandum objicis, ſpeculum agat Conſcientia, neque quidquam adulando diſtorqueat. Atque vti ſpeculi fidelis nitor, halitu imprimis inficitur; infectum verò objectas ſpecies ſincerè non reddit; ita prorſus cauendum eſt, ne nimia oris ſit cum ſpeculo vicinitas & quaſi commercium. Ab ore enim emittitur halitus, & ab halitu in ſpeculo fit fuligo. Clariùs loquendum eſt. D. Aug. l. 2. cont. Fauſtum c. 65.

Cum Conſcientiæ ne loquere vt factum excuſes.

Conſcientiæ, inquam, tuæ tamquam ſpeculo oppoſitus, ne multùm loquere vt cauſſam tuam agas; inſpicè te, & mutus tace: ſic nempè coram ſe ſtabat Dauid; *Turbatus ſum*, ait, *& non ſum locutus.* Non, inquam, excuſationes crimini afferas; nec tibi ipſi dicas, affectione dementatum neſciſſe te quid ageres; adoleſcentiæ fuiſſe errorem; tentationis abreptum impetu, alienâ egiſſe abductum peruerſitate, non tuâ; non diu duraſſe ſcelus; ſemel tantùm fuiſſe peccatum. Hæc, inquam, & ſimilia malitiæ obuelamenta ne profer. Tace igitur & obmuteſce: nam ſi hæc ita ſint, illicò id tibi fidelis Conſcientia repræſentabit. At ſi multis rationum verborumque ambagibus, id tu Conſcientiæ tuæ perſuadere eamque in tranſuerſum agere niteris, halitu ſpeculum inficis; obductuſque fumo fidelis Conſcientiæ nitor, non niſi per caliginem repræſentabit ſceleris deformitatem. Quam cùm non clarè percipis, non eâ tangêris commiſſi criminis pœnitudine, quàm rei enormitas exigit, & facienda cum Deo reconciliatio requirit. 29. Ibid. v. 5.

Speculum conuexum diminuit obiectas ſpecies.

Deinde vt fidele ſincerumque ſit ſpeculi indicium, illud imprimis curandum eſt, vt ea conſulantur ſpecula, quorum plana eſt ſuperficies, non verò ea quæ extuberant, & in ſphæram intumeſcunt. Iſtud enim convexis ſpeculis proprium eſt, vt oppoſitarum rerum ſpecies & ſimulacra, plurimùm imminuant ea dum reflectunt; & quidem tantò majori decremento, quantò magis convexa eſt, magisue ad ſphæræ minoris extuberantiam accedit conuexa ſpeculi ſuperficies. Hoc eſt quod ab initio depreſſos 30.

humi-

humilesque animos ad examen scelerum admouendos dixi, vt sincera sit disquisitio. Tumet naturâ suâ humanus animus; hinc nihil, ne sibi ipsi quidem, repræsentat sincerè & prout est, quod magnitudini, quam sibi ipsi fingit, possit officere. Omnia extenuat quæ sunt dedecori; & quantò magis sibi intumuit, tantò exiliora sibi præstituit ea, quæ inflatos spiritus nata sunt perdomare & deprimere. Nihil sanè est certius, quàm quòd nullus sit adulator æquè mendax, quàm superbus animus sit ipsemet sibi. Fastus est qui scelera sua palpat; superbia est quæ ea dum negare non potest, diminuit & extenuat, ne sibi displicere incipiat, qui malo suo sibi nimiùm placet. Itaque complanandus est animus; & vt complanetur, deprimendi sunt exorbitantes spiritus; sic vt æqualis sit, vt sic dicam, speculi plani adinstar, animæ superficies; neque mœrore & tœdio scelerum nimiùm depressa, neque etiam per arrogantiam nimiamque sui existimationem quidquam extuberans & inflata.

Ita & tumidus animus diminuit sua scelera.

31. Planæ igitur sinceræque Conscientiæ, actionem examinis totam committe. Agat illa res suas; neque tu per varias excusationes agentem interturba: non in alienos humeros culpam conjice, non adolescentiam vitiis obtende, non intentionem mentemúe excusa: obmutesce inquam: quidquid id fuerit, speculum repræsentabit: edicet enim Conscientia, quam non turbaueris, quidquid de re fuerit: atque id cùm fecerit, magnam sui muneris, quod in perquirendis criminibus ei est impositum, partem expleuerit.

Conscientia sit instar speculi plani & nitidi.

§. IV.

Tertia huius examinis conditio est vt comperto crimine, Conscientia Animam reprehendat & castiget. Quis exinde fructus, & quomodò facienda hæc reprehensio.

32. Atque vt institutæ disquisitionis fructus vberior percipiatur, istud sanè consulendum est, vt comperto jam scelere, altiùs exsurgat Conscientia, seuerioremque induta vultum, pro rei grauitate non factum tantummodò, sed & enormitatem criminis sibi ob oculos ponat, seriâque se reprehensione corripiat & castiget.

Inuento crimine, Conscientia seriò se reprehendat & castiget.

stiget. Consilium hoc perquàm vtile suggerit D. Chrysostomus. *Eat mens*, inquit, *atque cogitatio tua Iudex in animam atque Conscientiam tuam, adducens omnia delicta tua in medium: scrutâre quæ animo commisisti, & pone dignas singulorum pœnas. Dicas tibi assiduè; quare hoc atque illud ausus es? quare illud & illud perpetrasti? Accusa tua vestigia, non aliena: sic assiduè ad hunc tortorem reuoca. Deinde si caussam dicere non possit, sed balbutiat atque stupescat, quasi superbam ancillam atque fornicatione corruptam, cæde verberibus, atque flagellis dilania.* Ita Chrysostomus. Quòd si autem lanienam corpori inferre, pro naturæ, desidiâ dicam potiùs, quàm infirmitate perhorrescis, alia sunt quæ corpori inferri possint incommoda; genuflexiones puta, impressa terræ oscula, atque alia quæ facilè suggeret peccati pudor, & seuera, si ritè adhibeatur, delicti reprehensio. D. Chrys. hom. 43. in Matt.

Multiplex exinde fructus.

Et quidem castigationis huius priuatæ & veluti domesticæ fructus existet multiplex. *Primò*, enim hâc inductus, incussoque tam 33.
justo pudore, faciliùs ad sceleris pœnitudinem, factique detestationem prosiliet animus: & verò etiam gratiam è cœlo vberiorem impetrabit, quâ veram minimeque fucatam Contritionem queat elicere. Nimis enim notum est, quàm vt pluribus debeat asseri, Dauidicum istud: *Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Tum verò castigationis huius fructus *secundus*, erit, a- Psal. 50. v. 19.
liquâ saltem ex parte, pœnarum pro scelere meritarum relaxatio, vtpotè quas jam de te præsumpseris, & solueris veluti in antecessum. *Tertiò*, plurimùm id conducet vt imposterum sapias, ab ijsque manum abstineas, quæ à teipso vides tam seuerè castiganda. *Quartò* denique, quotidiana illa reprehensio, multùm proderit vt delictorum memoria, cùm Sacramentalis Confessio erit instituenda, expedita sit & prompta. Illud enim experientiâ certum est, nihil tenaciùs infingi memoriæ, quàm id ob quod acriter fuimus reprehensi; multoque adhuc tenaciùs, ob quod pœnas dedimus. Magna enim inter sensum corporis memoriamque est cognatio, magnum commercium: neque vmquam feritur corpus, quin & phantasia percellatur, eique malè sit: à phantasiâ autem ad memoriam, vti proximus, ita facilis specierum impressarum lapsus est & relapsus. Hinc fit, vt mali perpessi optima sit recordatio: & dum mali tolerati redit phantasia, simul etiam mali causa, peccatum scilicet, allabitur, seseque conspiciendum offert.

Vt

34. Vt autem & scelerum inquisitio accuratiùs, & reprehensio instituatur seueriùs, non pigebit praxim dare, quam opportunè admodùm suggerit Gregorius. Quæ quidem in eo est posita, vt totam hanc examinis actionem ita secum instituat, non quasi si de seipso, sed quasi de alio disceptaretur: atque ita se examinet, quasi si in actiones alienas inquireret, & non suas. Audi Gregorium. Cùm suo more eleganter exposuisset, vnumquemque sese oculis suis debere objicere, vt accuratissimè se circumspiciat, addit in rem meam: *Ille autem veraciter se antè se ponit, sibiq; in præsenti est, qui se in suis actibus tanquam alterum considerat.* Rationem subnectit dignam Gregorio, & quidem Magno. *Nam sunt multa peccata quæ committimus; sed idcirco nobis grauia non videntur, quia priuato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostrâ nos deceptione blandimur. Ex quo fit vt hoc quod agimus & graue esse non æstimamus, plerumque agatur à proximo, & nimis nobis detestabile esse videatur. Sed quare, hoc quod in nobis vile esse videbatur, graue videtur esse in proximo? nisi quia si nos sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia districtè videremus ..... debemus ergo nosmetipsos sollicitè, sicut alios videre.*

Conscientia secum agat quasi cum alio.

D. Greg. hom. 4. in Ezech.

35. Optimum sanè diligentiæ, acrimoniæque excitandæ D. Gregorii consilium. Cui si quidquam liceat adjicere, profectò nosmetipsos suaderem sollicitè non tantùm sicut alios aspicere, sed sicut hostes & aduersarios. Etenim quàm emissitios acresque oculos afferres, si tibi in aduersarij mores inquirendi à Principe demandata foret prouincia? Quid si debitoris tui rationes, & expensi acceptique commentarij in manus consignentur; quàm non segniter omnia discuteres? Quàm auidè, minima etiam æris tibi debiti indicia & documenta perueſtigares? Quàm tibi suspecta forent omnia, quæ pro se afferret debitor? Denique si solutionis per fraudem denegatæ hominem conuiceris, quàm expedita tibi erit lingua, vt de dolo malo nocentem arguas? quàm prompta eloquentia, vt rei fæditatem objectes, eique de fraudulentiâ vitium facias & conuitium, pudoremque elicias, quo miser ille doli conuictus contabescat? Benè hæc quidem ages, & ex creditoris decepti ingenio luculenter. Verùm sic age & tute tecum; eâdemque eloquentiâ & te inuolue. Rationes tuas dum inspicis; debita, inquam Deo, tamquam eius vicarius dum inquiris, istud tibi propositum sit, cum debitore, imò cum aduersario tuo rem tibi esse,

Imò quasi cum suo aduersario & debitore.

Tunc examen instituet fidele & sincerũ.

à quo tibi, nisi compescatur, magnum salutis discrimen imminet. Idque dum tibi seriò præfixeris, minimè est necessarium, vt tibi formam instituendi examinis deinceps præscribam. Certè sanctum istud odium tui, vitæ anteactæ displicentia & tædium, artem suggeret quâ perueſtiges omnia, cunctasque mentis latebras excutias, vt in promptu sit, quam aduersario tuo objectare possis, pudoris materia: eâque inuentâ, eloquentissimam dabit facundiam, quâ facti fœditatem improperes, tuasque partes seriò agas, imò & Dei. Atque hîc demum est modus, quo præteritæ vitæ examen à Conscientiâ fideliter instituitur, & legitimè.

§. V.

Quarta conditio est, vt Conscientia non multiplicet nec augeat peccata, neque examen scrupulosè instituat.

Vti in foro externo vitanda est omnis calumnia.

NE tamen nimio examinandi feruore, omniaque reprehẽdendi studio abrepta Conscientia, impositum sibi munus excedat, aliquod afferendum est dictis temperamentum. Sanè id in Senatorum subsellìis sedulò obseruatur, vt cùm criminis actionem instituit accusator, imprimis ei à calumniâ reo impingendâ magna sit cautio. Nam vti ab accusationibus magnum Reipublicæ accedit emolumentum, vtpotè cuius interſit exeſſe & puniri scelera, ita nihil ei infelicius potest accidere, quàm calumnia in foro publico, & quidem tolerata. Ea autem inferri censenda est, dum aut falsum crimen innocenti impingitur; aut ob suspiciones planè ineptas & inimicitiam accusatoris redolentes, vir bonæ famæ in jus trahitur; aut cùm leuia facta in immensum augentur crimen, quod tamen nihil admodùm habeat scelerati, nisi quòd in potentem accusatorem, sui tamẽ linguæque impotentem inciderit. Procul à judiciis ableganda sunt eiusmodi hominum ingenia, vt pax sit Reipublicæ, imò & domesticæ; & ne per calumniandi licentiam crescant scelera, dum finguntur. Impunè enim calumniari si liceat, breui profectò in Republicâ nemo sit vir frugi. 36.

In foro interno.

Eadem omnino in domestico tribunali Conscientiæ adhibenda est circumspectio, ni totâ velis turbatum domo. Cauendum, inquam, 37.

inquam à calumniâ, cum in te inquiris: & vti per excusationes futiles nihil detrahendum esse crimini jam diximus, nihil quod illud minuat afferendum; ita & cauendum maximè, ne quid addatur per auxesim; aut ne nimio pœnitendi studio, vltrà quàm res est, amplificetur facti peruersitas. Speculum, vti diximus, sit Conscientia. Sit prorsus, sed planum: conuexis enim vti minimè hic opus est, ita nec concauis: neutra sincera sunt. Habent id conuexa & gibbosa, prout modò exposuimus, specula, vt objectas rerum species plurimùm imminuant & contrahant. Concaua verò, depressa, inquam, & excauata, præterquam quòd vt plurimùm inuertant intuentium vultus & simulacra; nonnumquam etiam multiplicent vnam eandemque rem, prout variis locis speculo opponitur: istud etiam habent prorsus admirabile, vt si ad punctum, quod focum appellant, os admoueris, caput humanum gigantæo majus, non sine horrore, conspecturus sis, distortum vultum, expansum ad latera, supercilia setis crassiora, oculos Polyphemi, denique, vt vno verbo dicam omnia, monstrum in te videbis tetrum & terrificum. Tale est speculi concaui ingenium, ita ejus fert natura.

Concaua specula inuertunt, & augent species:

38. Sic, inquam, sit vbi plana, id est sincera, non est Conscientia. Homines elati & tumidi minuunt omnia, conuexis speculis vti constitutione animi, ita & repræsentatione non dissimiles. Contra verò reperire est homines, quorum mens depressa, & quasi in sinum cauernamúe profundam excauata, Conscientiam concauam rectè dixerim. Nam numquam contingit ei quidquam admouere & obiicere, quin illicò alterentur omnes rerum species; sinistrum appareat quod dexterum est, imum quod in summo est, ingens & horrificum quod mediocre est imò & elegans: denique si virum probum Conscientiæ obiicis, illico in pessimum peccatorem ab ipsâ suâ Conscientiâ fædum in modum detorquetur. Præsertim si focum tangas; id est punctum aut materiam quâ maximè aduritur, & in quam tota animæ, agitationibus suis præpeditæ, fit reflexio. Quid hocce demùm rei est? Nihil quidquam est quod timeas: peccator est; monstrum est quod vides, sed plane phantasticum & apparens. Nec viri vitium id est, sed Conscientiæ non æquæ maleficium.

ita & abstrusa quorundam Conscientia.

29. Sic videas non paucos abstrusioris mentis homines, & à planâ æquabilique viâ, in nescio quæ interiora recedentes, qui venialia

Variè augent & singunt peccata vbi non sunt.

lia peccata illico in mortalia, eaque grauissima, effingunt. Si quæ in templo occurrerit fortè peccati committendi cogitatio, sacrilegium dicunt: minima in fide dubitatio, hæresis declaratur: exigua de Deo diffidentia, blasphemia judicatur aut odium Dei. Tum verò exhorrescunt, quasi si monstrum horridum Conscientiæ speculo objectum foret. Distortum est interim quidquid vident; & si æquabilis esset, vt sic dicam, mentis res illas repræsentantis superficies, aut nulla apparèret, aut sanè exigua, imò etiam sæpissime virtutis exercitæ materia. Etenim quidam, quos si vel minima tetigerit, aut Fidei, aut pudicitiæ, aut charitati fraternæ aduersa cogitatio, confestim se lethali scelere contaminatos judicant; cùm tamen exigua tantùm, primaque fuerit aut phantasiæ emotio, aut mentis inclinatio, quam motum primò primum vocant Theologi; imò, quandoquidem iis sæpenumerò non consenserint, virtutis bene impensæ exercitium. Interim vbi virtus est, non nisi scelera vident illi. Denique vt breuibus absoluam omnia, vbi vel minima occurrit mali species aut suspicio, aut vmbra sceleris, prout vmbraticum est horum hominum ingenium, è vestigio euertunt omnia etiam benè acta; & in manifesta scelera, scelerum vmbræ, & vanæ species eriguntur. Atque exinde demum fit, vt cùm suspicionibus passim agantur, peccatorum vestigiis insectandis delectentur, totos dies sinus animi excutiant, cogitationes etiam innocuas voluant & reuoluant, justò impensiùs; donec aliquid occurrat quod vanum est, imò quod nusquam est, & quo se tamen non ex vano excrucient.

ime & actus virtutis in peccata detorquent.

Nimia disquisitionis incommoda.

At scin quod operæ tam malè impensæ plerumque sit pretium? Illud sanè communissimum, vt dum nimio plus volunt sapere, tandem desipiant: sexcentaque dent malesani cerebri indicia, quibus prudenti viro sint deridiculi, dum sibi sunt graues. Rursus id consequuntur accuratione tam intempestiuâ, vt dum perlustrare & intimè perspicere satagunt omnia, hebetato mentis lumine, cæcutiant ad singula, neque vllum de rebus à se actis judicium pro sano ferre possint. D. Gregorij est hæc gnome. *Sæpe*, inquit, *dum nos ipsos plus justo discutimus, de ipso discretionis studio indiscretiùs erramus: & mentis nostræ acies, quo plus cernere nititur, obfuscatur. Quia & qui importunè Solis radios aspicit, tenebrescit; & inde nihil videre compellitur, vnde videre* D. Greg. 9. Moral c. 13.

Obfuscatur nimio inquirendi studio mēs.

dere amplius conatur. Prorsus egregiè. Etenim si maculas Soli inhærentes, aut eclipsim defectumque sideris, oculis vis detegere, atque eâ de causâ lucidissimo corpori insidieris, fixusque ei inhæreas; senties illico infinitas sphærulas globulosue, glaucos alios, alios rubicundos, aspectui circumrotari. Atqui caligantis oculi hæc sunt deludibria: neque sphærulæ illæ Soli insunt; aëris temerè congesti sunt corpuscula, aut oculi mala affectio: caligare incipiunt sensus visorij; & breui, si pergis esse peruicax, planè cæcuties. In Sole vt sint maculæ, hæ certè non sunt quas arbitraris te conspicere: & quæ Soli insunt, non hôc, sed planè alio inuestigandæ sunt modo. Ita prorsus sunt qui in mente etiam mundissimâ maculas videre volunt, quæ isthic reuerà non sunt. Et cùm iis inquirendis toto animi nisu pertinaciter incumbunt, importuno studio id assequuntur, vt turbetur mentis acies, maculasque imò & scelera arbitrentur se conspicere, quæ tamen nusquam sunt, nisi per intuentis oculi defatigationem & errorem.

Macula & defectus Solis inquirenda non sunt ne cæcutias.

41. Erras vir bone, erras toto cœlo, qui Solis maculas obtutu tam fixo inuestigas: fingis tibi quæ non sunt. Veram autem eclipsim laborantisque Solis defectum, si tibi libitum est conspicere, speculum planum adhibe, aut aquæ intra suos limites æquabiliter interjacentis, speculi adinstar, superficiem: isthic sine labore vllo, laborem Solis aspicies, & ad quot digitos defecerit, dabitur placidè intueri. Istud volo & dico: vbi Conscientia æquabilis est, neque affectionibus perturbata; ea, inquam, cui fixum omnino est & præstitutum nullo vmquam lethali scelere Deum offendere (& tales plerumque mentes sunt, quæ in perscrutandis peccatis præ nimio studio exorbitant) non magnâ curâ opus esse, vt veræ maculæ, vera inquam scelera detegantur. Pustula exigua, tumor exilis, sordes quantumuis minimæ, si vultui specioso & cætera mundo inhæserint, speculo oppositæ illico discernuntur; quæ fortassis lateant, si aspicientis facies vndique intumuerit, verrucis sit obsita, & pure tota diffluat.

Per speculum planum indaganda hæc sunt.

In anima munda non sunt inquirenda sordes ingentes, ipsa se detegent.

42. Itaque dum Conscientiæ tanquam speculo te admoues, studium te circumspiciendi adhibe, sed moderatum. Et si quidem is es quem te esse volo & scio, illico emergent quæ veræ sunt maculæ, easque liquidò discernes. At verò si tecum ipse disputationem incipis instituere, suspicionesque adhibere; si plura ad-

Ne tecum disputa.

huc esse, quam quæ occurrunt, mordicus vis tenere; fortè consensu n datum fortè non datum si tecum ipse exagitas, orietur illico menti tempestas oppidò maxima, quam non facilè deinceps sit componere. Atque ego Propheticum istud tibi nequidquam anxio, ex mente D. Gregorij sic interpretantis & legentis hunc locum, insusurrabo, *dedit abyssus vocem suam, ab altitudine phantasiæ suæ.* Id est quantùm ego intelligo, abyssus seu interior mens & judicium *dedit vocem suam*, hoc est sententiam tulit, non ex ratione, sed *ex altitudine*, id est, arrogantiâ turbatæ phantasiæ. Commodè id etiam hoc modo interpretabere. Scimus sanè inter abstrusa montium, rupiumque cauernas, voces clamantium ita intercipi, & alterari, vt ad saxa variè allisæ, non sine summo murmure reflectantur, & redeant, quasi totis clamatum sit montibus. Imò cùm vox emissa sit vnica, tamen in plures, nonnumquam in sedecim, vt in aulâ Bruxellensi constat fieri, reflexa diuidatur: vnde clamoribus videntur omnia perstrepere, cùm tamen clamantis vnica sit tantùm vox. Ast vnica vt sit, multiplicem facit echo. Sic sanè vsuvenit abstrusis illis mentibus, quæ sibi cauernas faciunt & lacunas, & non nisi obscuris & confragosis delectantur. Nusquam certè magis dominatur clamosa echo. *Abyssus* animæ *dat vocem suam.* Tu vocem Conscientiæ existimas, interim non est vox abyssi, sed *ab altitudine phantasiæ tuæ* exoritur. Clamat phantasia scelus esse: & quia confragosam, multisque flexibus sinuosam habes Conscientiam, abyssus est, laberinthus est. Hinc abyssus dat vocem suam *ab altitudine phantasiæ tuæ.* Si altùm exclamet phantasia, altùm exclamat Conscientiæ abyssus; & quod peius est, vocem phantasiæ multiplicat, decemque inclamat scelera, vbi vnicum tantùm est scelus. Sic sceleribus omnia perstrepunt, nihilque toto mentis atrio auditur nisi scelus & scelera. Hinc luctus, hinc dolor, hinc mentis perturbatio. Et cùm ad liquidum examinantur omnia, nihil nisi vana echo est, solidum nihil, & vbi clamantem Conscientiam audire te putabas, *dedit abyssus vocem suam, ab altitudine phantasiæ tuæ.*

Habac. 9. v. 17.

Conscientia quæ vocetur vox, sæpe echo est clamatis phantasiæ.

§. VI.

§. VI.

Exponuntur regulæ aliquot generales, secundùm quas examen Conscientiæ instituendum, & in examine de peccatis commissis est judicandum. Ac primò quidem, quid à magnis diuturnisque peccatoribus sit obseruandum.

43. TAndem videtur nunc res & oratio postulare, vt quæ demùm diligentia examini adhibenda, & quo pacto de peccatis commissis judicandum sit à Conscientiâ, antequam Sacerdoti per Confessionem Sacramentalem exponantur, explicemus. Et quoniam de peccatis manifestè à Conscientiâ deprehensis nullum est dubium, nullus mihi de iis erit deinceps sermo, vt qui quæ huc spectant, jam exegerim. Rursus neque cùm de diligentiâ examinis Confessioni præmittendi agimus, de iis loquimur qui multo jam vitæ tempore in omnia sese promiscuè dederunt scelera, Dei hominumque contemptu pari; neque vmquam interea, aut rarò, aut certè admodum perfunctoriè pœnitentiam egêre vitæ tam nefariè peractæ, aut potiùs perditæ. Istud enim satis constat, vti exacta omnino debet esse peccatorum expositio, ita & eorundem inquisitionem plus temporis & studij requirere. Quantum autem id sit, pro hominis conditione statuendum est, rerumque actarum multitudine & pondere. Alia enim facienda est accuratiorque disquisitio ab eo, qui in rebus publicis, iisque aut Justitiæ aut rei pecuniariæ, dudum, & malâ fide versatus est, alia ab eo qui domesticis tantùm intentus, otiosam penitus duxit vitam. Aliter etiam agendum est ab eo, qui vni tantum vitio inhæsit, cætera vir probus; aliter enimverò ab eo, cui nihil nefas fecit peccandi libido & intemperantia. Pro variâ itaque hominum conditione determinanda hæc sunt. Neque si dies aliquot seriò & vigili curâ pristinæ vitæ meditandæ impenderit is, qui in sceleribus totus fuit, à tam vtili disquisitione amouendus est, donec moralem (id est eam quam prudens beneque consiliatus in tanti momenti negotio, curam adferret) sibi

Qui diu peccatis & diuersis inhæserunt, exactam faciant criminum disquisitionem.

ea in variis debet esse varia.

quanta & qualis, moralis vt judicio aut Confessarij discernendum.

sibi aut sapienti Confessario adhibuisse visus fuerit : sic vt nihil sponte suâ intactum reliquerit, atque omnia quantùm sibi videtur, bonâ fide, in memoriam reuocarit.

Verùm sunt plurimi, qui peccatores non sunt quasi sedentarij, 44.
sed quorum vita, etsi vt plurimùm innoxia, maculis tamen imò & sceleribus nonnumquam inspergitur, & magno interim Sacramentorum vsu ea nituntur sæpiùs eluere. Iis sedandis major est difficultas : nam vt puritatis sunt studiosi, ita sunt plerumque in examinando nimij, & in perperàm dijudicandis actionibus faciles, imò & projecti. His ergo vt temperamentum afferamus, regulas quasdam generales porrigimus. Quarum sit

PRIMA REGVLA.

Quantum spatium temporis ferè impendendum sit examinandis ante Confessionem peccatis, iis qui sæpè confitentur aut examen faciunt quotidianum. Item quod & quantum scrupulosis.

Aliud est præparatio ad Confessionē, aliud mera peccatorum disquisitio.

NE quis quæ dicenda sunt admiretur, antè omnia præpara- 45.
tionem animi, quam Confessioni instituendæ piè vtiliterque præmittimus, à merâ inquisitione criminum diuidamus. Scimus enim pijs & sanctis cogitationibus, humilibusque fusis precibus, Deum admodùm demereri, gratiasque ingentes elici, quibus emollitus peccatoris animus, ad scelerum agnitionem, promptamque detestationem faciliùs inflectatur. Quantum huic preparationi impendendum sit tempus, non definio ; neque adeò definiri debet, cùm omne impendatur fructuosè. De hâc igitur præparatione posthac non ago. At verò istud assero ; eos qui sæpè, id est, octauo ex. gr. quoque die, sacrâ Exomologesi mentem expiare sunt soliti, exorbitare omninò, si solis examinandis criminibus, ijsque distinguendis, aut memoriæ quasi ex ordine mandandis, multum insumant temporis. Multum autem voco, vt presse loquar, horæ dimidium, aut etiam quadrantem solidum.

Est

46. Est enim inutilis tanta mora, vbi quidquid grauiùs delictum est, illicò eluceſcit: & ſicut in polito nitidoque ſpeculo, magna oris ſpurcities; ita in Conſcientiâ munditiei curioſâ, crimen ſæditate inſolitâ quàm primùm proditur, & tenetur. Vt quid ergo tam ſollicita indagatio rei, quæ momento capitur quo inquiritur? Et verò, non niſi vanis euagationibus mentis tempus traducitur. Etenim teipſum attende; fateberis, plerumque dum quadrantem integrum, immoto corpore, oculis quinimò clauſis, Conſcientiam peccatis examinandis vacaſſe autumas, tribus omninò temporis impenſi partibus, euagatam mentem per omnia, aut ad aſſidentium mores vultuſúe attendiſſe, eos dijudicaſſe, indignatum te ſi confiterentur diutiùs; denique nihil minùs egiſſe quàm tua, nec ſegnius quidquam examinaſſe quàm te. Quid igitur feciſti? Dicam clarè; jacturam temporis. Hiſce autem mentis diſtractionibus expoſita cùm ſit tanta mora examini faciendo minimè neceſſaria, abrumpendam judico, mentemque aliis Religionis actibus impenſiùs applicandam.

Peccatorũ diſquiſitio ſæpè infructuosè longa eſt.

euagationibus mentis expoſita.

47. Quòd ſi verò ſcrupulis ſis obnoxius, ſanè tantam moram ſibi concedere, nihil eſt aliud quàm ſtultorum ergaſtulis januam patefacere, vt totâ dementes tranſcurrant domo, atque jam quaſi datâ facultate liberè tumultuentur, & impunè inſaniant. Non eſt quod rem explicem, jam antè me dixiſſe memini, ſcrupulos ab inſaniâ nihil admodùm differre, niſi penes inſaniendi materiam. Vt quid ergo ſtultis phantaſmatis campum tam amplum dare? vt quid ita laxare fræna, vt mediâ horâ aut quadrante integro, mentem obuoluant, ſuaſque ſic partes agant, vt de inſanis haud paullò fiant & redeant inſaniores? Contineantur certè ſcrupuli in phantaſiæ ergaſtulo, quantùm fieri poteſt, ne nimiâ licentiâ inſoleſcant: & ſi talibus cogitationibus facilis datur exitus, exilient audaciſſimè, & ad nouum examen momentis ſingulis animam prouocabunt.

Scrupuloſũ noxium eſt longũ examen; ſuſcitãtur enim ſcrupuli.

48. Scrupuloſi autem vt ſciant quid in examinandâ Conſcientiâ, ad quam ſemper appellant ſcrupuli, agendum ſit; operæ pretium eſt afferre, quod à Cabrerâ ex ordine D. Dominici, Magiſtro & Oratore excellente, ſuggeritur conſilij; affirmat autem id ſe à viro ſapientiæ ſanctitatisque ſpectatiſſimæ accepiſſe. Imprimis ſcrupuloſos homines, numquam vllius peccati ſiue veteris, ſiue recenter commiſſi, quantumcumque videatur enorme ac horri-

Cabrera tract. de ſcrup. §. 14. in fine.

Scrupuloſus extra tempus examini deputatũ, numquam cogitet aut examinet peccata.

dum, examen instituendum, nisi solo eo tempore quod aut quotidiano examini, aut ante Confessionem faciendo, à regulâ aut consuetudine, aut Confessarii approbatione præscriptum est. Itaque si vel peractâ exomologesi, ante perceptam sacram Synaxim, vel inter orandum, vel etiam per diem occurrat cogitatio, examinandum esse crimen aliquod quod fortè objicitur, repellendam esse cogitationem eiusmodi. Dicerem ego, in ergastulum suum compingendum esse insanum hunc qui fores nititur, nullâque ratione exaudiendum quidquid exclamet & fremat; audiendum porrò, dum tempus legitimum examinis illuxerit. Sapiens profectò est consilium. Totus enim in hoc est Dœmon, phantasmatum auctor aut fautor imprimis egregius, vt per scrupulorum importunitatem & insaniam, Religionis quibus interes actiones interpellet: neque enim Conscientiæ munditiem procurat hostis vaferrimus. Et hoc quidem exinde patet, quòd cùm ante obitam sacram Synaxim, plurima tibi peccata aut dubia, aut certa occurrerent, quæ necessariò videbantur proximâ Confessione explicanda, atque adeò mentem præpediebant angustijs; simulatque à sacrâ Synaxi pedes domum refers, illico in ventos abierunt scrupuli, peccatorum memoria prorsus euanuit, aut jam etiam tibi ipsi apparent ridicula ea, quæ paullò antè tantum sui terrorem incusserant. Itaque ad examen actionum præteritarum si quando prouocatur scrupulosus, caueat sibi vt ne compareat; sed prouocatus ad ordinarium tribunal appellet, id est ad diem horamque legitimo examini præstitutam, ibique dicat se examen debitum judiciumque Conscientiæ non refugere.

A Dœmone est aliàs ingesta examinis sollicitudo, præsertim ante Communionem.

Exiguum temporis detur examini peccatorum,

Jam verò, si quantum temporis eiusmodi hominibus qui timidioris sunt animi, aut ijs qui sine vllis scrupulis sæpius per hebdomadam confitentur, examini faciendo præstituendum sit, quæras; respondet idem Cabrera ex viri quem laudat sanctissimi præscripto, istud sufficere quod Psalmo quinquagesimo, *Miserere mei Deus*, recitando plerumque impenditur. Quod quidem majori jure censendum est sufficere ijs, qui quotidiano examini operam gnauam dant. Atque exinde patet de ijs qui paullò majora Confessionibus, non tamen enormia interjiciunt interualla, pro temporis proportione, dicendum quid sit. Medius quadrans his nónne sufficeret? videtur sanè. Certum est errari hâc in parte vt plurimùm, & à plerisque. Cùm enim in hoc con- 49.

niti

niti deberent, vt magnis, solidis, frequentibusque Contritionis, Amoris Diuini, detestationis sui, deprecationis, submissionis, denique Spei & Fiduciæ actibus, tempus quod Confessioni præmittitur, sanctè religioseque impenderetur; nunc ita vsuenit, vt nescio quibus præstigijs inducti homines, etiam sancti, totum ferè tempus voluendis & reuoluendis peccatis, sine vllo fructu aut merito, & interim vix temporis momentum vnicum, præstantissimis illis actibus tribuant. Sic dum ad Sacerdotis genua accedendum est, leuiter percusso pectore, totum sese putant verè pœnitentis expleſſe officium: interim quod erat planè præcipuum, actum est perfunctorie. Stilum itaque mutet si quis sic segerit: spatium temporis, quod vanæ discussioni & euagationibus fartæ datum est hactenùs, ei detrahat; contritionique eliciendæ, peccatis detestandis, misericordiæ Diuinæ exorandæ tribuat imposterum; & sic ordinata erunt omnia, & proportione debitâ, commodè expensa.

multum verò actibus Contritionis, Amoris Diuini &c.

REGVLA II.

Quomodò scrupulosus de actionibus præteritis judicare debeat.

50. DE his quidem nihil singulare dicendum supereſt præter ea, quæ Tractatu 8. diximus. Tamen vt ab his ad alios gradum faciam, & quia materiæ similitudo id requirit, dico, constantissimam & vnanimem Theologorum esse sententiam (& quia omnium est, neminem cito) scrupulosum hominem (talem autem reputare se debet, quisquis à Confessario talis judicatur) non posse de actione suâ statuere quòd sit mortalis, nisi quam judicat sine vllo examine, sine vllâ præuiâ consultatione, indubitanter & certò, mortali crimine innodatam. quòd sanè de adulterio à se commisso facilè quis judicauerit. Quod quidem alio modo explicant Theologi; dum omnes asserunt, tam manifestè eis de crimine debere constare, vt jurejurando, si necessitas id exigeret, scelus commissum pro judicio & foro publico possint audeantque affirmare, saltem coram Deo eiusúe Vicario Sacerdote. Hoc verò si non audeant, judicium quod de se ferunt, esse nullum: vnde manifestum est, quotiescumque ipsis dubitatio inciderit,

Scrupulosus non potest mortale judicare nisi de quo certus est; sic vt id iurare audeat esse commissum.

seu de actione quæ peccato est obnoxia à se commissâ, seu de peccato cognito & admisso cùm de actione ipsâ constat; semper, inquam, quoties judicium ratum non est & fixum, statuere posse, imò & debere, neutiquam à se peccatum: & si dubitatio occurrerit, blasphemis, impudicisque cogitationibus aut motibus, consensus datusne sit an denegatus, denegatum esse decernat, decretumque mordicus teneat, neque vllis sese mentis agitationibus patiatur à sententiâ latâ dimoueri. Rationem illicò nouam dictis dabimus, quâ veteres confirmemus. Infra. n. 53.

REGVLA III.

Quomodò etiam non scrupulosus, ex opinione probabili, de actionis præteritæ bonitate aut malitiâ debeat judicare.

Pro se sententiam benignam ferat.

Non sunt confundenda, in hac materiâ, probabile & dubiũ.

PRodijt nuper Disquisitio Theologica, an peccata mortalia dubia sint in Confessione Sacramentali explicanda; auctor est Franciscus Faruacques. De quæstione propositâ agemus Tractatu 15. Sed quod nunc ad rem meam facit; est quòd non *putet scrupulosè hîc distinguendum dubium à probabili; quomodò nonnulli*, inquit, *dubium non vocant, nisi cùm intellectus hæret, & omnis omninò assensus suspenditur*: idque allatis aliquot juris textibus, planum facere frustrà nititur. Ego verò non *scrupulosè* sed verè & Theologicè, non cum *nonnullis* quasi pauci sint, sed cum plerisque auctoribus; nec rursus cum *nonnullis*, quasi exiguæ auctoritatis sint, sed cum grauissimis Theologis, censeo maximum esse discrimen, dubium inter & probabile; neque hæc confundi ab alijs seu *nonnullis*, nisi vt tenebræ offundantur sententijs celeberrimis, easque trahant in inuidiam, dum quidquid dicendum est de dubio, id ipsi etiam probabili opinioni volunt impingere. Verùm id jam discussimus, cùm de probabili actum est sententiâ. Differentia autem positâ, & ritè intellectâ quam inter opinionem probabilem Tract. 4. §. 2. & dubium Tract. 6. §. 1. posuimus, 51.

Faruacq. in disquis. Theolog. Præfat. n. 5 & 7.

Dico,

52. Dico, quod qui bonâ fide ex probabili ratione opinatur se actionem peccato obnoxiam non commisisse; aut si commiserit tamen non peccasse aut ex ignorantiâ, aut incogitantiâ, aut quocumque demùm modo; statuere certò posse se formaliter non peccasse, seseque ab omni culpâ posse absoluere. Addo ego, hoc si possit, omninò etiam debere. Et primò, quod possit decernere à crimine se esse innoxium, hoc quidem ex iis quæ de probabili opinione diximus, manifestum est. Adeo vt Cardinalis Lugo disertè asserat, *hunc non teneri ad confitendum illud quod probabiliter judicat se vel non feciſſe, vel non peccaſſe mortaliter in illo.* Et quidem asserit id communiter ab omnibus doceri. Rationemque hanc addit, quia jam sequitur judicium probabile; quod sicut in aliis materiis, sic etiam in hâc sufficit ad obseruandum præceptum. Quod si autem judicium probabile, quo à Confessionis præcepto absoluitur, sequi possit, non est quod judicio probabili, quo noxam non esse contractam statuit, non possit tutò acquiescere, & innocentem se reputare, donec omnimodis probetur nocens. Quòd si autem pro innocentiâ sententiam ferre possit, sanè debet; cùm nulla jura patiantur hominem criminis condemnari, nisi eum qui commissi manifestè est conuictus, vt mox pluribus exequemur. Hinc enim ad dubium crimen diiudicandum gradum facio.

Qui probabiliter opinatur se non peccaſſe, potest & debet judicare se formaliter non peccaſſe.

Lugo de Pœnit. D.19. sect. a.n.58.

REGVLA IV.

Quid judicandum dum dubitatur an actio commiſſa sit, cui certò scitur peccatum annexum. Iudicandum esse non commiſſam.

53. FVrtum exempli gratiâ, aut perjurium, nemo dubitat quin sit peccatum. At verò dubitat quis an id olim commiserit, neque quidquam in alterutram partem, ne probabili quidem ratione potest statuere. Quid hic aget sui non incuriosa Conscientia? In dubio, inquies, tutior pars est eligenda. Ita sanè sit. Sed quænam in hâc dubitatione pars est dicenda tutior? Tutiusne est statuere peccatum esse, cùm fortè peccatum non sit;

Proponitur quæstio, eiusque difficultas.

In dubio æquale est vtrimque periculum aberrandi ab eo quod verum est.

quàm peccatum non agnoscere, cùm fortè peccatum sit? Atqui vtrobilibet errari potest perperàm judicando, cùm res dijudicanda, incerta prorsus sit & dubia. Quid ego hîc tutum est, vbi vtrimque idem est à vero aberrandi periculum? Et an tum demum ero tutior & securior, cùm furem aut perjurum me fuisse judicauero, quàm cùm pro innocentiâ meâ tulero sententiam? Quis hæc intelligat? Deinde istud quæro, an si de alieno furto aut perjurio, mihi tanquam judici foret judicandum, neque tamen delicti probationes essent nisi dubiæ, certam mihi licitum foret ferre sententiam & decernere, factum videri? Minimè inquies. Quo ergo jure, dum dubium est, certi me criminis possum arguere? aut quo pacto æquus mei sum Judex qui sic alium judicando forem iniquissimus? Rursus ergo peto quæ pars in hoc dubio sit eligenda, vt eligatur tutior? Aliquid enim statuendum est, ad Conscientiæ tribunal legitimum delata cùm sit res, atque actio instituta.

Qui dubitat de facto, debet judicare non fecisse.

Dico ergo dum factum est dubium, Conscientiam non tantùm 54.
posse, sed & debere sese liquidò absoluere, & furti v. g. aut perjurii de quo incidit dubitatio, innocentem sese declarare, & dicere, Non feciſſe. Etenim sic statuo, quod multis jam sæpiùs exegimus, Conscientiam Judicem esse actionum suarum & quidem legitimè à Deo institutum. Videamus ergo quodnam Judicis in condemnando aut absoluendo reo sit officium.

Jura enim benigniorem partem à judice in dubio amplectendam esse statuunt.

Istud certè apud omnes in confesso est, Judicem, vt æquus 55.
sit, secundùm jura, præsertim quæ natura ipsa aut communis gentium acceptatio instituit, sententiam ferre debere. Secundò neminem pronuntiari posse reum, nisi secundùm allegata & probata. Jam verò, de hac quæstione quid statuunt jura? Ego certè π. de Regulis juris. Reg. 3. Jurisconsultum dicentem audio, *semper in obscuris, quod minimum est sequimur.* Minus autem, imò nullum malum est non peccasse, grauissimum autem est peccasse. Rursus Regulâ. 56. *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.* Benigniùs autem esse absoluere, quàm condemnare, nemo negauerit. Denique cùm tutiorem partem in dubio semper eligendam esse velint quidam, per me licet; sed audi quid ibidem edicat Regula 192. *In re dubiâ benigniorem interpretationem sequi non minùs justiùs est, quam tutiùs.* Itaque secundum jura, qui benigniùs de factis à se dubiis statuit, tutiorem partem

π. de Reg. juris Reg. 9.

ibid. Reg. 56.

ibid. Reg. 192.

partem amplectitur : tutiorem enimuerò, quia facit quod justius est. Nam vt alia ferunt jura, habendus est innocens quisquis nocens non probatur. Ita autem de alieno facto judicandum esse à Judice, cùm ea quæ nemo in controuersiam vocat, statuant jura; certè non est quòd ab iis discedendum putem in meâ causâ, cuius factus sum iudex. Neque est quòd in aliis absoluendis sim benignior quàm in meipso, dum vtrobique æquè bonâ fide agitur. Non itaque mihi posthac in hâc quæstione quisquam obiiciat, *In dubio partem tutiorem eligendam esse.* Nam vti fassus sum Tractatu 6. §. 2. dum res agenda est præ manibus, dubiumque est an peccato sit obnoxia, atque adeò in deceptationem venit, exhibendanè sit ea actio, an omittenda; tutiorem esse partem quæ rem faciendam non esse statuit, eamque omnimodis eligendam: ita nunc dico, quando de actione præteritâ incidit dubitatio facta an sit an non facta; si facta, scelus sit, tutius esse diiudicare *Factam non esse*: & quidem ideò *tutius* esse hoc judicium, quia *justius.* Ita edicunt jura : *In re dubiâ benigniorem interpretationem sequi non minùs justiùs est quam tutiùs.* Justiùs id autem esse, præsertim in causâ criminis, visum est vlteriùs demonstrare.

Dum actio agenda est & dubitatur de eius malitia, tutior pars est eam omittere, eaque sequenda.

Dum dubium est an facta sit actio quæ esset peccaminosa, tutior pars est quæ factam non esse judicat: & hac sequenda.

56. Etenim alterum quod à legibus Judici præcipitur, eique ex imposito incumbit munere, est de reo statuere, non pro suo arbitrio, sed ex allegatis & probatis. A probationibus autem suspiciones longissimè repelluntur. L. Absentem. π. de Pœnis. *Sed nec suspicionibus debere aliquem damnari, Diuus Trajanus Assidio rescripsit. Satius enim esse impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari.* Rursus vt alia lex habet *Factum in dubio non præsumitur sed demonstrari debet.* Quòd si verò roges, quæ tandem sint allegata & probata, quæ judex in reo condemnando sequi debet, & sine quibus non potest legitimè & justè decretoriam facti sententiam ferre, in promptu est responsio. Ea, vt loquuntur & sentiunt omnes, debent esse *ipsâ luce meridianâ clariora.* Ita Bartolus ad l. Absentem π. de Pœnis. Lessius, Couarruuias, Baldellus, Castropalao, Mascardus infra adducendus, & passim omnes Theologi & Jurisconsulti. Atque adeo seuerè id à Judice obseruandum asserit Lessius, *vt ne quidem* (eius sunt verba) *ex indiciis quæ Doctores vocant indubitatis quis condemnari possit. Vt si quis visus sit, inquit, facie pallidâ, cum gladio cruen-*

L. Absentem π. de Pœnis.

Bartolus in legem supradictam.

Less. de jure c. 29. dub. 17.

Item probationes contra reũ debent esse euidentes, non verò dubia.

to domo egredi habente vnum tantum aditum, & ibi reperiatur aliquis recens interfectus; condemnari is non potest, nisi aliæ probationes accesserint, quæ factum certum faciunt. Idem approbat Iulius Clarius in practicâ criminali & Baldellus in terminis. Iul. Clar. in practica cri. l. 5 q. 10. & 11. Bald de Consc. l. 4 disp. 15. n. 10.

Si probationes vtrimque æquales, absoluendus reus.

Hinc rectè inferunt Doctores, quòd si probationes ab vtrâque parte æquales sint, sententiam debere ferri pro reo. c. ex tuis litteris. De Probationibus. *Quod si ambarum partium testes sint æque idonei, possessoris testes præferuntur: cùm promptiora sint jura ad absoluendum, quàm ad condemnandum.* Quod quidem in causâ criminis longè ampliorem locum obtinet, in qua accusatus innocentiæ suæ possessionem obtinet, donec sententiâ justâ depulsus ab eâ fuerit. 57. c. Ex tuis litteris. De Probationibus.

Imo etiamsi accusatoris rationes sint probabiliores.

Denique istud etiam addunt viri grauissimi, etiamsi accusatoris probationes, probabiliores longè sint, quàm quas pro se adfert reus; in criminalibus tamen, pro rei standum esse innocentiâ. Quandoquidem allegata & probata, ipsâ meridianâ luce clariora esse debere statuant jura, & totius orbis comprobatio. Ita præter Salas, Villalobos, Salon, Baldellum Theologos, multis allatis Jurisconsultorum testimoniis docet Mascardus de Probationibus. Atque hæc quidem de omni crimine intelligenda sunt, præterquam de paucis casibus in jure expressis. v. Baldellum 5. n. 12. Mascar. de probat conc. 497. n. 1.

Hinc probatur nostra sententia.

Hinc demùm istud conficio argumentum. Nemo Iudex accusatum me facti, aut ex meris suspicionibus, aut ex ratione verisimili, aut ex indiciis indubitatis quamdiu tantùm sunt indicia, (id est ad vlteriorem indagationem duces & viæ,) neque ex probationibus quæ tantùm sunt probabiles, quantumuis meis quibus factum negare contendo probabiliores; nemo inquam, quamdiu causa non est ipsâ meridianâ luce clarior, id est legitimè comprobata, me criminis justè potest condemnare. Igitur stantibus pro foro Conscientiæ iisdem circumstantiis, nec ego id possum. Rursus; deficientibus quæ rem clarè & euidenter euincant probationibus, judici incumbit reum absoluere: ita statuunt jura, ita Gentium habet consensus; neque à Canonibus quidquam in his constitutionibus juris est immutatum: comprobatæ sunt quinimo & Pontificum auctoritate, imò & vsu praxique ordinariâ & Ecclesiasticâ confirmatæ; igitur & hoc iure standum est in foro Conscientiæ, & meipsum debeo furti aut perii- 58.

rii

rii dubii, hoc est criminis de quo non constat an commissum sit, non dubie, sed indubitatim absoluere, meque per Conscientiæ sententiam, innocentem facti declarare. Ita quidem sentio, donec mihi, judicem internum externumque inter quid intersit in simili planè caussâ, clarè dilucidèque exponatur. Certè, qui de facto dubio me absoluo, in dubio tutiorem partem sequor, sequor etenim vt jam ostensum est justiorem.

REGVLA V.

Quid judicandum, quando de facto aut de actione exhibitâ constat, dubitatur autem an in eâ peccatum sit.

59. REstat id denique explicandum, quæ tandem ferenda sit sententia, dum de actione ipsâ planè quidem constat; at verò, cùm eâdem peccari possit & non peccari, dubitatur an cum peccato commissa sit res. Exempli gratiâ. Magno quis iræ impetu subitò perculsus, subitâ etiam aduersarij occidendi cogitatione abreptus est, imò & vindictæ iun ēdæ aliquod habuit desiderium. Rursus conspectâ, aut forte, aut etiam prudenter alterius sexus specie, aut certè eius objecto phantasmate, in desiderium alienæ formæ quis exarsit. De re constat, neque dubitationi locus relinquitur, exarsisse. At verò quia absque vllo liberæ voluntis consensu, intra primò-primos motus stare potest tota hæc Voluntatis vacillatio, atque adeo sine peccato: & rursus quia à primis spontaneisque, aut necessariis huiusmodi motibus, ob naturæ infirmitatem, ad liberum voluntatis consensum facillimus est prolapsus; dubitatur deinde an motibus illis à Voluntate consentum sit an non consensum: ac proinde peccatumne sit an non peccatum: neque vlla datur quæ vtramlibet partem euincat ratio. Quid hîc aget Conscientia, Iudicis munere vt ritè defungatur? Perplexos habet hic dubitandi modus plurimorum animos, estque inter homines virtutis studiosos sanè frequentissimus; & cùm ad deponendam dubitationem non valeant mentem expedire, molestiâ porrò conficiuntur grauissimâ. His ergo cùm alia desint, vt certi quid in re dubiâ statuant, vti Tract. 6. §. 5.

Proponitur quæstio.

6. §. 5. dixi, ad præsumptionis censeo confugiendum esse adminicula.

Qui grauiter peccare non solent, in dubio judicent se non peccasse.

Quod rursus vt ritè fiat & legitimè, adnimaduertendum est duo esse hominum genera. Vnum quidem eorum qui ita constituti sunt animo, vt nullum deliberatâ voluntate aut malitiâ, lethale crimen facilè sint commissuri; illudque, imò prima eius vestigia, morte ipsâ peiùs exhorrent: vnde etiam fit, vt passim eiusmodi illecebris peccatorumúe incitamentis, validè soliti sint obsistere, iisque bellum indicere. Hos ergo si eiusmodi obrepat consensûs fortasse dati dubitatio, censeo sine vllâ animi hæsitatione posse statuere consensum fuisse denegatum, & ab omni crimine immunes se. Nam vt jura statuunt, *Præsumptio habetur ex consuetis, & in dubio, id censendus est egisse quis, quod solitus est agere.* Solitus autem cùm fuerit eius generis suggestionibus se opponere, non est quòd à consuetudine tam inueteratâ sese statuat desciuisse. At quid si plerumque iis solitus obsistere; nonnumquam tamen etiam succubuisse constet? Aio nihilominus à crimine contracto se posse absoluere: nam vt Iurisconsultus rectè statuit, *In obscuris inspici solet quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.* Præclarum, licet in aliâ materiâ, quod tamen & huic mirè conuenit, nobis exemplum dubia dijudicandi, suggerit Ulpianus. *Semper,* inquit, *in stipulationibus, & in cæteris contractibus id sequimur* (nempe judices) *quod actum est. Aut si non pateat quod actum est* (en nostram quæstionem) *erit consequens vt id sequamur, quod in regione in quâ actum est, frequentatur. Quid ergo si neque regionis mos appareat, quia mos varius fuit? Ad id quod minimum, redigenda summa.* Non est quod hæc materiæ meæ studiosiùs applicem; manifesta est res.

Nam pro ipsis stat præsumptio & consuetudo.

60.

ꝛ. de Reg. Iuris Reg. 114. Ibid. Reg. 34.

Et si dubitent an veniale an verò mortale peccatum commiserint, judicent fuisse veniale.

Istud tantùm addo, hinc etiam patêre ad liquidum, quòd cùm ab huiusmodi hominibus reuocatur in dubium, mortalenè commiserint peccatum an veniale; id est, imperfectumnè dederint instigationi malæ consensum, an verò perfectum deliberatumque; veniale tantùm fuisse commissum, debere decernere, neque majori noxæ aut pœnæ se esse obnoxium. Nam eo in euentu, *Ad id quod minimum, redigenda summa* debiti.

61.

Et tales si vere pec-

Atque horum omnium rationem vlteriorem indaganti, hæc occurrit, cui prudens animus facilè acquiescet. Cùm enim virtutis

tutis omnis sanctitatisque curiosæ sint admodum illæ mentes; magnoque peccati mortalis odio munitam habeant animam; sanè numquam tanto corripientur malo, quin & horrore tam inuisi spectri percitæ, eiusdem etiam commissi phantasiam, & quidem altè memoriæ impressam, à perpetrato crimine sint ablaturæ. Quis enim monstro horrido vehementer perculsus, eius memoriam facilè amisit? quis non eius secum, & quidem longo tempore circumfert imaginem? Certè qui tam facile spectri obliuiscitur, vt etiam dubitet an adspexerit, non multùm illo perculsum fuisse censendus est. At verò cùm virtutis studiosus, summopere peccati mortalis virus auersetur, atque adeò execretur; profectò si de eo in animam admisso tantùm dubitet, nullo modo credibile est in animæ atrium, monstrum irrepsisse tam terribile, mentique virtutibus exercitæ tam formidabile: manifesta enim reliquisset in memoriâ impressa vestigia, quæ admissi in interiora monstri, dubitationem omnem tollerent. Hinc fit, vt qui sic animo constitutus de peccato commisso tantùm potest dubitare, hoc ipso dubitandi genere patefaciat, non peccasse. Sic ergo dubitando, dubium tollitur. Hoc autem sublato, non est quod Conscientiam remoretur, benignamque pro se ferendam sententiam posthac impediat,

cassent mortaliter, id certò recordarentur.

Quod probatur ex naturâ horroris.

63. Est & alterum præterea genus hominum, quibus nulla aut exigua Dei aut salutis est curatio; qui vltrò sese grauissimis criminibus ingerunt, eorumque fomenta studiosè venantur, excitant sua sponte phantasmata quibus pereant: denique vti Job eos describit: *Bibunt quasi aquam iniquitatem*; nulloque scelerum horrore tenentur; diligunt quinimò malesanas delicias, easque nullo Numinis metu, auidè, cùm occurrerint, amplectuntur. Hi sanè, si quando dubitatio inciderit an motibus primo-primis, suggestionibusque impudicis consensum præbuerint an denegarint, sine vllo prorsus angore animi, aut à vero aberrandi metu, possunt decernere, haud dubiè peccasse se. Validissima enim, *habetur præsumptio ex consuetis*: & vt antè citatus Jurisconsultus egregiè: *Si non pateat quod actum est, consequens est vt id sequamur, quod in regione, in quâ actum est, frequentatur.* Et verò si nil nisi lolium tellus tulerit hactenùs, enascentem fortè herbam quis nisi insanè judicet balsami surculum esse, aut floris calamum,

Magni peccatores & qui plerũque tentationibus succũbunt, in dubio iudicent se peccasse.

Iob 15. v. 16.

qui nonnisi cultissimis hortis innascitur? Quod paludibus increscit, arundinem puta & vilem algam: neque quod isthic dubiæ fidei emittit folia, rosetum voca aut quercum: nam quamuis tibi dubitare sit collibitum, tamen *Præsumptio habetur ex consuetis.*

Si peccator ille tentationi restitisset, id sanè recordaretur.

Præsumptioni autem magnum robur exinde accedit, quòd cùm impudicis suggestionibus fortiter resistere insolita res sit eiusmodi hominibus; sanè cùm insoliti tenacissima sit memoria, actus tam heroïcus clarissima impressisset memoriæ sui vestigia. Vnde cùm dubia sit eorum mens, an resistendo, virtutem tam eximiam ipsisque insolitam exercuerint, euidens id est indicium, actum fuisse more solito, eumque impudicæ impressioni penitùs cessisse. Quòd verò ex aliâ etiam parte, memoriam consensûs dati, peccatique in animam admissi speciem non habeant, id sanè mirandum non est: nam vt vulgò dicitur, ab assuetis non fit passio, nullamque aut valde debilem sui speciem imprimit res quæ spectatur quotidie. Ea quam ante habuit, sufficit phantasiæ, neque nouam sibi affingit, vbi nihil admodùm fit noui aut insoliti. Hinc fit, vt qui molossum, quantumuis ferocem & horridum, quotidie in conclaue admittere, eique solitus est abblandiri, non facilè recordetur an & quoties atrium subierit nudiusquartus: recordaturus profectò, si quem catenâ validè religatum in ergastulo detinebat, effracto carcere domum subire, atrium per vim perfringere, seseque rabido ore impetere persensisset. Ita fit inquam. Toto mentis atrio, rabidas carnis Dœmonisque suggestiones peruagari passim & impunè permittis tu; allicis quinimò & euocas, ijsque blandè colludere tuæ quotidie sunt deliciæ: quid ergo miraris jam tibi euidenter non occurrere, an exactè tali horâ & die monstro tibi non insolito manus dederis, eique num colluseris? Ab assuetis, inquam, non fit passio. Jam verò cùm exiguæ quædam sceleris admissi in tuâ memoriâ supersint reliquiæ, ob quas tibi mouetur dubitatio; hoc mihi rursus indubitatum est indicium, peccati monstrum in animam irrepsisse, cùm in te, homine à sceleribus aliàs minimè abhorrente, tantilla licèt vestigia sui impresserit. Nam vt tuus fert genius, animæque sceleribus assuefactæ constitutio, nisi certò peccatum fuisset, ne minima quidem 64.

quidem tibi mota foret peccati dubitatio. Itaque eo ipso quòd dubites, peccasse te non dubita.

65. Atque hæc sunt quæ de Conscientiæ examine, peccatisque dijudicandis occurrebant. Quomodò in Confessione exponenda, Tractatu 15. dicemus. Interim ex hâc quam fecimus, non probabilis tantùm à dubio, sed & ipsius dubij distinctione, credo patêre jam, nonnisi temerè ea confundi; neque aptè sententiam vniuersim pronuntiari eandem, de rebus naturâ dissimilibus. Distinctio sanè quæstionis in sua membra, vti claritatis, ita sapientiæ mater est. At verò, vti S. Maximus, quem mihi auctor ipse disquisitionis Theologicæ in manus porrigit: *Dicere quidpiam & non distinguere priùs significata in eo quod dicitur, nihil est aliud quàm omnia confundere; & ea studio relinquere operta, de quibus quæritur; quod est alienum à viro differendi perito.* Ita D. Maximus, breuiter, & verè.

QVINTVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ.

Voluntatem peccatis implexam ad scelerum pœnitentiam ducere.

TRACTATVS XII.

DE CONTRITIONE PERFECTA.

Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. *Ad Hebr. 4. v. 6.*

Deum ad gratiam scelerum peccatori præstandam, ex suâ parte esse propensissimum. Ex parte peccatoris tantùm requiri vt ad Deum redeat. Reditur autem per Contritionem. Exponitur ex Tridentino, quid sit Contritio perfecta, quæ oritur ex amore beneuolentiæ Dei dilecti super omnia. Quâ ratione excitandus sit hic amor, vt sit super omnia. Denique exponuntur ea quæ ad exercendam Contritionem sunt necessaria.

PROOEMIVM.

DUras Iudicis in scelera legitimè inquirentis partes, egit Conscientia. Et quod pessimum est, in lucem prodierunt omnia, quæ longo temporis tractu commissa, & aut obliuione obliterata, aut per contemptum dissimulata fuerant crimina. Quid jam aget peccator deprehensus,

prehensus, & quidem à se? negare non potest scelera: multò minus ea defendere. Quid ergo misero restat? sanè aut præstanda est criminibus gratia, aut res est prorsus desperata; pereundum est penitus. Hoc ergo quintum est Conscientiæ officium: dum totâ turbatum est domo, pacem domesticam componere, & malè dissolutam concordiam redintegrare. Offensus est Deus, minas spirat, supplicia intentat. Reus est homo, & suâ quinimo sententiâ condemnatus. Ab hoc prætorio nulla datur exceptio, appellatio prorsus nulla. Justitiæ tribunal est, & quidem supremum. Igitur judicio confici res cùm non possit, adeundus profectò est *cum fiduciâ thronus gratiæ, vt misericordiam consequamur*, vt commodùm monet Paulus. At quâ fiduciâ? non aliâ certè, quàm quòd cum Deo in gratiam plenè inflexo res nobis sit futura: & quidem cum Patre tam benigno, vt peccatorem hominem, offensus ipse, ad se inuitet humanissimè, gratiamque vltrò offerat, etiam non rogatus. Et hoc quidem fiduciæ faciendæ, peccatori primùm inculcabimus, ne de re bene gerendâ, per ignauiam desperet. Deinde exponemus, quem habitum ad thronum gratiæ accessurus, debeat assumere, quos vultus induere, denique quid sit agere sceleris verè pœnitentem. Cùm verò duplex sit pœnitentia, perfecta vna quæ Charitate, imperfecta altera, quæ non nisi Sacramento perficitur, vt, mox videbimus; hanc in sequentes duos Tractatus differentes, illam, id est perfectam Contritionem, & quidquid ad ejus naturam spectat, dilucidè nunc explicabimus.

ad Hebr. 4. v. 16.

§. I.

Peccatori nullum facti aut juris remedium supereſt; nec quidquam reſtat, niſi vt gratiam commiſſi ſceleris à Deo petat. Adeat itaque thronum gratiæ.

1. DEsperata prorsus caussa est, si caussam meam, hoc est naturæ deprauatæ miserrimam conditionem propugnare contendo, & lite rem euincere. Infelices filij præuaricatoris Adæ, iræ infausta soboles! Quid intumescis, quid animos geris infelicitati tuæ impares? quin tandem aliquando miserias tuas agnoscis, tumorem deprimis, spiritusque assumis dignos te? Peccator

Peccator miserum suum statum intelligat, ne deinceps intumescat.

cator es, Diuinæ Majestatis læsæ conuictus es, reus mortis es & quidem æternæ: & adhuc superbus es miser, te circumspicis, tibique de sorte tuâ gratularis? Infelicem te, si te non intelligis; infeliciorem verò si te intelligis, & necdum sapis! Sane elatos quantumuis oculos ad naturam tuam vitiis corruptam defl cte, hominemque te comperies. Atque tum ego tibi triste istud cum Jobo oggeram: *Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus? .... Etenim quid est homo vt immaculatus sit, & vt justus appareat natus de mulıere? Ecce inter Sanctos eius nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius: quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* Iob 15. v. 2. & seq. Abominabilis autem cùm sit homo, quid frontem explicas? sordibus obsitus, quid superbis hostis Dei, quid tibi de tuâ virtute polliceris? Nescio sane ad hæc quid respondeam, nec quò me infelicissimus peccator conuertam satis scio. Scelestum me negare non possum, & tamen fateri erubesco. Quem enim, nisi quem ratio destituerit, non pudeat obedientiam denegasse tam Sancto Numini non nisi æquissima imperanti, & bellum indixisse tanto Deo? Neque tamen impudentiam tam effrænem inficiari possum: legitima in omnem à me anteactam vitam instituta est inquisitio; nec ab hoste meo, sed ad Conscientiæ propriæ tribunal, criminum conuictus sum & quidem à meipso. Ipse egò & reus fui, & actor, & testis scelerum, ac denique Iudex meus. Non est quod abnuam; non est quod ad aliud tribunal appellem. Veriſſimum est istud Dauidicum, *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem, totâ die contristatus ingrediebar.* Psalm. 37. v. 5. 6. 7.

Peccata sua negare cum non possit,

Miserum me! an datur aliquis effugio locus? quid enim sonti, & tot scelerum reo restat, nisi fugere, & se tam justæ iræ subducere offensi Dei? Sed vana sunt hæc consilia. Nam vti rectè monet Dauid. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? si ascendero in Cœlum, tu illic es. Si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me & tenebit me dextera tua.* Vbique autem si sit manus offensi Dei, quò tandem fugies, vindictam vt effugias? Psal. 138. v. 7. & seq.

nec judicem Deum effugere, 2.

An

3. An fortè quæ negare non potes scelera, jure facta vis contendere, aut caussam tuam ratione aliquâ comprobare? Heu me! non defensoribus eget caussa tam perdita. Offensus est Deus, & quidem toties, & modis quidem tam indignis; quid hîc pro se dicet miserum terræ pondus? quâ tandem fronte factum excusabit, mortalis abjectus, & tamen projectè sceleratus? *Verè scio quòd ita sit, & quòd non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Nolo sanè, nolo contendere ô summe Deus! *Non intres,* itaque, *in judicium cum seruo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Nimis exacta sunt judicia tua Domine, & nimis iniqua est caussa mea. Sanctus es tu, & *æquitas judicia tua*; major est autem iniquitas mea, quàm vt æquitati tantæ possit adæquari. Ad hanc si prouoco, perditus omnino sum, qui mortis sententiam mecum fero.

nec scelera sua defendere

Iob 9. v. 2. 3.

Psal. 42. v. 2.

Psal. 118. v. 75.

4. Quò ergo me conuertam? quid rebus tam afflictis supereſt consilii? Non aliud sanè quàm vt à judicij seueriſſimo prætorio, ad thronum gratiæ caussam prouocem. Etenim: *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Hâc certè patet vnica salutis via; vnicum hoc remedium tantis malis. Itaque vt commodùm suggerit Apostolus: *Habentes Pontificem magnum qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei, teneamus Confessionem.* Fateamur scelera nostra quæ nec negare possumus, nec legitimè excusare: *non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia.* Nouit ipse quid sit homo, humanas miserias reipsâ expertus. Sic est: sed quid deinde? *Adeamus ergo*, subdit Apostolus, *cum fiduciâ ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Opportunum enimuerò auxilium, quod nobis præstat sanguis Dei. *Sedes gratiæ est*, inquit Chrysostomus, *in quâ nunc sedet Deus, non sedes judicij . . . Benè dixit in auxilio opportuno. Si enim nunc accedas, accipies & gratiam & misericordiam; opportunè quippè accedes: si autem tunc accesseris, (cùm scilicet eundum erit in judicium) nequaquam. Intempestiua quippè erit accessio tunc: non enim erit tunc sedes gratiæ. Vsque tunc, sedebit Rex gratiam largiens; cùm autem venerit finis, tunc surget ad judicium.* Ita Chrysostomus.

adeat ad thronum gratiæ,

1. Ioan. 2. v. 1. 2.

ad Hebr. 4. v. 12.

v. 13.

v. 14.

D. Chrys. hom. 7. in c. 4. ad Hebr.

& misericordiam supplex petat.

Hoc si ita est, quid vltra dubitandum est? Adeamus ergo, ex Apostoli consilio, cum fiduciâ thronum gratiæ, qui judicantis & offensi Dei tribunal meritò exhorrescimus. A Deo si fugimus, confugiamus ad Deum: & ab offenso Numine ad misericordiarum Patrem prouocemus. Eamus, inquam, cum fiduciâ, sed vt reos decet, & sententiâ Conscientiæ in primo tribunali condemnatos. Pœnitentis habitum, & compositionem, de gratiâ consequendâ non desperantis rei, præscribit Dauid. *Venite*, inquit, *adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos; quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oues manûs eius.* Non itaque desperemus: peccauimus fateor; Deus est quem offendimus: sed ipse est Dominus, qui est Deus noster; qui nec perdere vult figmentum quod creauit; nec perire quemquam de populo, quem redemit Sanguis Dei. 5. Psal. 94. v. 6. 7.

§. II.

Adeat autem peccator thronum gratiæ magnâ cum fiduciâ; gratiam enim offensus Deus pœnitenti vltrò offert, eamque se daturum jurejurando pollicetur.

Deus promior est ad gratiam sceleribus faciendam quàm ad eam accipiendam peccator.

AUget profectò deprecandi fiduciam, quòd non tantùm, *Aduocatum habeamus apud Patrem Iesum Christum justum*, qui caussam nostram agat, & teste Apostolo, *etiam interpellat pro nobis*; sed quòd Patris ipsius, quantumcumque offensi, tam pium benignumque sit ingenium, vt peccatoris misericordiâ moueatur, quasi si infelicitatis tantæ eius quidquam interesset, hominisque, scelerum rei, miseriis indoleret. Hoc est, quod D. Augustinus, ad tantam gratiæ criminum consequendæ fiduciam, mortales excitat. *Nemo*, inquit, *de Dei pietate diffidat: quoniam maior est eius misericordia quàm nostra miseria; & quisquis ad eam toto corde clamauerit, exaudiet illum, quoniam misericors est.* Audi nunc quæ subjicit, digna magno Augustino, non nisi magna de immenso Deo deprædicante. *Tardius siquidem*, inquit, *ei videtur peccatori* 6. Ad Rom. 8. v. 34. D. Aug. l. de Spir. & litt.

peccatori veniam dare, quàm ipsi peccatori accipere. Sic enim festinat absoluere reum à tormento Conscientiæ suæ, quasi plus eum cruciet, passio miseri, quàm ipsum miserum compassio sui. O verè Patrem misericordiarum, fontem gratiæ! quam dum peccatoris peruersitas præpedit, ipse tuus tibi genius exprimit, & natura commendat. Quis vultum tam benigni Patris exhorrescat, nisi cui adhuc collibitum est tam bonum Patrem aspernari?

Pollicetur Deus gratiam pœnitenti, & promissionē iuramento confirmat.

7. Libet tamen (& verò quid dici potest in hoc rerum statu jucundius?) libet inquam, tam pium Dei ad misericordiam peccatori præstandam proni genium, non ex alterius hominis humanæ sorti fortè abblandientis, sed ex ipsius Dei id de se testantis, & jurejurando confirmantis ore intelligere. Adeste ergo quotquot estis orbe toto peccatores; non tantùm quos vnicum crimen grauat, sed & quos vetera tenent scelera, inueteratumque Dei odium & despectus immanis, in omnem abripuêre insolentiam. Vos, inquam, quos longa per totam anteactam vitam contracta mala, in vltimam salutis consequendæ desperationem adegêre. Vos denique, qui sub peccatorum sordibus computruistis hactenùs, & cauteriatæ Conscientiæ vlceribus contabescitis: aures erigite, audite non me, sed Ezechieli Prophetæ mandata consolationis plenissima, quæ ad Israëliticum populum deferat, dantem Deum. Immarcescebat sceleribus suis Israël; tantâque sibi videbatur implexus perfidiæ suæ immanitate, vt de veniâ sibi à Deo impetrandâ spem omnem deponeret, neque quidquam nisi perniciem vltimam expectaret. Indoluit profectò populi miseriis, ejusque indolentiæ quasi ingemuit pius Deus. Malo itaque, ne serpat longiùs, medicinam facturus, animosque abjectos erecturus, Ezechielem cum his mandatis ablegat. *Tu ergo fili hominis dic ad domum Israel. Sic locuti estis dicentes; iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus. Quomodo ergo viuere poterimus?* Hæc quidem vos, pro ingenio vestro languidè & abjectè. Audiant nunc me, pro meo genio loquentem Deum. *Dic ad eos. Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à viâ suâ, & viuat. Conuertimini, conuertimini à vijs vestris pessimis; & quare moriemini Domus Israël?.... Impietas impij non nocebit ei, in quâcumque die conuersus fuerit ab iniquitate suâ.... Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo .... vitâ viuet & non morie-*

Ezech. 33. v. 10. v. 11. v. 12. v. 14.

morietur. Omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei; iudicium & iustitiam fecit, vitâ viuet. Enimuerò quid ad consolandum peccatorem suauius, quid ad blanditias ei faciendas non ab offenso, sed vel ab amico Numine dici potest tenerius & amicabilius? quid pectus etiam saxo durius magis emolliat, quàm voces tam amœnæ? Eruderanda profectò est penitus hæc deliciarum vena: non enim fortasse, præ mœrore, percipis peccator quò hæc vergant. v. 16.

Viuere se dicit Deus dum peccatoru miseretur.

Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij. Et quidem communis ea est Interpretum expositio, asseuerantis Dei voces esse has, quinimo jurejurando confirmantis, se quoad in se est, vindictam ab inimico homine non expetere, ac proinde nolle mortem impij, quantumuis eam jure optimo mereatur, Hinc istud, *Viuo ego dicit Dominus*, hunc sensum habet. Tam verum est me nolle mortem impij, quàm verùm est me Deum viuere, qui vitæ omnis fons sum & origo. Equidem de veritate sententiæ nullus dubitat. Tam enim certum est Deum peccatoris misereri, quàm Deum viuere; quandoquidem non aliàs sibi adeò videatur viuere, & Diuinæ vitæ exercere munia, quàm dum misericordiam peccatori impendit. Adeò familiaris ipsi & congenita est pietas. Sic, quem studiis, quem venationi, quem armis impensè deditum nouimus, in studiis viuere, in sectandis feris, in armis tractandis eius vitam consistere non immeritò dicimus, idcirco quòd in isthæc exercitia, bona pars vitæ ab horum studioso impendatur; & verò impendatur alacriter, vt quæ eius genio maximè sint accommoda. Non alio profectò modo, dum non vult mortem impij, viuere se dicit Deus, vt cui nihil est jucundius, nihil eius ingenio accommodatius, quàm peccatoris misereri: hoc ei quasi ingenitum exercitium. *Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij.* Quasi si dicat, manifestè ostendo viuere me, quia nolo mortem impij. Hanc dum nolo, tum demum viuere me existimo; hanc dum nolo, tum demùm Dominus, tum demùm Deus sum. An quidquam proferri potest peccatori delectabilius? 8.

Promissa sua Deus iureiurando confirmat, quia

Jam verò, quàm istud admirationem omnem longè superat, quod iureiurando tam sancto vtatur Deus, vt de voluntate suâ peccatoribus tam benignâ, hostes suos certos faciat & securos? *Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij*, id est tam verè 9.

nolo

nolo mortem impij, quàm verè viuit Deus. Graue admodum juramentum. Eo autem quid opus erat? An aliàs fidem sibi facere non poterat? Sanè eam inuenturus fuisse non videtur apud homines, omnia, etiam Diuina, pro suo ingenio metientes. Quis enim hominum ita in misericordiam est implicatus, vt misereatur hostis sui, eiusque amicitiam vltrò deposcat? Et isthæc tamen agere supremum Deum, hominisque amicitiam quodammodo ambire quis credat? Rursus; etiamsi inter homines reconciliationem cum hoste quis appetat, tamen difficilem se præbet initio; rogari vult, amicos qui pro reo intercedant postulat adhiberi; denique conditiones inserit quibus componenda pax coalescat. At vero injuriis infandis impeti Deum; nullo adhibito patrono hostem ei fieri supplicem, nullâque interpositâ morâ *in quâcumque die conuersus fuerit peccator*, de subito emolliri Deum, pacem coire illicò, & vno temporis momento, ex hoste in sinceriſſimam familiaritatem Numinis transscribi; cui inquam, id fieri posse, in mentem venisset, nisi id tam seriò, is cuius interest, affirmasset Deus? & verò, cui res tam inusitata foret credibilis, nisi juramento confirmata? Tanta profectò est, vt ne Deus quidem sibi fidem præstari voluerit, nisi juranti. *Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij.* Iam saltem mentem eriges peccator: jam demum magnâ cum fiduciâ accedes ad thronum gratiæ, neque de eâ tibi præstandâ desperabis: Deo credes, & quidem jurato.

vim incredibilem promiserat.

10. Magna fateor sunt hæc fiduciæ faciendæ argumenta. Alias tamen delicias, teneriora quædam sensa verbis his auguror contineri, quibus obdurato peccatoris animo Deus suauissimè ablanditur. Blanditas has vt exponam, componenda sunt verba quæ profert Deus, cum Israelitici populi querelis. Quænam illæ? audi. Miserrimum animæ suæ statum dum conspicerent scelerib immersi peccatores, de salute suâ desperantes dicebant, v. 10. *Iniquitates nostræ & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo viuere poterimus?* huic ergo interrogationi tamquam sibi maximè injuriæ, illicò occurrens Deus, *Dic ad eos*, inquit, *Viuo ego dicit Dominus Deus.* Quasi si diceret; vt quid inertes quæritis, *Quomodo viuere poterimus*, si ego adhuc viuo, Dominus vester & Deus vester? mortui si estis vos, viuo ego Deus vester qui creaui vos, & Dominus vester qui ex Egypti ser-

Abblanditur Deus peccatori vt impetranda gratia fiduciã in eo excitet.

uitute eripui vos. Quòd si ergo putore criminum contabescitis, & vlceribus peccatorum toti diffluitis, *viuo ego dicit Dominus*, qui sanem vos. Si humana tantummodo remedia supereſſent, aut si cum offenso homine vobis esset negotium, desperata prorsus esset res. Sed quantumcumque injusto bello me impetieritis, tamen adhuc *viuo ego dicit Dominus Deus*, Deus quidem quem offendistis, sed Dominus qui vestrûm miseretur. Attende Israël, attende peccator. An non aliquando misericordis cuiusdam Dei ad te delata est fama, *qui posuit in Egypto signa sua, prodigia sua in campo Taneos?* qui per deserta tesqua *deduxit velut ouem Joseph*; qui rebellantes & recalcitrantes quamtumuis peccatores, tanquam pia mater quasi in vlnis eremo totâ per annos quadraginta circumduxit? an nō audisti Numen esse quoddam, magnificum & immensum, cuius tamen *miserationes super omnia opera eius?* Deum inquam quemdam, de quo per antonomasiam dicebatur *Quia hic peccatores recipit?* Huius Dei fama apud te si percrebuit peccator, scito hunc ipsum Deum supereſſe, *Viuo ego dicit Dominus Deus*, viuo ego cuius misericordiâ hactenus orbis stetit; viuo ego qui creaui te; viuo ego qui tantopere te dilexi, vt tandem etiam mortuus sim pro te. Idem viuit adhuc Deus, eadem in me viuit misericordia, nihil ei quidquam est detractum. Quid ergo rogas *Quomodo viuere poterimus*, si ego viuo à quo est omnis vita? *Et quare*, obsecro, *moriemini domus Israël*, si is viuit, qui vt vitam tibi redderet, mortuus est pro te? Neque tamen cùm me tam beneficum vides, magna à te exhibenda suspiceris, *Conuertimini* tantummodò, *conuertimini à viis vestris pessimis*, & res peracta est. *Conuertere ad me ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos ait Dominus exercituum.* Tu tantùm redi præuaricator, pœnitentis vultum indue, & illico vultum inuenies te redamantis Dei.

Psal. 77. v. 43.

Psal. 79. v. 2.

Psal. 144. v. 9. Luc. 15. v. 2.

Zachar. 1. v. 3.

Felicitas nostra est contra tantum Deum peccasse.

Admirabilem enimuerò Deum! nullo ingenio comprehendendam indolem! Deum, supremam inquam quæ cœlo terræque imperat majestatem, ab homine, imò ab hominum miserrimo, pudendum in morem despici & proculcari, & tamen adeò naturâ suâ esse placabilem, vt gratiam non tantùm præstet, sed & vltrò eam offerat peccatori? Felices nos, quòd non aliquem nobis naturâ similem, aut Angelum impetierint nostra scelera, sed ipsum Deum! non enim nisi in ipsum solum cadere poterat tanta

11.

tanta injuria, & tanta ad ignoscendum facilitas: non poteramus profectò meliori sorte cuiquam esse injurij, neque feliciùs impudentes. Quid enim est nisi summæ arrogantiæ, tam sancti Domini jussa contemnere? quid, nisi summæ injuriæ, præ suis deliciis, voluntatem tanti Dei habere despicatui? quid nisi intolerandæ insolentiæ & effrænis impudentiæ est, amicitiam summi Numinis habere pro nihilo, vt vilissimæ creaturæ fœdis amoribus impliceris? Immania sunt prorsus hæc, indigna homine agendi ratio, & nullis vmquam aut verbis satis exaggeranda, aut lachrymis eluenda. Interim in tam benignum Dominum incidimus, vt si non vnius injuriæ reus, sed omnium quotquot fuêre mortalium sceleribus implicatus, gratiam iis deprecaturus accurreris, eam sine vllo dubio, sine exceptione vllâ, aut modo, sis ablaturus. Macte igitur animis peccator. Reus es; Fateor. Pro Conscientiæ tuæ tribunali mortis sententiam retulisti, neque ab hoc Judice ad alium datur appellatio. Adeamus ergo ad thronum gratiæ; pœnitentis habitum induamus, qui nos pro meritis condemnatos esse negare non possumus; procidamus miseri, *& ploremus ante Dominum qui fecit nos*; & prout indolem Dei cognosco, *gratiam inueniemus in auxilio opportuno.*

Psal. 94. v. 6.

§. III.

Dolorem qui à peccatore pœnitente requiritur, non esse meras lachrymas, aut corporis tristem affectionem.

12. INdolem Dei jam vidimus. Tam prompta est ad præstandam peccatori gratiam, vt eum vltrò inuitet & ad se alliciat. *Conuertere ad me ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos ait Dominus exercituum.* Nunc porrò dicendum est, quid ex suâ parte conferre reus debeat, & quid sit peccatorem ad Deum se conuertere; nihil enim præter hoc requirit Deus. Videamus ergo id quid sit. Satis quidem notum est, non aliud esse conuerti peccatorem, quàm per pœnitudinem commissi criminis ad Deum, à quo auersus fuerat, redire, sceleribusque suis indolere. Et sic vera peccatoris conuersio, non aliud est, quàm de commissis peccatis

A pœnitente dolor peccatorum requiritur.

Zacha. 3. v. 3.

peccatis dolor, qui quidem dum perfectus est, dicitur Contritio.

Sed multi putant se non dolere de peccatis nisi fleant, aut anguntur.

Ast istud etiam video, Doloris vocabulo non paucos decipi, 13.
præsertim quod ad eum concitandum, Sancti Patres, quin & Sacræ litteræ peccatorem dum inuitant, multam de lachrymis mentionem faciant, lachrymas sceleribus eluendis profundi velint, lachrymis Dauidem rigasse stratum, lachrymis denique Magdalenæ & Petri, enormitatem scelerum condonatam. Quæ quidem, & his similia, dum prout verba sonant, nonnulli intelligunt, facilè sibi persuadent, Contritionis virtutem & vim, corporeum quid esse aut corporis affectionem incommodam quæ sensu percipitur; illi non absimilem, quem in jacturâ charorum persentiscimus, quique dum corpus malè afficit, in lachrymas tandem dissoluitur, & in suspiria euaporat. Hinc multi anguntur imprimis, quòd aut nullo aut exiguo scelerum dolore sibi videantur tangi; quòd nec viscera sibi collidi, nec palpitare cor sentiant: majorique se amissæ conjugis, quàm deperditæ Diuinæ gratiæ dolore tangi existimant, quòd ille, lachrymas etiam inuito exprimat, hic verò siccis oculis toleretur. Verùm vt difficultatem primo in limine occurrentem amoueam,

Dolor qui corpore sentitur, passio est ad Contritionem non necessaria

Istud primum moneo, cum D. Thomâ, dolorem sæpenumerò 14.
appellari affectionem malam corporis, quam dum percipit eique malè est, patitur. Hinc dissoluuntur membra, contrahitur cor, colliduntur viscera, in fletum abeunt oculi. Et hos quidem corporis afflicti angores (passiones voca) aio nullo modo Contritionem esse de quâ agimus, quantumuis conteratur animalis malè affecti caro. Quid ergo sunt? Affectiones sunt, corporisque perperàm se habentis ægritudines: quæ quidem Contritionem veram sæpe consequuntur; sæpissimè autem non consequuntur; quinimo nonnumquam peccatoribus obueniunt, sine vllâ omnino Contritione ad rem quæ faciat, id est, ad peccatorum, ob quæ anguntur, veniam consequendam. Manifestum id quidem est in quam plurimis, qui sceleribus jam olim assueti & quasi innutriti, miserabili conditioni suæ sæpenumerò amarissimè ingemiscunt, infelicissimos sese mortalium clamitant, nec vllam quandoque noctes integras somni partem capiunt, neque tamen extricandi sese, & aut fœdos amores eluctandi, aut aliena restituendi, vllus est animus aut lubentia. En

D.T. 3.P. q.85.ar.1.

Sæpe est sine vllâ prorsus contritione.

sum-

ſummum corporis angorem, ſine Contritione. Quid, quod & ad lachrymas, deprecationes etiam adhibuit miſer Antiochus, nec tamen gratiam ſcelerum obtinuit; nempe quòd ſine Contritione, toto corpore exhorreſceret, ac propterea in ventos preces ſpargeret? Teſtantur id ſanè Sacræ paginæ, *Orabat autem hæc*
2. Mach. 9. v. 13. *ſceleſtus* (quia minimè contritus) *ad Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Datur igitur ſine Contritione dolor. Et hic quidem tantus eſſe poteſt nonnumquam, adeoque exorbitans, vt labefactatis animi viribus, in extremam hominem deſperationem adigat. Luculentus mihi teſtis eſt Iudas, proditor
Matt. 27. v. 3. 4. 5. & Dei & ſuus. *Pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos, dicens peccaui tradens ſanguinem Iuſtum*, Pœnitentiâ ducitur Iudas, ſed an verâ? lachrymis, ſuſpiriis, & quæſtibus aërem replet & inficit ſanguinis juſti propola miſerandus; an tamen ſceleris, Deique offenſi hominem pœnituit? Minimè gentium. Quinimò ſcelus ſcelere cumulauit? etenim *abiens laqueo ſe ſuſpendit.*

Sæpe quinimo dolor ille malus eſt.

15. Atque hinc iſtud obiter diſce, non tamen obiter animaduertendum: ſuſpectum illicò debere eſſe dolorem illum corporis, qui nimiâ vehementiâ animum afficit. Et ſi eô dum perſtringeris, minima mentem ſubeat cogitatio, quæ te in malum propellat, minimamque ſuſpicionem denegandæ tibi miſericordiæ ingerat, aut animos quibus ad meliora contendas labefactet, perſuaſum tibi ſit, non eſſe dolorem ſcelerum id quod perſentiſcis, ſed deſperationis à Dœmone ſuggeſtæ initia. Ac propterea magno ſtudio quantociùs excutienda ſunt hæc dolorum ſemina, quæ non niſi in fructus amariſſimos matureſcent. A Deo ſanè, à quo tamen ſunt & ipſa Contritio & Contritionis initia, cruciatus hi tam immodici eſſe non poſſunt. Etenim cùm Deus ſibiipſi non poſſit eſſe contrarius, nihil quod ab ipſo hominem abducit, ab ipſo poteſt ortum ducere. Abducunt autem, imò & in tranſuerſa pœnitentem agunt cogitationes eiuſmodi; non igitur ſunt à Deo. Et denique vera quæ à Deo exoritur Contritio, medias inter lachrymas, corporiſque concitati affectiones, fiduciam ingerit, animos ſubdit, & menti facit delicias inexplicabiles; vbi cruciatus hi exorbitantes, peccatori tenebras offundunt, intempeſtiuis conſiliis mentem interturbant, tumultuſque toto animo cient intolerabiles. Atque hæc quidem explicatiùs aliàs exponenda ſunt. Iſtud jam maneat; lachrymas & ſuſpiria, cæteraſque cor-

Dolor corporis dum exorbitat, etiamſi ex peccatis ortum habeat, numquam à Deo eſt.

poris affectiones, Contritionem veram comitari vt possint, prout mox videbimus, Contritionem tamen ipsam non esse: neque de iis Pœnitentem debere admodum esse sollicitum: ad alia, & à sensibus magis remota, deducenda est mens.

§. IV.

Contritionem in actu Intellectûs & Voluntatis consistere. Exponitur in quibus. Explicatur Doctrina Concilij Tridentini de dolore, & proposito non peccandi.

Proponitur Concilij Tridentini doctrina de Contritione.

VT itaque res omnis penitiùs explicetur, à Sacrosancto Concilio Tridentino petenda est, quæ de Contritione traditur doctrina. Ita habet. *Contritio, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Deinde interjectis nonnullis, configens Nouatorum hæresim, contendentium Contritionem non aliud esse, quàm nudam anteactæ vitæ, sine vllâ commissi sceleris retractatione emendationem (quod quidem quàm à ratione sit alienum & absonum, nemo non videt) mox subjungit. *Declarat igitur sancta Synodus, hanc Contritionem, non solum cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum.* Tertium quod de perfecto dolore, qui antonomasticè Contritio à Theologis appellatur, est quod subnectit Synodus. *Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum* (nempe Pœnitentiæ) *actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò Contritionem imperfectam quæ attritio dicitur &c.* Atque ex his patet Contritionem diuidi in perfectam & imperfectam: quarum quæ perfecta est, charitate perfici dicitur, id est, ex amore Dei super omnia dilecti, ortum ducere. Et quamuis sine susceptione Sacramenti hominem Deo reconciliet, non tamen id facit sine Sacramenti suscipiendi desiderio. Atque hæc est strictè dicta Contritio. Altera enim imperfecta

16. Trid. sess. 14. c. 4.

Ezech. 18. v. 31.

imperfecta dicitur, quòd ex non tam perfectâ radice ducens originem (vti sequenti Tractatu explicabimus) sine Sacramento reipsâ susceptо, peccatorum veniam minimè consequatur: atque hæc est Attritio. Utrique commune est, quòd sit animi dolor & detestatio de peccato commissio, cum proposito non peccandi de cætero. De Attritione quæ sunt dicenda, mox persequemur: nunc verò quæ Contritionem spectant, enucleatiùs, & quantum ad rem meam sufficit, sunt exponenda.

17. Est itaque, vti docet Tridentinum, Contritio animi dolor, & detestatio commissi peccati: quæ quidem, dum perfecta est, exinde nascitur, quòd Diuinæ bonitati super omnia diligendæ & dilectæ, commissum scelus aduersetur. Dolor animi dicitur; non igitur est corporis. Animum verò duo constituunt ac veluti componunt, Intellectus & Voluntas. Dolor itaque animi, dolor est Intellectûs & Voluntatis. Tunc autem dolere Intellectum statuo, cùm judicat se malè de re quâpiam judicasse, & judicium latum cum pudore retractat. Voluntatem verò dolere tunc dico, cùm displicet voluisse quod voluit; velletque, si fieri posset, numquam id, quod modò displicet, voluisse. Utrumque Contritioni quo pacto competat, exponamus. *Quid sit dolor Intellectûs & dolor Voluntatis.*

18. Et primum quidem in animo pœnitentis sic peragitur. Simul atque memoriæ adminiculo, scelus commissum cum circumstantiis illud aggrauantibus, mentis tribunali proponitur; illico rei indignitate perculsus Intellectus, liquidò statuit, indignum in modum egisse se, tanto Numini se quòd opposuerit; præter omnem rationem, ea ipsa corporis membra, quorum vsum à Deo acceperit, in ejus opprobrium esse conuersa; impiè denique actum esse, mandata tam sancta, naturæ tam congrua, & ad justitiam omnem tam exacta quòd contempserit, jugumque tam benigni, & modis omnibus diligendi Domini, tam pertinaciter quòd excusserit. His autem prorsus oppositа cùm judicarit, tum nempè dum sceleribus dabat operam; statuebat etenim satiùs esse libidini fræna dare, quàm Dei jugum pati; hominis, imò & vilissimi scorti amicitiam, Diuinæ longè præferendam; & præcaducis confestimq; perituris deliciis, æternas habendas esse despicatui: hæc inquam, aliaque eiusmodi judicia, his quæ modò fert tam contraria, tulisse se dum videt animus, pudore totus suffunditur: & duas inter sententias sibi tam oppositas quasi con- *Quo pacto Intellectui dolor inuratur ex peccati admissi conscientiâ.*

strictus ingemit, horretque prius judicium, quod nunc pro tribunali Conscientiæ videt à se ipso, ratione optimâ debere reuocari. Atque hæc est quæ ab intellectu percipitur displicentia, ejusque cruciatus.

Naturalis ordinis ratio, qua de peccati commissi malitiâ judicatur, non sufficit ad Contritionem Debet esse ratio supernaturalis.

Hîc tamen sistendum non est, altiùs promouenda est res: neque enim sufficit judicare actum malè. Nam vt rectè D. Augustinus, *Multi assiduè dicunt se esse peccatores; & tamen adhuc illos peccare delectat. Professio est, non emendatio; accusatur anima, non sanatur; pronuntiatur offensa, non tollitur.* Sic est. Sanè peccatorem sese dicebat infelix Judas, nec tamen sceleris verè pœnituit. Rursus Samuelis oratione correptus Saul, peccasse se confessus est. *Dixitque Saul ad Samuelem, Peccaui, quia prævaricatus sum sermonem Domini*, neque tamen sceleris gratiam est consecutus. Quid enim? narrantis erat hæc vox, non seriò pœnitentis. *Primò* quidem, quòd non tam commisso crimini, quàm jacturæ regni ingemisceret, ita enim ei disertè Samuel edixerat, *Pro eo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex.* E jacturâ autem rerum temporalium quæ peccatum consequitur, quisquis de malitiâ criminis commissi judicat, judicat quidem quod res est; sed judicium non profert quod vera contritio consequatur. E rationibus longè altioribus, quæque naturæ ordinem superent, petenda est judicii de peccati peruersitate ferendi ratio, supernaturalis vt sit dolor. Atque hic primus fuit Saulis error. *Secundò* dolor Voluntatis pœnitentiæ Saulis deerat: nihil enim quidquam de morum commutatione cogitabat; sed honoris sui apud populum conseruandi tantummodo studiosus, respondit iterum, *Peccaui: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël, & reuertere mecum*, ne fortè percipiant à Domino abiectum me, solitamque denegent obedientiam. An hæc pœnitentis vox est, etiamsi peccasse se ingenuè fateatur? *Sane pronuntiatur offensa, non tollitur.*

19. D. Aug. ser. 3. de Natiuitate. 1. Reg. 15. v. 24. v. 25. v. 30.

Quomodo ex peccati Conscientia dolor subeat voluntatem.

Quid ergo vltra requiritur? *Odium*, inquit Sancta Synodus, *veteris vitæ, detestatio peccati commissi*: quæ quidem Voluntatis dolor est, quam pœnitet & dispudet, per summam procaciam, majestatem infinitam Dei se contempsisse, eamque lubentiæ suæ tam fœdè postposuisse. Redit itaque rea criminis voluntas ad offensum Deum, & ad eum conuertitur, per amoris actum, quo illum 20.

illum tenerè complectitur. Amat autem ideo quòd intellectus sincerè judicet, Deum verè super omnia esse amabilem, eumque qui ob naturæ præstantiam, & bonitatem, creaturis omnibus, infinitis modis debeat anteferri. In hoc autem amoris complexu, quo summo suo bono inhæret voluntas irretita & absorpta, dolore illicò ingenti corripitur, tam turpiter egisse se, creaturæ amoribus intricatam à tanto bono desciuisse, inimicitiasque gessisse cum Deo tam amabili, amoris omnis centro, deliciarumque vnicâ origine.

Item odiũ & detestatio peccati. Quid hæc sit.

21. Hinc confestim subit odium sui; imò creaturam omnium & voluptatum, quantùm quidem à dilecto Deo auocant, eiusque castissimos amores interturbant. Oritur deinde criminum detestatio, actus inquam voluntatis, quo quod factum est, infectum velles; vtpotè quod seriò condemnas, judicasque præter rationem omnem & meritum, tam vili habitum tantum Deum, cui injuria tam atrox & tam indignè fuerit impacta. Atque hæc omnia, vti consideranti manifestum est, animi fiunt, non autem corporis aut sensu aut adminiculo.

Duo actus constituunt Contritionem.

22. Tum itaque vera habetur Contritio, cùm intellectu quidem actum exerces, quo certò judicas, Dei amicitiam tanti esse æstimandam, vt ei nulla creatura comparanda sit, nedum præferenda; æquissimumque esse eius voluntati penitùs se subjicere: voluntate verò, ita Deum dum complecteris, eique inhæres, vt nullis ab eâ blanditiis, nullis minis sis auocandus. Atque ita constitutus cùm est animus, pudore anteactæ vitæ suffunditur, impudentiæ pœnitet; eoque odio in perpetratum crimen fertur, vt si in manu jam esset, factum redderet infectum, planeque destrueret. Simili sanè voto in re dissimili optabat Anna Tobiæ mater, pecuniam numquam fuisse, ob quam conspectu dilecti filii priuabatur. *Numquam fuisset*, inquiebat tristis mater, *pecunia, pro quâ misisti eum.* Hoc est votum detestantis rem, quæ doloris ingentis causa est. Equidem scio detestationem hanc sæpè tantam esse in animo, vt non rarò in corpus ipsum agat, magnosque excitet lachrymarum imbres, & suspiria. Hæc tamen dolorem animi non constituunt, sed comitantur aut subsequuntur, interioris affectus indices non vani, neque etiam pœnitendi.

Tob. 5. v. 24.

23. Denique post omnia, vt docet sancta Synodus, sequitur *Propositum*

Propositum de cætero nõ peccandi sufficit quod sit implicitum.

tum non peccandi de cætero. Quod quidem quamuis non semper explicito actu exerceatur, implicitè tamen & virtute, in sincerâ Pœnitentis Contritione, & Dei super omnia dilecti charitate decretum eiusmodi continetur. Sinceræ, inquam, Contritionis est conditio, numquam agere velle pœnitenda. Nam vt rectè D. Thomas, *Ille est irrisor & non pœnitens, qui simul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit*; imò & qui non proponit à pœnitendis abstinere: vt quid enim doleat, si dolendis delectetur? Propositum autem non peccandi de cætero, idcircò in Contritione contineri virtute dicitur, quòd istud Contritionis aut etiam Charitatis perfectæ actui ita proprium sit & congenitum (efficax enim est) vt si eo fuisset imbutus animus, tum cùm sese dabat peccati quod perpetratum est committendi opportunitas, numquam profectò peccatum admisisset tam injurium illi quem nunc tantoperè diligit Deo. Et rursus, talis naturæ & efficaciæ est ille actus, vt si is, prout nunc est, æternitate totâ animo insisteret, quodcumque etiam objectum scelus, æternitate totâ sit excluſurum. Et hoc est virtute habere, *Propositum non peccandi de cætero*, quod sacra vult Synodus. 24.

Suar. in 3 p. q. 85. disp. 4. sec. 3. ass. 2.

D.T. 3. p. q. 84. a. 10. ad 4.

Contritio cur dicatur efficax.

Huic peccata omnia condonantur, sine sacramento, non tamen sine Sacramenti percipiendi voto.

Hâc itaque mente sic contritâ, sic contra scelus omne obfirmatâ, Deum supplex si adieris, illudque cum Dauide dixeris, *Peccaui Domino*, illicò cum Nathano adjecero: *Transtulit quoque Dominus peccatum tuum*: & quidem confestim, ipsoque illo, quo sic pœnitet, temporis articulo; etiam Pœnitentiæ Sacramento, Sacerdotis absolutione nondum perceptâ: quamuis peccata confitendi deinde, ex Christi præcepto, maneat obligatio. Quapropter etiam sancta Synodus, criminum reconciliationem Contritione statuit non impendi, sine Sacramenti voto. Quod tamen in eâ rectè includi dicitur, cùm Sacramentalis Confessio à Deo præcepta sit; neque quisquam existimandus sit huic legi parêre nolle, qui ex Contritionis & Charitatis vi, omnem omnino Dei legem statuit adimplere. 25.

2. Reg. c. 12. v. 13.

Trid. sup.

Potest propositum nõ peccandi fuisse verũ & legitimum, licèt postea peccetur.

Illud tandem etiam dicendum est, malè ex peccatis post Contritionem deinceps commissis, de Contritione præteritâ propositisque factis ominari nonnullos, quasi ea nulla fuissent aut irrita, propterea quòd in vetera crimina, secuto dein tempore sint relapsi. Perperàm, inquam, ita judicant. Potest enim perfecta fuisse

fuisse Contritio, licèt ob imbecillitatem animi, qui numquam in hoc mortali corpore eidem potest actui diu insistere, voluntas postmodum per alium actum peccato succumbat, eique consentiat. Nihil autem quidquam bonitati actûs præteriti detrahit, præsens animi peruersitas & inconstantia. Quod quidem D. Thomas rectè exequitur. *Quod autem aliquis*, inquit, *postea peccat vel actu vel proposito, non excludit quin prima pœnitentia vera fuerit. Numquam enim veritas prioris actûs excluditur, per actum contrarium subsequẽtem. Sicut enim verè currit qui postea sedet, ita verè pœnitet qui postea peccat.* Ita D. Thomas, quod quidem diligenter attendi vellem ab iis qui Sanctorum Patrum sententiis malè perceptis, & duriorem in sensum explicatis, populo pro suggestu timores faciunt, veteresque Confessiones arguunt, quasi si emendandæ deinceps vitæ proposito fuissent destitutæ, propterea quòd in antiquam vitam redierint, & Confessione eluta scelera rursus attentarint. Moderandus est, inquam, dicendi ardor, & ad hanc D. Thomæ doctrinam aliquantulùm molliendus; ne, dum nimio feruore, propositorum constantia exigitur & inculcatur, in desperationem tandem adigatur plebs incauta, dum inepta & irrita credunt esse decreta & proposita, quæ postmodùm per mentis inconstantiam sese vident infregisse. Sed hæc aliàs latius.

D.T. sup.

§. V.

Exponitur quis & quid sit Amor Dei super omnia dilecti, qui ad reconciliationem scelerum requiritur. Item quid sit peccatum detestari super omnia.

26. VErùm cùm perfecta Contritio, aut ipse Amor Dei super omnia dilecti esse debeat, aut saltè, vt sit legitima, ex eo debeat originem trahere; exponendum nunc est paullò accuratiùs, quid sit Deum super omnia diligere, & peccatum super omnia detestari. Multis enim hîc hæret aqua; neq; se Deum vmquam credunt super omnia diligere, quòd majori se in creaturas quasdam amore ferri sentiant, conjugem puta aut liberos: neque super omnia detestari scelera sese existimant, quòd aut pestis aut mortis

Error multorum circa amorem Dei super omnia.

tis horrore viuaciùs percellantur, & hæc præ iis impensiùs sibi videantur expauescere. Quibus vt satisfiat,

Alius amor affectuosus, alius appretiatiuus.

Illud imprimis dicendum est, alium esse amorem tenerum, quem *affectuosum* vulgò dicimus; alium verò *appretiatiuum*. Hôc diligendus est Deus super omnia, non item illo. Et verò vtriusque amoris liquidissima est differentia, summa distantia. Etenim plerumque id vsuuenit, vt mater, infantuli quem sinu gestat, teneriori amore tangatur, quam primogeniti filij qui in spem familiæ jam succreuit: an tamen præ hoc, pupulum magis diligit? Dicamus quod res est; teneritudinem amoris si spectes, præ primogenito suauiùs infantem amat: si verò pretium attendis quod amor ponit, longè impensiùs amat primogenitum. Rursum, catello admodùm lepido & concinno, quique & ore & pedibus benifico Domino solitus est non rusticè abblandiri, lusibus innocuis illecta virgo tenerrimè afficitur; nihilominùs majori longè in pretio habet adamantem pulcherrimum, eumque *appretiatiuo* amore, vt sic dicam, magis diligit. Quod quidem exinde fit perspicuum: si enim alterutrum esset sustinendum; mallet profectò caniculum sibi eripi, aut in conspectu suo crudelissimè dilaniari, quàm adamante spoliari. Et tamen si catelli cruciatus coram videat, latratusque morientis exaudiat, longè grauiores tum corpore tum animo dolores persentiscet, quàm si adamantem se coram sibi videat extorqueri. Teneritudinis hæ partes sunt amantem sic afficere: tenerioris, inquam, amoris sunt indicia imò effecta, non tamen majoris argumenta. 27.

Exponitur vtriusque amoris differentia.

Deus amorem affectuosum super omnem affectum nō exigit.

Non aliter sanè de amore, quo Deum super omnia diligimus, est Philosophandum. Etenim non istud sic accipiendum est, quasi si tam tener requiratur, vt nullam omninò creaturam teneriore complectaris; hæc enim teneritudo, plurimum sibi à corporis constitutione asciscit, & plerumque in sanguinis viscerumque molli affectione aut inchoatur, aut perficitur. Et hæc quidem Deus non requirit, vtpotè quæ in manu vniuscuiusque non sint posita. At verò istud præcipuè pro suo jure meritissimo postulat, vt nihil quod creatum est, præ se, amore *appretiatiuo* complectaris; nec vlla sit creatura quam non eius sanctissimæ amicitiæ longè postponas, nulloque in pretio præ Diuinâ erga te beneuolentiâ habeas. Atque adeò ita constitutus sis animo oportet, vt si Diuinæ voluntati aduersari, ejusque amicitiam infringere sit necesse, 28.

Exigit amorem appretiatiuū sui super omnia.

aut

aut sanè deliciis præter Dei mentem oblatis, renuntiandum sit, iisque penitùs desistendum; his potiùs te omnimodis, & æternum abdices, quàm vt dilecti à te Numinis amori, momento etiam vnico, intercedas. Cum hoc tamen tam immenso amore, rectè stat summus sensus quem natura percipiet, dum à deliciis illicitis, quas creaturæ faciunt, per vim auellitur. Verùm sensus ille amori Diuino nihil quidquam officit, dum, ne vt eum quidem euadas, quidquam quod diuinis legibus prohibetur agere, obfirmato animò est constitutum. Hoc enimuerò est Deum *appretiatiuè* amare super omnia. Sic virgo illa deliciis catelli assueta, quantumuis ingentes ex morte caniculi cruciatus percipiat, *appretiatiuo* amore adamantem præfert, quantumuis *affectuoso* & tenero, magis impensè diligat catellum.

29. Eodem prorsus modo de peccati detestatione statuendum est. Id enim Contritioni, & Amori perfecto proprium est, vt malitiam peccati super omnia mala detestetur, nihilque sit quod magis exhorreat. Quod rursus non de *affectuoso*, aut pœnali horrore, illo inquam, qui sensu & corpore percipitur, intelligendum est; sed de eo, qui ex immenso pretio & æstimatione amittendæ per peccatum Diuinæ amicitiæ, menti incutitur: ex quo fit, vt crimen omne, præ malo quocumque incurrendo detestetur validiùs, & fortiùs exhorrescat: quamuis actu in sensus magis incurrente magisque pœnali, mortem incurrendam, pestem, iniurias, cæteraque corporis aut animi incommoda detestetur. Istud enim semper statuo, ita animo obfirmatum te, vt nullum omninò crimen admissurus sis, prout nunc Deum diligis, vt pœnas quascumque, aut etiam mortem fortè oblatam detur effugere. Hæc animi obfirmatio sufficit, vt super omnia mala censearis peccatum detestari. Verè enim pluris æstimas malum à peccato, quàm ab ipsâ morte inferendum, quamuis majorem longè sensum hæc incutiat. Sanè vtrimque premebatur acerrimè, inter putridorum senum amores adulteros, & minas sceleratas deprehensa Susanna: & tamen sensum superauit peccati detestatio. Testantur id Sacræ litteræ. *Ingemuit Susanna & ait: Angustiæ mihi sunt vndique: si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Dei.* Horrebat adulterii ficti veram infamiam pudica mulier; horrebat & mortem falso sub crimine

Item detestatio peccati appretiatiua super omnia mala requiritur, nõ affectuosa.

Dan. 3. v. 22.

inferendam, totoque tremebat corpore: magis tamen detestabatur verum crimen diuinæ mentis fœmina, quod præ morte, quantumuis pudendâ longè vehementiùs formidabat.

Vt amorem Dei super omnia, aut detestationem peccati super omnia excites, non est instituenda cum aliis bonis aut malis comparatio.

Cæterùm, quamuis Amor quo Deus diligitur, is esse debeat qui dilectum præferat omni amabili; odium verò quô peccatum detestamur eiusmodi sit oportet, vt illud præ omnibus quæ inferri possunt malis, execremur; non tamen id ita intelligendum est, quasi si inter Deum, reliquasque creaturas aperta & expressa instituenda sit comparatio, & Deus singulis sigillatim præferendus. Neque etiam detestanda sic est peccati malitia præ omnibus pœnæ malis, vt singulas tibi priùs ob oculos ponas; puta bonorum honorisue jacturam, opprobria, corporis carnificinam, ignes craticulamúe D. Laurentij, sartagines, aliaque tyrannorum supplicia; & tum demùm forti animo vt asseras, majoris te facere peccati committendi malitiam, illamque te præ supplicijs propositis detestari. Non, inquam, comparatio ista requiritur, vt amor Dei aut peccati detestatio sit super omnia, id est amorem omnem superet, detestationemque omnem excedat. Nam vt egregiè Suarez, *objectum talis amoris*, nempe Deus; *& detestationis*, nempè peccatum, *secundùm se absolutum est & perfectum; ergo potest, etiam ex vi illius objecti, perfectus amor elici, sine tali comparatione. Sicut etiam Religio colit Deum supra omne adorabile; & fides Diuina credit supra omne credibile absque formali comparatione: idem ergo esse poterit in detestatione Pœnitentiæ. Ac propterea communiter auctores docent, has formales comparationes, non solùm non esse necessarias, verùm etiam non semper esse vtiles, neque peccatoribus facilè proponendas: præsertim quando comparatio fit in specie cum aliquo malo sensibili, vt est mors, grauis injuria, contumelia &c. Quia homines regulariter loquendo, multùm mouentur ab his sensibilibus; & ideo verendum est, ne dum hæ comparationes illis formaliter proponuntur, in nouo periculo peccandi constituantur. Et quantùm ad hoc, verum est quod ait Nauarrus, nec Scripturam, nec Concilia aut SS. Patres à nobis exigere illas comparationes, & reflexiones pauciſsimis cognitas, & pauciſsimis vsitatas.* Ita grauissimus ille auctor; cui calculum adiicit Cardinalis de Lugo. Quæ quidem doctrina, si praxim spectes, maximi est momenti. 30.

Suar. to. 4. in 3. p. disput. 3. sect. 9. n. 9. Lugo. Disput. 5. sect. 2. n. 20. de Pœnit.

Quòd si ergo dum diuinis illis actibus operam das, hæc tibi cogitatio 31.

cogitatio obrepat, an si viuus lento igne comburendus esses, aut aliis exquisitissimis tormentis obiiciendus, constantiam Fidei, aut Castitatis non amitteres; aut quid demùm cui, eo in articulo prælaturus tibi videaris, mortem crimini, aut morti crimen: hæc inquam, aut alia eiusmodi si occurrant, phantasiamque tibi ab objectis ignibus aut tormentis feriri persentiscis, adeò vt horrere te, & sanguinem tibi commoueri sentias; sanè consultissimum tunc esse judico, illico comparationes illas abrumpere, mentem auertere ad alia, illudque generatim statuere, te nullo oblato prætextu, aut à fide, aut à constantiâ virtuti debitâ recessurum: cæterùm si id Deo visum fuerit, ejusmodi luctas, virtutisque exercendæ tibi campum offerre, fidere te omnino, tantam Dei esse misericordiam, vt gratium daturus sit animosque subjecturus, quibus & hæc, & verò etiam longè plura pro Dei gloriâ, amorisque experimento, forti animo sis passurus. Ita excutiendæ sunt hæ laruæ, quæ metus aliquando tantos facerent, quantos non facilè tunc esset superare. Quos tamen si virtutis exercendæ sese offerret occasio, sine graui difficultate daretur perrumpere.

Dum comparationes illæ occurrunt in rebus horribilibus, reijciendæ sunt.

& excitandus in genere actus fiducia.

32. Profectò si Diuus ipse Laurentius aliquot ante martyrium annis, sibi exquisitissima quæ demùm ab igne pertulit tormenta, flammarum acrimoniam, craticulæ carnibus inustæ cruciatus, temporisque quô hæc erant sufferenda durationem, animo depinxisset viuacissimè, eaque phantasiæ vi sibi proposuisset ob oculos; fortassis, & non ex nihilo, consternatus fuisset animo, & à constantiâ sibi visus fuisset aliquantulùm dimoueri. Et tamen gerenda cùm erat res, quantis incessit deliciis! vt tormentis omnibus major erexit animos! Non sic medias inter rosas lusisset Laurentius, vt prunas inter gestiebat: nescio an in craticulâ luserit fortis pugil; certè tyranno festiuè illusit, Notum est facinus, quòd dum cineribus adusti corporis inuoluere nititur tyranni furor & inuidia, ex iis ipsis enascens fama, quin & fauillæ erumpentes, totoque orbe circumactæ diuulgarunt. Istud jam quæro; cur, prout omnino est credibile, non eam animi corporisque alacritatem ostenderit vir fortissimus, tum cùm fortassis hæc aut ejusmodi tormenta sibi mente designabat? an quidquam perfecto amori deerat quo Deum arctissimè diligebat? Nihil quidquam. Sed gratia illi tunc non aderat, quam ad sustinenda

Si tormenta magna sufferenda fuerint aliquando, tum dabit Deus gratias peculiares, vt patet in D. Laurentio.

fortiter & hilarè ea tormenta, in ipso rei agendæ articulo daturus erat Deus, & porrò suo tempore dedit opportunè. Sine dubio autem tormenta per solam phantasiam menti repræsentata, terrorem sui incutiunt quandoque horribilem: eumque persæpe, qui naturæ viribus superari facilè non possit. Ut quid igitur vanis imaginibus, rerumque fortasse numquam futurarum euentibus, tibi metus facis? Deus certè peculiarem tibi gratiam præstare non tenetur, vt terriculamenta fortiter sustineas, quæ ipse tibi non ingerit, & tu pro tuâ lubentiâ tibi effingis. Cum Diuo Laurentio pro fide ardendum tibi aliquando si sit, Deus id decernet: & si per te gloriam suam vult promoueri, gratiam dabit atque animos malis pares, imò & majores. Tu Deum vt facis ama, eique toto animi nisu inhære; detestâre super omnia generatim quæ tam sancto amori officiunt; & futuris euentibus, vanisque comparationibus mentem ne fatiga. Id certò scias, amare te posse modò Deum super omnia, licet ad omnia sufferenda mala, modò vires non habeas, tormentis omnibus superandis, id est amori pares. Amori autem Diuino si insistis, etiam vires illi tuendo & conseruando, cùm res tulerit, sufficiet eximius sese amantium cultor Deus.

eis autem gratias non dat Deus cũ tibi illa tormenta, sine necessitate repræsentat.

Potest tamen aliquando ea comparatio institui cum rebus non adeo horribilibus, & in genere:

sed à robustioribus, & in virtutum actibus exercitatis.

Cæterùm hæc quæ dixi, de comparationibus illis intelligenda sunt, quibus res terrificæ, naturæ inquam admodum horribiles superatuque difficiles animo proponuntur, & phantasiæ adminiculo clarè & perspicaciter depinguntur: prout foret ignis aut fornacis viua repræsentatio. Nam si mala generatim tantùm attingas & cursim enumeres, non erit omnino inutilis eorum cum Deo, si amorem, aut cum peccatis si scelerum detestationem excitas, comparatio; vti mox ea minutim proponentem Paulum videbimus. n. 42. Nam quamuis ad perficiendum amoris aut detestationis actum, instituta cum creaturis comparatio minimè sit necessaria, tamen plurimùm confert vt actus ille diutiùs duret, sæpiùs repetatur, & altiùs menti imprimatur, fructu sanè amplissimo. Verùm rubustioris virtutis sunt hæc exercitia; ad quæ ãdspirare vnumquemque, vti est optabile, ita, prout bene Suarez, peccatoribus, id est hominibus tantam virtutem adhuc inexpertis, ista proponere non admodùm est consultum. 33.

§. VI.

§. VI.

Detestationem peccatorum omnium, in amore beneuolo Dei super omnia dilecti, virtute contineri. Ad Contritionem excitandam non requiri vt omnia peccata, sigillatim attingantur. Item non requiri moram temporis; momento perfici. Denique Contritionis substantiam in strictâ Dei adhæsione consistere.

34. VT autem quæ ad Contritionis excitandæ exercitium spectant pleniùs explicemus, dicenda adhuc sunt pauca. Ac imprimis, istud admirari quis possit, quâ ratione, dum de Contritione agimus, quam *detestationem esse peccati commissi cum proposito non peccandi de cætero*, cum Tridentino dicebamus, nunc de Amore Dei super omnia sermonem instituamus, quasi ea sit pœnitentis legitima dispositio; cùm tamen in actu amoris Dei, nulla fiat scelerum mentio, nulla eorum sit detestatio, nullusque animi dolor inuoluatur; quæ tamen omnia ad Contritionem videntur requiri. Imò ex aduerso potiùs, amoris actus, cùm sit amicitiæ, totus in delicias abit, quibus Deum complectitur, liquidissimisque in tam sancto amplexu perfluit voluptatibus.

Quæritur quid amor Dei cum Contritione habeat commune?

Dicendum itaque est *primò*, quòd cùm tota quæ à pœnitente
35. requiritur actio, sit animi ad Deum conuersio, *Conuertere* enim
Zach. 1. v. 2. *ad me dicit Dominus exercituum & ego conuertar ad te*, prout antè exposuimus; nihil admodum referre vtrum per actum amoris & beneuolentiæ, an verò per detestationem criminum ad Deum redeat, ejusque sanctissimæ voluntati penitus inhæreat. Ubi id etiam diligenter obseruandum est, actum detestationis, vt Contritio perfecta sit, ex amore beneuolo Dei super omnia dilecti, debere ortum ducere, & sine hoc non esse legitimum Contritionis partum: amorem verò Dei super omnia, quantumuis suauis sit & placidus, veram tamen detestationem scelerum secum ferre. Et sic, quamuis qui actum amoris Diuini super omnia excitat, actu explicito & formali, vti aiunt, peccata non

Amor Dei super omnia, detestationem peccati virtute continet.

detestetur; imò eorum nequidem meminerit; tamen implicitè ea maximè odit ac ejurat. Itaque amor Dei pœnitentiam scelerum virtute continet: quod rursus intelligendum sic non est, quasi ex eo detestatio dicta possit elici, sicut arbor virtute semini inesse dicitur, licèt semen reipsâ arborem non complectatur; talis enim virtus necdum esset odium peccati, quod tamen ad reconciliationem cum Deo imprimis est necessarium: sed quod detestatio peccati, Amoris actui sit intrinseca, non quidem formaliter, sed virtute: & hoc demùm aliud non est, quàm quòd eadem efficacia Amoris actui insit, quæ inest detestationi, cùm vterque actus æquali vi peccatum destruat, hominemque Deo reconciliet.

Quid hic sit virtute continere exponitur.

Probatur hæc doctrina.

Elegantem doctrinæ huius rationem dat Cardinalis Lugo. Juuat eam ejus verbis exprimere. „ Respondeo, inquit, quemcum- 36.
„ que actum dilectionis Dei qui oriatur ex charitate, debere esse Lugo de Pœnit.
„ affectum amicitiæ: atque ideò non posse tendere ad solam bo- disp. 5. sec.
„ nitatem intrinsecam Dei, quin simul tendat ad conjungendum 2. n. 25.
„ amantem cum amato. Quam conjunctionem eo etiam gradu
„ volumus, quo gradu bonitatem illam amamus, cum quâ appe-
„ timus conjunctionem. Repugnat ergo quòd aliquis affectu a-
„ micitiæ amet Deum super omnia propter eius infinitam perfe-
„ ctionem intrinsecam, quin etiam se affectiuè conjungat cum
„ Deo super omnia, atque adeò quin malit Deo conjungi, quàm
„ aliis omnibus bonis. Hinc ergo necessariò sequitur, quod quili-
„ bet actus dilectionis Dei super omnia, continet virtualiter de-
„ testationem super omnia peccati mortalis, quod nos ab illâ in-
„ finitâ bonitate separat, cui affectiuè conjungimur super om-
„ nia ..... hoc enim est, amare super omnia illam bo-
„ nitatem infinitam, conjungi affectiuè cum illâ supremo vin-
„ culo, & nexu affectiuo: cui nexui opponitur peccatum,
„ quod nostrum affectum separat à Deo, cùm velimus (nempè
„ per peccatum) resistere & repugnare voluntati Dei. Hactenùs ille Theologus eximius. Ex quibus manifestum est quâ ratione dicatur Amor Dei super omnia detestationem peccatorum omnium circumplecti, etiamsi reipsâ formale peccati odium non exerceat.

Ad Contritionem non requiritur

Secundò, si de formali peccatorum detestatione agimus, istud 37.
etiam accuratè cum Suarez dicendum est, ad veram Contritio- Suar. to. 4.
nem

in 3. p. dis. 4. sect. 6. aff. 1.

nem non requiri distinctam reminiscentiam peccatorum omnium figillatim, nec quæ Contritionem antecedat, nec quæ eam comitetur; sed sufficere confusam aliquam & indistinctam scelerum repræsentationem, eorumque detestationem vniuersalem & generatim, vt justificatio peccatoris, eiusque cum Deo reconciliatio consequatur. Fusè hæc magnus ille Theologus persequitur. Rem indicasse sufficit, ad majorem Contritionis exercendæ declarationem. Atque exinde sequitur anteactæ vitæ examen, singulasq; criminum actiones in lege veteri aut naturæ recogitandas non fuisse, nisi *Primò*, ratione restitutionis faciendæ, in genere justitiæ peccatum si quid sit. *Secundò*, si aliqua occasio peccati tollenda: *vel in vniuersum*, inquit Suarez, *si aliquod necessarium remedium adhibendum ad præcauenda similia peccata. Ad hæc autem tenetur homo ex vi Contritionis: & non potest illa præstare sine specificâ consideratione peccatorum.*

distincta peccatorum recordatio, sufficit confusa.

Ibid. Aff. 1.

38. In lege autem Gratiæ, propter Confessionem à Christo præceptam, non specifica tantùm, sed & numerica peccatorum habenda est recordatio: non verò vt Contritio de singulis eliciatur, ad quam sufficit detestari vniuersa. Quod vt rectè exponat Suarez, hæc subjungit digna quæ figillatim attendantur. *Hinc verò fit*, inquit, *vt etiam in hoc statu* (gratiæ) *si contingat aliquem excusari ab illâ obligatione in ordine ad Confessionem, nimirum quia confiteri non potest ob inopiam Confessoris; tunc simpliciter excusetur à tali recogitatione faciendâ, etiamsi oppositum aliqui senserint sine causâ; cùm illa recogitatio non per se præcipiatur, sed propter actum externum qui tunc exerceri non potest. Sicut qui non potest audire Missam, nec recitare Officium, quando aliàs tenetur si posset, non tenetur habere illam attentionem ad Deum, quam habere deberet, si Missam audire, aut Horas recitare posset.* Hæc viri grauissimi sententia: quam, quia euentus infiniti sunt, tum mari tum terrâ iter agentibus, quibus Confessarii copia, etiam morientibus, eripitur, hîc libuit adscribere, vt cunctis liqueat quid eo casu sibi faciendum sit, & quod studium eluendis peccatis, gratiæque cum Deo ineundæ debeat eo temporis & mortis periculo adhibere. Studium autem, vt jam patet, non in recogitandis sceleribus (nisi quæ restitutionem, si hæc fieri possit, inuoluunt) sed in excitandâ sincerâ peccatorum detestatione, aut Amore Dei super omnia

Ibid. n. 14.

Distincta peccatorum recordatio requiritur tantùm in ordine ad Confessionē.

Hinc qui confiteri nō potest; non tenetur singula peccata cogitare,

sed conteratur de omnibus.

omnia eliciendo, ſtudiosè & ſolidè eſt adhibendum. Neque verò credibile eſt, eam quæ famoſo nomine dicebatur in ciuitate peccatrix, ad pedes Chriſti cùm accederet, ſingula ſibi peccata obiecisſe ob oculos; deteſtata eſt omnia, & non ſingula, & tamen ei condonata ſunt ſingula: non multùm recogitauit ſcelera, omnium tamen ei facta eſt gratia, *quia dilexit multùm.* Luc.7.v. 47.

Exemplo S. Magdalenæ.

Facilitas Dei in condonando expenditur.

39. Admirabilem enimuerò facilitatem irati Numinis! O verè placabilem, & exorabilem Deum! Deum inquam: in quo enim inuenientur hæc duo adeò diſparata, ſumma ſcilicet offenſa, ſumma, inquam, & quâ major dari non poteſt peccatoris auerſatio, & ſumma nihilominùs ad gratiam reo præſtandam benignitas? Quis iſta credat Deo competere, niſi ipſimet id aſſerenti Deo, & quidem jurato? En rurſus pro ſe apud Hieremiam agentem. *Vulgò dicitur, ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eum vltra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Comparatione Deus vtitur ſummè pudendâ; offenſamque arripit, cui condonandæ plerumque ſolent homines ſeſe præbere inexorabiles, vt facilitatem ſuam in diſſimulandis injuriis, etiam maximè pudendis, humano rigori comparatam, impenſiùs commendet. Reuertere, inquit, tantummodò ad me, amando me quem offendiſti, aut deteſtando quæ per ſummam impudentiam commiſiſti, & ego ſuſcipiam te. O Deum amoris fontem, ô vnicum miſericordiarum Patrem? tantillæ rei, tantum iniuriarum cumulum remittere, ſolius eſt eius qui *Dives eſt in miſericordiâ.* Hier.3. v.1.

Contritio momento temporis perficitur.

40. Quid, quòd non longo temporis ſpatio producenda eſt Contritio, vt gratiam ſibi dari mereatur, ſed quòd vnico temporis momento poteſt perfici? Atque hoc *tertium eſt*, quod erat indicandum, vt majoribus animis nos ad tam nobilem actum accingamus? Quod ſi per annos integros, imò & menſes tantùm, aut dies, aut etiam horas protrahenda foret Contritio, eique excitandæ intendenda neruis omnibus mentis acies; eſſet fortaſſe quod imbecillitatem animi, tam protenſo actui exer-

exercendo prætenderet humana peruersitas. Nunc autem quid excusationis afferet? vnico actu, vnico temporis articulo tanta res peragitur. Peccatorem vt pœnituit; vt iram omnem posuit Deus. Neque multis verborum ambagibus opus est, vt animi affectum exprimas: non indiget verbis vt mentem intelligat, qui mentis inspector est. Duo verba protulit Dauid, *Peccaui Domine*, & Dauidis est misertus Deus. Minus dixit Magdalena, ne vnicum quidem verbum effata; amauit animo, atque illicò est dilecta. Nam vt docet Cælestinus Papa: *vera conuersio mente potiùs quàm tempore metienda est, dicente Prophetâ, si conuersus fueris, saluus eris.* Sanè non metitur tempora, qui amorem petit. Et si vt egregiè Augustinus: *Amor meus pondus meum*, profectò ab Amore Contritioni pondus datur, non à tempore; atque adeò ab Amoris vi, non à tractu temporis pœnitentia ponderanda est & expendenda.

Neque verbis vllis opus est vt eam exprimas.

Cælestin. epist. ad Episcop. Galliæ c. 2.

41. Hinc demùm patet liquidiùs, id quod initio dixi, Contritionem non in corporis affectione, quæ sine dubio vt perficiatur, moram temporis exigit, sed in ipsâ animâ esse constitutam. Si tamen lachrimæ, suspiria, cordis viscerumque contractio, corporis denique cruciatus Contritionem comitentur, dum non exorbitant, rejiciendæ non sunt. Etenim cùm caro & sanguis ad offendendum Numen fuerint & instrumenta, & verò etiam irritamenta per quæ à Deo auersus est animus; non est abs re, vt nunc demùm etiam peruicaciæ suæ sentiant supplicia: sic ergo dum animus Deo coniungitur, plorent sanè interim oculi, gemat cor, & corpus totum ad conspectum irati Numinis expauescat. Optanda est, inquam, illa corporis, malo suo indolentis, constitutio. Sed si fortassis absit, nihil quidquam Contritioni veræ putes detractum. Hi enim motus, ab ipsâ sanguinis temperie, vt plurimùm, dependent. Fœminis vti sanguis est lenior mollioraque sunt viscera, ita illæ in has affectiones erumpunt faciliùs; difficiliùs omnino viri, quibus durior est tota corporis compactio. An autem credibile est, fœminas à Deo creatas, sic vt præ viris faciliùs in veram Contritionem possint prorumpere? an illis præ his, expeditiorem voluit reconciliationis viam? Nemo sanè id dixerit: non igitur in illis motibus, Contritionis summa est aut substan-

Dolor corporis, lachrymæ & suspiria, bene ad detestanda peccata adhibentur.

Non esse tamen ad Contritionẽ necessaria plenius probatur.

tia, quamuis illius esse possint & sint sæpè indicia non pœnitenda. Denique hoc argumento res hæc tota conficitur & inuincitur; quòd si Dœmones scelerum suorum subire posset pœnitentia, sanè sine vllis eiusmodi suspiriis, lamentationibus, aut lachrymis dolerent: corporis enim sunt expertes, atque hæc sine corpore non fiunt. Perfectam nihilominùs Contritionem animi afferrent, & in pristinam cum Deo redirent amicitiam.

Contritio perfecta in voluntatis cum Diuinâ adhæsione perfecta consistit.

Maneat igitur istud ratum, veram perfectamque peccatoris ad Deum conuersionem, siue ea per actum Amoris Dei super omnia dilecti, siue per expressum & formalem detestationis scelerum actum fiat, in seriâ & sincerâ voluntatis adhæsione consistere, quâ sic Conditorem suum creatura complectatur, vt si per imbecillitatem humanam daretur hunc actum æternitate totâ prosequi, etiam æternitate totâ daretur, nullis creati boni illecebris, à tam sancto amoris nexu dimoueri. Hic itaque obfirmandus est animus; huic complexui solidando, adhibendum est omne studium; sæpiùs etiam per diem, & identidem, præsertim dum peccandi sese offert materia, firmanda mens est, ne vacillet; illudque Dauidicum ore & mente repetendum: *Juraui & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Denique diuino fauori, qui beneuolentibus semper præsto est, confisus animus, Dei inhærens sanctis complexibus, istud cum Diuino Paulo sine vlla hæsitatione pronuntiet: *Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius, sicut scriptum est propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Dignam profectò tanto viro amoris sui exaggerationem. *Sed in his omnibus*, inquit, *superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Hoc enimuerò amare est, ne morte quidem ab amati complexu posse auelli: hoc est quod Paulum sanctum facit. Etenim non mira-

42.

Hæc procuranda & quidem actibus sæpè repetitis.

Psal. 118. v. 106.

Ad Rom. 8. v. 35. & seqq.

miracula, non Prophetiæ, non extaſes, eum Deo reddunt amabilem: vnicum iſtud *Certus ſum*, omnia Pauli miracula exſuperat; vnica hæc animi obſirmatio è Saulo Paulum facit, & quidem dignum Deo. Hanc igitur mentem indue peccator; vultum aſſume, ſed pœnitentis & amantis. Hâc fiduciâ adeamus thronum gratiæ, *ploremus coram Domino qui fecit nos*, quem per ſummam impudentiam offendimus; & *inueniemus gratiam in auxilio opportuno.*



TRACTATVS XIII.

DE CONTRITIONIS IMPERFECTÆ SEV ATTRITIONIS NATVRA.

Inclinaui cor meum ad faciendas justificationes in æternum, propter retributionem. Psal. 118. v. 112. Confige timore tuo carnes meas à judiciis enim tuis timui. Psal. 118. v. 120.

Ostenditur actum Attritionis esse bonum & vtilem. Refutatur duplex doctrina; Lutheri scilicet, & Doctoris cuiusdam Neoterici, de Attritione conceptâ ex Spe Gloriæ, aut timore Inferni. Et Lutherus quidem Attritionem hanc docuit esse actum malum & damnabilem; Neotericus verò, quod licet bonus sit, non possit tamen ab vllo bene exerceri. Vterque perperam.

PROOEMIVM.

MAgnis animorum motibus, per hosce annos, in controuersiam deducta est constantissima Ecclesiæ de Attritione doctrina, quâ tanquam indubitatum statuitur, Attritionem, seu, vt Tridentinum loquitur, *Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ ..... donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum. Et quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat,* Trid. sess. 14. c. 4.

queat, tamen eum, ad gratiam Dei in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponere. Magnis inquam tumultibus, vltimis hisce annis, non tantùm scholæ perstrepuêre, sed & concionantium pulpita sunt repleta, dum sententiam illam & praxim communem Ecclesiæ, non tantùm vocant in dubium, sed & proscribunt penitùs: inutilem omnino asserunt ad gratiam, etiam cùm Sacramento promerendam; plebem eiusmodi falsimoniis prorsus decipi, Sacramenta profanari, neque Pœnitentiam rectè administrari: denique ad Charitatem reducenda esse omnia virtutum exercitia, legitimæ virtutes vt sint. Audio quidem istos Charitatis perfectissimæ patronos. Sed non satis id percipio, Charitatis tam studiosi cùm sint, non omnia ab iis etiam ex Charitatis præscripto agi. Certe Paulina, id est Christiana Charitas, *benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Hæc autem quo pacto conuitiis & calumniis aptari possint, quibus ipsis contrarios, id est orthodoxè sentientes impetunt, publicèque, & priuatim etiam, semellarum inter greges proscindunt & dilacerant, ego sanè hactenus non capio. Omnia quidem dissimulari possent, & cum charitate *quæ omnia suffert*, æquo animo sustineri: illud tamen tolerandum non est, populum hisce clamoribus decipi, veritatemque clarissimam obduci tenebris. Quid, quòd eò impudentiæ deuenerit nuper nescio quis anonymus, qui libello clanculùm euulgato & in Flandriæ Concilio meritissimè proscripto, sententiam Ecclesiæ tam constantem ausus est Impietatis accersere, eamque *Impiam* proclamare, vtpote vti ait, *quæ ex vanæ Philosophiæ deducta sit principiis, tam contra Deum impiis, quam animarum saluti perniciosis.* Atrox imprimis visa est hæc Censura, & Ecclesiasticæ praxi, ac Sacro-sancto Concilio Tridentino admodum injuria. Itaque vt Attritioni detrahatur inuidia, omnibusque constet, non nisi fictos ementitosque fucos esse quos illi obiiciunt, vt populo imponant & in transuersa agant incautum; operæ pretium me facturum existimo, si falsis rationibus quas passim obtrudunt, laruam detraxero; & quæ Attritionis substantiam atque effecta concernunt, liquidò proponam. Et hoc quidem Tractatu contra Lutherum agendum est primò, qui Attritionem omnino condemnat vt malam, ac proinde è virtutum

Multis conuitiis rectè de Attritione sentientes impetuntur:

dubitatur an ex charitate Christiana.

1. Cor. 13. v. 4. & seq.

numero proscribendam esse statuit. Leniùs sed non veriùs agit Neotericus, dum, quamuis non malam esse fateatur, tamen à nemine docet posse bene exerceri, & sic gratiæ consequendæ censet inutilem. Utrumque discutiemus modò; cætera quæ Attritionis effecta spectant, sequenti Tractatu prosecuturi.

§. I.

Proponitur controuersiæ momentum & status.

Omittenda non est hæc materia, quia summi est momenti.

NEminem arbitror mihi versurum vitio, aut laturum incommodè, si hæc quæ bonum Europæ tractum, non sine variâ animorum inclinatione pro partium studio peruagata est controuersia, à me tractanda sumatur in manus. Magni sanè momenti est, & non negligenda res. Et cùm virtutem efficaciamque tangat Sacramenti, à Christo instituti ad reconciliationem cum Deo ineundam, ad sedandos animi tumultus, ad pacem Conscientiæ reducendam; esset profectò dura veritatis Christianæ studioso, pacisque cum Deo ineundæ cupido imposita conditio, si veritatem edoceri prohiberetur; aut ea illi proponi non possent quæ eum in veteri Sacramentorum vsu stabiliant, pacemque reddant, per noua & commentitia dogmata fortasse perculso; quasi si hactenus (vt volunt hi neoterici veteris Ecclesiasticæ disciplinæ, si placet, assertores) à vero Sacramenti Pœnitentiæ cultu turpissimè discisuisset. Patiantur itaque illi, qui turbandi omnia licentiam sibi assumpserunt, me quid sit de re, quid veritas ferat Catholica, sine conuitiis, vt suus detur veritati locus, & rem vt res est, placidè proponere. Et id quidem eò agetur à me libentius, quòd summi planè ponderis rem hanc asserat Jansenius. Dicit enim, & non absre, *Non esse disceptationem de lanâ caprinâ, aut de exiguâ re, sed pertinere ad ipsa ..... Christianæ disciplinæ principia.* Ita est, ita sentio. Nemo igitur Catholicus id ægrè ferre poterit, qui verè & non nomine tenus est Catholicus, Christianæ disciplinæ principia & fundamenta ab homine orthodoxo propugnari, dum aut luxantur aut conuelluntur. Quis id agit inquis? Clarè respondeo. A Luthero conuelluntur aperto marte, impetuntur ariete: sed tectè & quasi per cuniculos suf-

1.

Iansſ.to 3. l.5.c.33.

fodiuntur

fodiuntur & luxantur à Doctore quodam Neoterico. Utrumque ostendo.

2. Atque vt ordine & clarè tota decurrat disceptatio, quæstionis status exponendus est breuiter. Satis id quidem notum est, quod cum teneris annis ex institutione majorum hausimus, duo esse quę animum à peccato committendo retrahant, & quæ ad commissi pœnitentiam seriam, peccatorem sceleris conscium reducant. Motiua Pœnitentiæ hæc vocant Theologi. Et primum quidem, quodque Tractatu præcedenti exposuimus, ex mero sinceroque Amore Dei ducit exordium; talis nimirum quòd sit Deus, qui ob infinitam bonitatem ipsi congenitam, aut potius, vt Theologicè loquar, identificatam, omni etiam amore sit dignissimus; & cuius sanctissimam voluntatem omnes omnino, quotquot in orbe sunt, aut futuræ sunt creaturæ, jure meritissimo exequantur. Atque hinc oritur *Filialis ille timor*, Patrique amantissimo debita reuerentia, quâ homo ab offendendo tam bono Deo retrahitur. Et si peccasse contingat; ex eâdem radice oritur Dolor animi: qui quia ex tam nobili stirpe, Amore scilicet Dei dilecti super omnia, enascitur, virtutem radicis secum trahit, estque in suo genere omnino perfectus. Timor hic, filialis inquam, is est ad quem optandum esset vnumquemque contendere, & ex eo quæcumque Deo exhibet virtutum exercitia depromere. Verissimum id est omnino, neque id quod nemo negat, toties ab aduersariis erat inculcandum. Istud autem hîc non agimus quid sit melius, nec quid sit optimum, sed quid sit licitum, quid sit bonum.

Quid sit timor filialis & quæ eius effecta.

3. Cùm itaque ad tantum perfectionis gradum non cuiuis, neque etiam cui aliquando datur hæc gratia, tamen semper & quouis tempore detur ascendere; secundus est Dei Timor, quem Theologi cum SS. Patribus *seruilem* vocant. Is autem dicitur, cùm homo non ex amore beneuolo quo Deum amat (fieri enim potest, atque etiam fit, vt Diuinæ bonitatis nequidem memineriit) sed ex mero diuinæ justitiæ, & suppliciorum justè infligendorum metu, ab offendendo tanto Numine retrahitur; sic vt dicat nolle peccare se, quòd supplicia justè intentata, & ex merito irroganda exhorrescat. Cùm verò fortè per imbecillitatem & peruersitatem animi commissum est scelus, tum verò facti pœnitet, quòd suppliciorum reus sit quæ tam justè ex æquo sceleribus sunt commensurata & constituta, eaque meritò sibi irroganda,

Quid sit timor seruilis,

Qua ratione Attritio dicatur esse imperfecta, quæ ex timore seruili oritur: & perfecta dicatur Contritio quæ ex timore filiali gignitur.

da, meritò etiam timeat. Ex hoc timore seruili enata pœnitentia, Attritio dicitur: imperfecta sine dubio, vti docet Tridentinum, vbi contrà ex timore filiali Contritio perfecta existit. Non tamen idcirco perfecta est, quasi actus sit tam nobilis & numeris omnibus absolutus, vt perfectio nulla ei possit adiici; datur enim Contritionis actus alter altero perfectior: sed quòd motiuum habeat nobilissimum, ipsam scilicet bonitatem Dei. Perfectus itaque dicitur ratione motiui perfectissimi, licet absolutissimus non sit semper in ratione actûs. Sic & timor seruilis, Attritio dicitur imperfecta, non quòd actui quidquam desit, sed motiuo; quod procul dubio Amor filialis habet perfectius. Juuerit id cursim obseruasse, quod sequenti Tractatu dicendum est vberiùs.

Status quæstionis.

Quæritur nunc de Attritione, quæ ex seruili timore nascitur; seu de dolore animi, de odio & detestatione peccati, de proposito non peccandi de cætero (hæc enim ad Pœnitentiam requirit Tridentinum) dum hæc ex inferni horrore, suppliciorumue aliàs sed justè intentatorum metu oriuntur, dicendum quid sit. 4. Tract. 14. n. 48.

§. II.

Lutheri sententia de Attritione proponitur. Refutatur ex Scripturâ & S. Augustino: Hæresis damnatur à Concilio Tridentino.

Lutherus docet omnem Attritionem esse malam.

ET quidem Lutherus rem omnem breuibus conficit & absoluit: asserit enim Attritionem omnem malam esse, omnemque eius vsum peruersum, quique meritò condemnetur. Hæc eius verba. *Contritio (sic enim cæpit vocari vera pœnitentia interior) duplici viâ paratur. Primò per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum; quâ quis, vt dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, damnum, fœditatem, multitudinem; deinde amissionem æternæ Beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia quæ possunt tristitiam & dolorem excitare, spe satisfaciendi per opera bona.* Ita est Luthere: hæc vera est attritio, seu contritio imperfecta. Quid autem de hâc sentis tu? Jam id ediseret. 5. Luther. in assert. cõtra Bullam. Leonis X. assert. 4. & 6. Tom. 1. serm. 2. de Pœnit.

Hæc

6. *Hæc autem Contritio*, inquit, *facit hypocritam, imo magis peccatorem; quia solum timore præcepti & dolore damni id facit. Et tales omnes indignè absoluuntur, & communicantur.*

7. Et ne videatur hæc de nihilô effutire, rationem mox subiicit dignam se. Nam inquit: *Si liberè deberent remoto præcepto, & minis pœnarum confiteri, certè dicerent sibi non displicere vitam præteritam, quam sic coguntur displicere confiteri. Imò quò magis timore pœnæ aut dolore damni sic conuertuntur, eò magis peccant, & afficiuntur peccatis suis; quæ coguntur, non autem volunt odisse.* Itaque ex mente Hæresiarchæ, non inutilis tantùm, sed & peruersa prorsus & damnanda est Attritio; vtpotè quæ hominem peccatorem, majoris etiam peccati reum faciat. Rationum quas affert momenta, mox expendemus. De totâ verò sententiâ dicendum quid sit, videamus.

Ratio eius est, quia sic dolentibus adhuc placet peccare.

8. Et primò quidem Sacris paginis hoc dogma manifestè aduersatur. Plurima ex iis testimonia possem congerere, sed pauca afferam. *Primò* Jobus *vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*, ab hoc sane timorè justitiæ Diuinæ, à peccatis fatetur auocatum se. Ita disertè inquit *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.* An malè locutus est Job? tamen ab ipsomet Deo laudatus est deinde *quod locutus sit ad se recta.* Quomodo autem locutus est recta, qui timendo pœnas factus est hypocrita, & peccator? *Secundò*, Dauid vir secundùm cor Dei: *Confige* inquit *timore carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Petit timorem hunc sibi suggeri Rex sanctus; an ergo rogat vt peccet? *Tertiò* apud Ecclesiasticum dicitur *Initium Sapientiæ timor Domini.* Rursus, *Timor Dei initium dilectionis eius.* An autem Sapientia, quæ, vt ait Sapiens, *non introit in animam maleuolam, nec habitat in corpore subdito peccatis*, nunc à peccato incipit, & quidem grauiùs peccando? an & ipsamet dilectio Dei animam subit per peccatum? *Quartò*, apud Malachiam sic homines infectatur Deus. *Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* Ecce, præter filialem timorem qui in honore & reuerentiâ est positus, quem petit vt Pater, seruilem etiam exigit vt Dominus. An ergo petit Deus vt peccent homines, fiantque hypocritæ? *Quintò*, Christus ipse apud Lucam, *Ostendam autem vobis*, inquit, *quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet*

Refutatur ex Scripturis.

Iob. 1. v. 1.
Iob. 9. v. 28.
Iob. 42. v. 8.
Ps. 118. v. 20.
Eccles. 1. v. 16. & c. 25. v. 16.
Sap. 1. v. 4.
Malach. 1. v. 6.
Luc. 12. v. 5.

potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Atqui si hunc timeam, majoris illicò inferni fio reus. An etiam Christus ipse nos decipit, & ad agendum malè hortatur, vt majori pœnæ faciat obnoxios? Et hæc quidem ex infinitis Sacræ paginæ locis deprompta sunt pauciſſima. Neque multis opus est, vbi vnica tantùm Dei vox sufficit, vt mendacio obstruatur os.

Refutatur ex. D. Augustino.

Deinde hoc dogma SS. Patrum effatis planè est contrarium. Et quia hi numero, vt ita dicam, sunt infiniti, D. Augustini sententiæ nunc inhæreo: eòque libentiùs, quòd ad sanctissimi huius Doctoris auctoritatem, in re trepidâ, auxilii petendi caussâ, adversarij plerumque confugiant. Mentem suam locis sanè plurimis explicat Augustinus. De multis pauca dabo, & quæ sufficient. 9.

D. August. ad. Virg. lapsam. *Pœnitentia sic agitur, si tibi ante oculos ponas de quâ gloriâ rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit; & si te jam credis propè ipsas positam tenebras exteriores ..... Quantumuis laborem, quantamuis afflictionem subire esto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris.* Dic modò sodes, an pœnitentia, cuius agendæ modum tradit Augustinus, agitur per hypocrisim? aut peruersè agere Virginem lapsam docet Augustinus, & vetus peccatum nouo accumulare? 10. D. Aug. ad Virg. lapsam c. 8.

Rursus in illud Isaiæ, *Ignis eorum non extinguetur.* Ita Augustinus. *Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato. Timent quidem & non amant justitiam* (amore scilicet beneuolentiæ) ..... *timent ne mittantur in gehennam ignis. Bonus est & vtilis iste timor.* Quid dici potest clarius, quodque pudorem Luthero luculentiùs incutiat, si vlla sit tanti viri apud Hæresiarcham, præ se omnes contemnentem, reuerentia? 11. D. Aug. in Psal. 127.

Iterum in illud Psalmi, *Beati omnes qui timent Dominum*, ita disertè Augustinus. *Ille timor Domini nondum castus, præsentiam Domini & pœnas timet. Timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud* (id est non timore filiali) *sed timore patiendi illud malum* (id est seruili.) *Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est, & iste timor vtilis est.* Ita ille. An autem vmquam bonum est peccare? Verùm non expendo singula, vtpote quæ luce ipsâ sunt clariora. 12. D. Aug. in ps. 127.

Clarissimè

13. Clarissimè mentem suam exponit Serm. 18. de verbis Apostoli. En ipsa verba. *Modò cùm dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum punit; timeo quid dicturus sum. Malè times, vanè times? non audeo: quandoquidem ipse Dominus ablato timore* (nempe tyrannorum & hominum) *subiecit timorem* (nempe Dei) *& ait, vbi dixit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, postea non habent quid faciant: sed eum timete qui habet potestatem & corpus & animam mittere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete. Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem geminauerit, dicturus ego sum male times? Ista non dicam. Planè time, nihil melius times; nihil est quod magis timere debeas.* Quod non ausus est Augustinus, Lutherum dicere non puduit, malè times.

D. Aug. serm. 18. de verb. Apostoli.

14. Denique, ne sim infinitus, contra aduersarium legis. *Salubriter*, inquit, *non solùm bonitatem, verùm etiam seueritatem Dei Scriptura commendat; quoniam & amatur Deus vtiliter, & timetur.* Omitto plurima alia loca, quibus Timorem hunc inducendæ charitati docet esse necessarium; acum esse quâ compungendus sit animus, vt filum deinde, charitatis inquam nexus, subsequatur: & plurima in hanc rem. Ex quibus D. Augustini mens Luthero prorsus opposita conuincitur & declaratur. Quibus omnibus colophonem vt imponam,

D. Aug. contra aduersarium legis. l. 1. c. 16.

15. Assero tertiò Lutheranum dogma tribus vicibus à Concilio Tridentino esse condemnatum; & ne vllus detur effugio locus, bis sub anathemate, id est, vt manifestè hæreticum. Primò quidem Sess. 6. can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, vel peccatores peiores facere, anathema sit.*

Lutheri dogma à Tridentino condemnatum est hæreseos.

Trident. sess. 6. can. 8.

16. Secundò Sess. 14. c. 4. *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat* (Sancta Synodus) *non solùm non facere hypocritam, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat,* id est ad justificationem & reconciliationem cum Deo.

Sess. 14. c. 4

17. Tertiò hanc doctrinam in capitulo positam subsequitur Canon. *Si quis dixerit eam Contritionem* (imperfectam scilicet quæ dicitur Attritio) *quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem*

ibid. Canon. 5.

testationem peccatorum, quâ quis recogitat annos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum suorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ; non esse verum & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demùm illum esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, anathema sit.

Lata est legitimè sententia; condemnatus est hæreseos Lutherus. 18. Nihil hîc præterea dicendum restat vlli, qui Orthodoxæ Ecclesiæ genuinus est filius. Illud tantùm obseruandum est obiter, contra Lutherum ex condicto intorta esse hæc fulmina, cuius verba Decretis suis & Canonibus inserit Sancta Synodus; vti euidens est, si hæc quo modo ex Tridentino retuli num. 15. 16. 17. conferantur cum iis, quæ ex Luthero recitaui n. 5. 6. 7. Et hæc obseruatio dicendis erit non paruo vsui.

§. III.

Neotericus quidam sententiam Lutheri nec planè probat, nec planè improbat. Distinguit inter timorem, & timentem. Refellitur eius argutia.

Neotericus materiam hanc fusè exponendo inuoluit, & obscuram facit.

NEotericus quidam, qui fusè admodùm per tredecim capita 19. rem hanc est complexus, multis verborum lenociniis, & D. Augustini auctoritatibus ad rem nostram non facientibus, eiusdemque rei repetitionibus accumulatis, materiam omnem ita inuoluit, verisque falsa ita immiscuit, vt non tam facilè possit deprehendi, nisi res tota penitus euoluatur. Tridentini Concilii auctoritatem eludit, & fulmen in Lutherum intortum detorquet callidè. Interim sic rem agit, acsi nihil adeò haberet præ manibus, ac latam à sanctâ Synodo sententiam venerari. Equidem illum animo venerari eam credo; sed doctrina quam tradit, *de ipso timore gehennæ vtrum bonus sit an malus: itemque de peccati detestatione*, quæ inde pullulat, & quam sese dicit juxta Sancti Augustini principia exponere: hæc, inquam, doctrina, quo pacto cum Sacrosancti Concilii definitione cohæreat, non satis intelligo: nec verò quisquam intelliget, qui rem voluerit penitiùs considerare, Ianss. to 3. l. 5. c. 21.

rare. Rem omnem clarè ob oculos ponam, mentemque Neoterici, imò & rationes penè omnes, quas per tredecim capita fusè explicuit, fide optimâ contraham in pauca. Numquam enim orationis nimiùm sese diffundentis & luxuriantis veritas aut falsitas melius patet, quàm cùm ad pauca contrahitur, & vno veluti comprehenditur aspectu. Agamus ergo rem, nec demus verba.

20. Itaque Tom. 3. l. 5. c. 21. ne in ipso limine impingat, seseque anathemati Tridentino videatur opponere, ita incipit. *Dico igitur timorem gehennæ siue pœnæ in se consideratum, siue paruum siue magnum, siue remissum siue intensum, esse vtilem & bonum*, idque tum Tridentini, tum D. Augustini, quæ nimis apertæ sunt quàm vt negari possint, auctoritatibus confirmat. Hactenùs benè. Ast inquit (columnâ vltimâ) quamuis timor gehennæ bonus sit & vtilis, tamen homines eo malè vtuntur; & sic, *timendo delinquunt: hoc autem non timoris, sed timentium vitium est*, inquit. Quod quidem sæpiùs accidere, ostendit in *appetitu omnium naturalium bonorum, quem tamen nemo idcirco improbauerit.* Sic quamuis bona licitaque sit voluntas assumendi cibi & potûs, &c. tamen delectabilibus inhærendo, gulâ peccatur, &c. *Ita nihil mirum est*, inquit, *si etiam timendo, in malis ipsis, velut extremis hæreant, timendoque delinquant.*

Ibid. c. 21.

Dicit timorem gehennæ bonum esse, sed homines eo malè vti, & vtendo peccare.

21. Sic est profectò; nihil mirum est quòd homines gehennam timendo delinquant, si eam malè timeant: posset enim quis eo timore in desperationem adigi; & tunc non est dubitandum timendo peccari. Ast istud diserte petò, an Timor gehennæ, eius naturæ sit, vt eo nemo hominum perstringi possit, nisi peccet timendo; atque adeò, vt nemo illum actionibus suis possit benè & rectè adhibere? aliud enim est dicere quod multi re aliquâ abutantur, aliud verò eam esse eiusmodi, vt nemo eâ rectè possit vti: primum, est vitium re vtentium;; secundum, est vitium rei. Quod si ergo timor gehennæ is sit, quô quamuis multi abutantur, benè tamen etiam datur vti; tum sanè non ita feruidè debuisset promiscuè timorem omnem generatim proscribere: non debuisset, inquam, tam facilè statuere c. 27. *ex puro timore pœnæ non posse ita fugi peccatum, vt nullum aliunde peccatum incurratur*, quod nihil aliud est quàm dicere, semper peccari eâ ipsâ actione, quâ ex timore pœnæ peccatum euitatur. Neque rursus decretoriâ sen-

Ibid. c. 27.

Callidè hic non dicit, semper timendo peccari:

nam si aliquando datur benè timere, non debuit omnem timorè proscribere, vti facit.

tentiâ configere debuerat vniuersim omnem timorem gehennæ, neque omnia eius effecta reprobare c. 30. vbi disertè asserit, quòd infernum timens, *quidquid ex illo timore fecerit, nihil ex animo,* Ibid. c. 30. *nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo; sed tantùm in speciem coram hominibus operetur.* Et paullò inferiùs. *Hinc igitur consequenter nascitur, vt tales homines qui coacti timore pœnæ justitiam legis operantur, aut operari videntur, non sint amici rectitudinis & justitiæ, hoc est ipsius Dei qui est justitia, sed potiùs hostiles aduersus eum animos gerant.* Hæc, inquam, & similia dici non debuerant, de omni omnino timore gehennæ, si aliquis dari potest qui violentiam non ingerat, qui voluntatem humanam rectè instituat, & quô peccatores rectè vti possint. De hoc ergo timore instituendus fuerat à Neoterico peccator, docendusque quo pacto timere pœnas debeat vt rectè timeat; neque tam seuerè edicendum vniuersim, timendo peccata ex metu gehennæ, peccare semper hominem, ex hoc capite, quod, *Timore qui bonus est & vtilis,* semper vtatur malè, atque id, *Timentis esse vitium non Timoris.*

Aut si nũquam detur Timore benè vti posse, non potuit Timor dici bonus & vtilis.

Quod si autem Timor gehennæ istiusmodi naturæ est, vt nihil 22.
boni ex eo nec fiat nec adeò fieri possit (& hoc sanè tota Neoterici deinceps præfert oratio & contextus) quid enim boni ex illo Timore potest existere, ex quo, vt ipse vult, nec Dei præcepta obseruare, nec peccatum fugere, nec commissum detestari vmquam datur, nisi nouum committendo peccatum? Hæc, inquam, ex timore gehennæ fieri si numquam possint, adeoque nihil quidquam boni; profectò jam non video quo pacto Timor ipse vitiosus non sit & malus; & peccatum exinde exoriens, non tam timentis sit vitium, quàm timoris. Etenim nemo dicet colorem eum album esse, qui omnes quotquot afficit, nigredine inficit & fuligine obducit. Nemo pharmacum vtile dicet & bonum, quod nemo vllus, quâcumque demum pressus ægritudine potest aut malo suo attemperare, aut sumere, sine insigni valetudinis detrimento, nouique morbi paroxismo, aut veteris incremento. Neque quisquam virtutem bonam dicet, quam nemo nisi peruersè possit exercere; imò nec virtus quidem nominanda est, quæ malum facit habentem aut exercentem se. Itaque nec bonus dicendus est gehennæ Timor, qui neminem non, sic timentem, nouo scelere inficit: & rursus qui numquam ad expellendum peccatum, aut ad obseruanda Dei præcepta potest adhiberi

beri timor sine nouo peccati recentis augmento, nullo modo potest dici vtilis: ad quos enim vsus rectè adhibebitur, si ad præstanda bona, & ad mala fugienda, non nisi scelestè possit applicari? aut quo pacto virtus est Timor, qui semper malum facit se habentem?

23. Atque hinc patet ingens differentia inter Timorem gehennæ, & voluntatem comedendi; ex quâ ostendere contendebat Neotericus, Timorem bonum esse posse, quamuis ex timentis vitio malè applicetur. Etenim inquiebat, voluntatem comedendi nemo condemnauerit, quamuis comedentis vitio, in gulæ peccatum possit excrescere, & sic degenerare in malam. Fateor; voluntatem comedendi, cæterosque naturæ inditos appetitus, nemo rectè condemnarit vniuersim: nam vt sæpè detorqueantur in peccata, appetentis vitio; tamen & fieri potest, & verò fit sæpissimè, vt quis iis vtatur rectè, temperanter, modoque rationi consono. At Timore gehennæ, ex mente Neoterici, numquam quisquam quid boni egerit, quantumcumque studium adhibuerit; timor enim ille bene actionibus humanis applicari non potest: & tamen bonum vult dici & vtilem. Profectò si voluntas comedendi, cæterique naturæ appetitus, numquam nisi malè agendis possent applicari, nec sine scelere; nemo non eos malos dixerit, neque negauerit peccari, non comedentis tantùm vitio quòd bonis vtatur malè, sed quod appetitu eo se sinat ferri, qui sine scelere numquam potest satiari. Etenim istud semper malum est, quod numquam fieri potest benè.

Appetitibus naturæ datur benè posse vti, ideò possunt dici boni.

Hoc, secundùm Neotericum Timori non competit.

24. Itaque non est quod mentem suam inuoluat Neotericus. Clarè id dicat oportet, an ex Timore gehennæ aliquid boni quod ad salutem æternam conferat, (de hoc enim solo bono est quæstio) agi possit, an non possit. Si possit; igitur aliquod præceptum Dei ex illo timore obseruari potest, aut aliquod malum euitari: alia enim bona non sunt quæ ad salutem conferant. Hoc autem si fieri posse concedat Neotericus, jam sibi è diametro aduersatur; vtpotè qui totâ reliquâ Disputatione nihil magis neget. Sin autem nihil quidquam boni fieri, aut mali euitari ex illo Timore possit sine nouo scelere; jam sanè non bonus & vtilis, sed prorsus malus, & cum Luthero condemnandus esthic timor: & sic anathema Concilij Tridentini, quod à se verbis amoliebatur, reipsâ incurrerit, eoque cum Luthero penitùs inuoluetur.

Neotericus debet fateri Timorem omnem gehennæ malum esse vt loquatur consequenter.

Verùm

Timor gehennæ bonus est & vtilis, quia eo datur benè vti.

Verùm hoc nunc magnoperè non vrgeo: istud vrgeo & dico, Timorem gehennæ bonum esse & vtilem ex hoc capite, quòd rectè & benè actionibus humanis aliquando saltem possit applicari. Benè autem applicat, quisquis ex eo ad præcepta diuina obseruanda, aut ad detestanda malè acta animum induxerit: ita sentit euidenter Augustinus. Et quidem de virtutis exercitio per timorem elicito, suprà num. 12. *Ille timor Domini nondum castus ..... Timore facit quidquid boni facit .... bonus est & iste timor vtilis est.* De vitandis autem peccatis ita loquitur suprà n. 11. *Audiunt hæc homines* (scilicet tormenta inferni) *& quia verè futura sunt impijs, timent & continent se à peccato ..... timent ne mittantur in gehennam ignis. Bonus & vtilis iste timor.* Duo hîc asserit Augustinus: *Primò*, ex timore gehennæ aliquid fieri posse boni, & peccata deuitari. *Secundò*, timorem ex quo hæc fiunt bonum esse, atque adeò absque peccato. Vtrumque negat Neotericus: quàm rectè, & quàm ex mente D. Augustini, ipse viderit, iique qui Neoterici doctrinæ hâc in parte consentiunt. 25. D. Aug. supra n. 12. & 11.

§. IV.

Timorem gehennæ ad euitanda peccata & reconciliationem cum Deo faciendam prorsus inutilem, imò & malam esse, tribus potissimùm argumentis probat Neotericus. Proponitur summatim tota eius de attritione doctrina fusè per tredecim capita ab ipso expansa.

Neotericus docet attritionem ex timore gehennæ inutilem esse & malam.

ISTud sanè neque mirari neque ferre satis possum, cur Auctor hic, cap. 21. bonum & vtilem timorem gehennæ dicat, cùm reliquo deinceps disputationis decursu, malum prorsus & inutilem esse tribus contendat argumentis. Nam neque præcepta Dei ex eo obseruari posse, nec peccata euitari, nec si jam commissa sunt ad reconciliandum Deum, ne cum Sacramento quidem, quidquam conducere, acriter pugnat: quinimo si actionibus illis eliciendis adhibeatur, peccari denuo. Et quidem inutilem esse timorem hunc, quem à Charitate expelli docet c. 22. 26. Ianss. to. 3. l. 5. c. 21. Ibid. c. 22.

Probat

27. *Probat primò*, ex eo capite quòd timor gehennæ, semper sit actus naturalis, seu solius naturæ viribus elicitus: non enim procedere ex Gratiâ Christi, sed vt summum ex generali quâdam gratiâ, quàm potiùs beneficium dixeris Prouidentiæ Diuinæ per vniuersas creaturas diffusæ, quâ creata omnia dirigit & gubernat. *Inutilem dicit, quia actus naturalis est nec ex gratiâ Christi procedens.*

Ibid. c. 23, 24. 25. 26. Prosequitur id quatuor capitibus 23. 24. 25. 26. Totaque argumenti vis, in falsâ hypothesi, quam toto libri sui decursu ponit & numquam persuadet, est constituta; nempè nullum omninò opus ex Gratiâ Christi profluere, nisi quod sit Charitatis beneuolæ erga Deum. Cùm itaque actus timoris gehennæ, naturæ vires non excedat, vtpotè ab eâ elicitus, manifestum est, inquit, ex regulis fidei, inutilem esse vt quidquam ex eo fiat boni, seu ad salutem æternam assequendam quòd conducat, prout sunt obseruatio præceptorum, & amissæ gratiæ per Pœnitentiam redintegratio.

28. *Probat secundò.* Quia id omnibus in confesso est, numquam à Deo peccati commissi præstari gratiam, nisi peccator statuat resipiscere, crimenque commissum imposterum penitùs euitare. Sic *Malum dicit, quia attritus, nuitus peccatū deserit, & retinet voluntatem peccandi.*

Ibid. c. 27. est, nemo id dubitat. Atqui, inquit c. 27. *ex timore pœnæ non potest ita fugi peccatum, vt nullum aliunde peccatum incurratur.* Aduertat hîc Lector, verba illa: *Non potest. Ne quidem ex timore gehennæ,*

Ibid. c. 28. & 29. inquit c. 28. Et ratio quam & his capitibus & 29. prosequitur, est, *quòd qui nudo timore pœnæ peccatum fugit, inuitus & animo repugnanti fugit; ideoque non fugit peccatum, sed aliud quidpiam*, nempè pœnam: atque adeò quotiescumque peccator ex timore non peccat, animo sic est constitutus vt peccatum amet, ei adhæreat, paratus id rursus committere si pœnæ non essent peccantibus constitutæ. Hîc verò, plurima congerit D. Augustini loca, quibus acerrimè sanctus Doctor peruersum hunc timorem persequitur. Et meritò persequitur; nam reuerâ peruersus est. Atqui non datur alius timor, inquit Neotericus: nam quicumque ex timore gehennæ à peccatis abstinent, coacti id agunt; inuiti ab opere externo manus detinent, sed peruersam peccandi retinent voluntatem. Jam verò cùm mala voluntas, non nisi per bonam possit emendari, bona autem voluntas sit, *Amor justitiæ*, vti fusè probat ex Augustino c. 30. euidens rursus est, ad retractanda peccata, Timorem nihil conferre; cùm non sit *Amor justitiæ*, sed po-

Ibid. c. 30. Ibid. c. 31. tiùs amor sui-ipsius, vt probat c. 31. atque adeò obseruatio legis,

aut pœnitentia exinde exorta, opus humanum est, & non ex Gratiâ Christi. Quod paucis & nihil ad rem facientibus, vti reliqua omnia, probat c. 32. Ibid. c. 32.

Attritio secundum Neotericũ non potest quidquam conferre ad obseruandã totam legẽ.

Probat tertiò. Nam istud etiam indubitatum est, gratiam peccatori à Deo non impendi, nisi non tantùm quod commissum est scelus, sed omnia etiam quæ committi possunt animo excludat penitus, firmiterque statuat legem omnem futuro vitæ tempore obseruare. Istud quidem fateor rursus esse verissimum. Atqui, inquit c. 33. *Attritio seu dolor peccati ex gehennæ metu conceptus, non potest excludere omnem voluntatem peccandi, & continere propositum bonæ vitæ, seu seruandi totam legem*, quod quidem ex *Augustini solidissimis principijs*, ostendere se, more solito asseuerat: igitur attritio sic concepta, ad reconciliationem cum Deo offenso faciendam est inutilis. Tota autem assertionis hujus vis ex eo petitur, quòd excludere peccata omnia, totiusque legis obseruandæ propositum, non nisi Charitatis effecta sint, neque ab aliâ quàm ab hac virtute possint effluere. Sic semper eandem trahit serram; & vbi de variis fundamentis iisque solidissimis gloriatur, non nisi vnicum affert, illudque, vti mox videbimus, admodùm carioſum. Ac sic demùm tota Neoterici dissertationis basis est, quod Dolor de peccatis ex metu gehennæ conceptus, reconciliando peccatori Deo non sit vtilis, quia dolor iste non est Charitas. Egregium enimuerò fundamentum, cui tanta verborum & capitum machina, sic quasi projectim & coaceruatim prout casus tulerit, superstruatur. Concludit nihilominus, dolorem istum, cùm necessariò voluntatem peccandi secum afferat, nec excludat peccandi deinceps voluntatem, & *denique cum ex amore sui-ipsius & salutis suæ corporalis oriatur* (ita habet c. 33. in fine) *non majoris pretij esse apud Deum, neque maiorem ad justitiam acquirendam proportionem habere, quàm amor quò quis integritatem corporis sui diligit.* Tandem, cùm rursus Timorem, inuitum, coactum, & reluctantem mandatis Diuinis descripsisset, ita concludit caput: *Cuiusmodi animi dispositio quomodò ad justificationem disponere possit, fateri cogor, captum meum omnino superare.* Neque tuum tantùm superat vir erudite, sed & meum & Theologorum omnium. Verùm cur tu talem Timorem fingis, affingisque Theologis? An alium ergo Timorem non esse existimas, quàm eum quem tibi velut monstrum præfigis in quod

29.

Ibid. c. 33.

Ibid. c. 33.

Ibid. c. 33.

Neotericus fingit sibi Timorem, quem expugnat.

quod tela tua intorqueas, vt ignorantibus videaris aliquid dicere, & verò etiam monstrum tam horridum, quod tamen nusquam est, expugnasse? Quis autem verus sit Timor, quem cum Tridentino commendant Theologi, mox videbimus, dum hæc commenta detexerimus, & destruxerimus detegendo.

30. Palmare verò est istud quod de Concilii Tridentini definitione adfert c.34. *Declarat*, vti vidimus num.17. sancta Synodus, Ibid.c.34. *Contritionem illam imperfectam quæ attritio dicitur ..... verum* Trid. sess. *esse Dei donum & Spiritûs Sancti impulsum .... Et quamuis sine* 14.c.4. *Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere.* Hîc se dum deprehensum videt Neotericus, vnoque hoc dogmate omnia sua commenta de Charitate confecta dissolvi, si Attritio quæ ex Charitate non oritur, ad justificationem nihilominùs viam sternat, vti hîc apertè docet Tridentinum: ad explicandam mentem Concilii, quam proculdubio in Augustino legerat, se convertit. Asserit itaque, *non mediocriter hic hallucinari Theologos*, (familiaris hæc ei est phrasis) Iansl.ibid. c.34. non de Attritione imperfectâ quæ ex timore gehennæ oritur loqui Concilium, sed de *aliâ quâdam Contritione veri nominis, & rationis & essentiæ, quæ tamen nonnisi cum Sacramento ad justificationem acquirendam sufficit. Talis enim datur*, inquit: Contritio nempè quæ verè ex Charitate Dei super omnia dilecti oritur, sed tamen tam est imbecillis, vt sine Sacramento justificationem non consequatur. De tali autem contritione imperfectâ loqui Tridentinum, aut certè loqui debuisse, tam facilè probat quàm facilè vulpes pirum comest. Sic enim se habet tenor & vis argumenti, quod ex toto illo capite tandem educitur. Tridentinum hîc docet Contritionem aliquam imperfectam dari, quæ sola per se ad justificationem non potest peccatorem perducere, potest autem cum Sacramento. Atqui nec sine Sacramento nec cum Sacramento, Contritio imperfecta quæ ex timore gehennæ exsurgit, peccatorem potest ad justificationem perducere: quod quidem validissimis jam à Neoterico, vti ipse de se gloriatur, probatum est argumentis: itaque Tridentinum de illo Timore non agit, neque vllo modo potest agere, nisi corruant Neoterici argumenta, totaque iis superædificata doctrina: quòd tamen

Neotericus docet Tridentinum non loqui de Attritione quæ ex timore gehennæ oritur, sed de Contritione verâ, ex Charitate ortâ, sed quæ sine Sacramento imbecillis sit.

Tota vis argumenti Neotericiaut potius paralogismus exponitur.

fieri posse, ipsi eiusque sectatoribus non est admodùm credibile. Itaque cùm de illâ Contritione non agat Concilium, restat vt de aliâ quâdam Contritione sermo sit, quæ veræ essentiæ sit Contritio, sed tamen imbecillior quàm vt se solâ sine Sacramento, tantæ rei, quanta est justificatio impii, conficiendæ sufficiat. Ac sic mentem Concilii paululùm, & prout oportet, si placet, immutando, rectè cohæret Tridentini definitio, cum Neoterici, imò & cum Lutheri assertionibus. Atque hæc est demùm tota Neotericæ doctrinæ de Attritione, quantumuis inuolutæ, & sententiarum phaleris exornatæ, clara analysis & expositio. Videndum nunc est breuiter per partes singulas, quàm infeliciter sententiam dixerit, & pro Charitate, contra Timorem gehennæ, quàm malè perorarit.

§. V.

Commentitium est quod dicit Neotericus, Tridentinum sess. 14. c. 4. de aliâ imperfectâ Contritione locutum, quàm quæ ex gehennæ metu &c. exoritur. Item, Contritio veri nomnis, quæ tamen ad justificationem sine Sacramento non sufficiat, nouitium commentum est, & in Ecclesiâ inauditum.

Veritas anfractus non habet.

VT tela hæc quæ *multis rerum obscurarum anfractibus*, vt ipse- 31.
met fatetur, contexta est, retexatur, ab vltimo incipiendum est filo: atque inde ordiendum est, vbi auctor desiit; vt rerum tam Iansen. cap. 33.
obscurarum, aut potiùs ab ipso studiosè intricatarum anfractus liquidò detegantur. Videamus sanè, an vt ipse isthic declamat, *Fallantur sine dubio, & rerum obscurarum anfractus non satis penetrent, quotquot aduersùs fundatissimam suam doctrinam, timorem pœnæ nimis imprudenter extollunt.* Crede mihi Vir erudite, veritas, obscura res non est, nec habet anfractus; nuda & aperta est res, facilè se conspiciendam dat: neque vlla tam suspecta est de veritate doctrina, quàm quæ obscura est auctoris artificio, & quæ sententiarum anfractibus inuoluitur.

Hoc igitur vt euitemus, & ne quisquam in laberinthum abeat 32.
eoque

eoque intricetur incautus, planâ procedendum est viâ: hæc autem ea est, quâ ducit Concilij Sancro-Sancti, & inter orthodoxos indubitati mens. Quæro igitur, quâ demum fiduciâ aut potius quâ animi lubentiâ Neotericus dixerit, Tridentinum Sess. 14.c.4. non de Attritione quæ ex timore gehennæ aut spe præmij oritur loqui, sed de aliâ quâdam quam ipse singit? Quis id ante ipsum asseruit aut commentus est? Sed quid verbis opus est, vbi res ipsa clamat. Proferatur sanè Tridentinj locus, non detruncatus, vt non sine artificio à Neoterico profertur, sed sanus & integer. Ita habet. *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis; quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Hæc verba sunt Concilij. Jam verò fidem tuam appello Sapiens Lector, quæ obsecro de sensu verborum tam clarè mentem Concilij explicantium, homini suis anfractibus non irretito, incidere potest dubitatio? nulla hîc de Contritione ex Charitate ortâ, vel per vmbram fit mentio. Apertè agit de *attritione quæ vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur*, & idcirco dicit Contritionem esse imperfectam: quâ ergo fronte aliò mens Concilij detorquetur, aliudque sensisse fingitur, quàm id quod tam apertis verbis explicat? Age porro: quod si Tridentinum dicere voluisset, se de Attritione quæ ex metu gehennæ concipitur agere, quibus tandem verbis mentem suam potuisset euidentiùs exponere, quam quibus nunc vtitur? quæso sodes verba illa meditare, & profer, si pores, clariora. Quòd si autem euidentiùs non potuit exprimi Patrum mens & sententia; quis adeò sit impudens, vt de eâ dubitare audeat, non dico in alium omnino sensum detorquere? Hoc ante Neotericum hunc ausus est nemo, neque video quid excusationis asserri possit, nisi fortè quòd alia debuerit esse Tridentini mens, præ eâ quam verbis exponit, ne in errorem dicatur incidisse. Quæ

Tridentinum non loquitur de attritione ex Charitate imperfectâ, sed ex mero timore orta.

Trid. sess. 14.c.4.

Probatur primò.

quidem profligatæ esset audaciæ, neque ab orthodoxo homine, sed à Luthero quopiam nouo, expectanda vox.

Probatur secundò Rursus, an non Lutheranæ doctrinæ è diametro oppositæ sunt hæc Tridentini capita & canones, aut potius fulmina, vti dicebam supra n. 18? Itaque eodem sensu prolata & intelligenda sunt verba Concilij, quô contraria Lutherus effutiit. Ridiculæ enim prorsus sunt oppositæ Luthero definitiones, si de aliâ contritione agat hæresiarcha, de aliâ verò feratur Concilij sententia. Et hoc quidem nemo, nisi insanè negauerit. At verò de quâ Attritione agit Lutherus? de eâ nempe (vti vidimus supra n. 8. & 7.) *quâ quis vt dicunt* (eius verba sunt) *recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, damnum, fœditatem, multitudinem: deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem.* Manifestum est itaque Lutherum agere de contritione imperfectâ, quæ ex amissione æternæ beatitudinis ac timore gehennæ concipitur, non verò de eâ quæ oritur ex Charitate.. Igitur etiam manifestum est, sententiam Tridentini quæ super hâc contritione profertur, sensum Lutheri attingere vt eius doctrinam profliget; alioquin esset toti orbi perridicula. Rursus de hâc Contritione imperfectâ, aut Attritione asserit Lutherus *eam hominem hypocritam facere, imò magis peccatorem*, non hoc dicturus profectò de Contritione veri nominis & ex Charitate exortâ. Contrarium asserit Tridentinum, docetque *non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam esse donum Dei.* Lutherus docet omnes ex timore gehennæ pœnitentes *indignè absolui & communicari.* Condemnat Lutherum Sancta Synodus, & docet falsò id dici: *nam quamuis sine Sacramento*, inquit, *pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit.* An non hæc omnia de eâ attritione intelligenda sunt, de quâ sententiam tulit Lutherus? Aut si hoc non agitur, quid demum hîc agitur? Non lubet rem adeò manifestam, omnium quotquot sunt hominum rectè sentientium oculis, pluribus prosequi. Hoc tantùm addo. Quod si Sessionis decimæquartæ capite 4. & canone 5. per Contritionem imperfectam seu Attritionem, intelligenda est ea quæ ex Charitate oritur, & non ea quæ ex Timore gehennæ concipitur, fidenter

33.

fidenter asserto Lutheri de Attritione dogmata, hisce canonibus minimè esse hæreseos condemnata. Quod sanè clarum est; nam de aliâ attritione egit Lutherus, quàm sit ea de quâ sententiam protulit Tridentinum. Lutherum autem hisce canonibus confixum non esse, nemo Catholicus, imo ne Lutheranus quidem negauerit. Is ergo qui alium sensum, præter eum quem verba præferunt, Concilio affingit, procul dubio Lutherum anathemati eximit, & fulmen ei intortum facit euanidum, sine neruo, imò deridiculum. Quid enim magis est absonum, quàm alio sensu à Judice proferri sententiam quâ controuersia decidatur, quæ alio prorsus sensu inter partes altercantes disceptatur? sed satis sit de hac re: alterum enim premendum est caput.

Attritio orta ex Charitate imperfectâ, in Ecclesia est inaudita.

34. Quæro ergo secundò, vbi tandem gentium Neotericus inuenerit, Charitatem illam imperfectam aut imbecillem, de quâ Tridentinum loqui fingitur? nam inquit c. 34. *quædam est contritio veri nominis & rationis & essentiæ, quæ tamen non nisi cum Sacramento ad justificationem sufficit.* Itane verò? à quo demùm tempore, talis Contritio è Charitate profluens, inuecta est in Ecclesiam? vbi locorum ea tandem reperta est, quæ hactenus fuit ignorata? An in Sacris litteris? nusquam de eâ fit mentio. An in Conciliis? sanè proferantur. An in Ecclesiæ Traditionibus? inaudita certè fuit ante Baium. An in Sanctis Patribus? nemo hactenus eam agnouit, neque proferri quisquam potest, eius qui meminerit. Ubinam ergo ea Contritio tam imbecillis primò inuenta est, nisi aut in Baii scribentis calamo, aut cerebro dictantis? Et soli sibi, suæque fidei, ab Ecclesiâ vult concredi tanti momenti rem Neotericus?

Incognita fuit S. Augustino.

35. At verò, quî fieri potuit vt Contritio, cuius notitia Ecclesiæ Sacramentis dirigendis tam est necessaria, lynceos D. Augustini oculos effugerit? an is qui teste Neoterico vidit omnia, hoc non vidit? aut si vidit reticuit? Afferatur enim sanè locus, vbi Augustinus dicat *Quandam esse Contritionem veri nominis & rationis*, seu actum Charitatis, *quæ tamen non nisi cum Sacramento ad justificationem sufficiat.* Hanc profectò numquam Augustini libris fuisse expressam, euidenti teneo argumento: quòd Neotericus, qui minima quæque dicta sua, Augustini auctoritatibus conatur fulcire, huic tantæ molis doctrinæ, ne vnicam quidem Augustini auctoritatem suppposuerit. Et tamen in peruoluendis

Probatur id ex ipso Neoterico.

Augustini

Augustini libris non fuit indiligens. Nam vt Synopsis vitæ, præfixa eius operibus habet, *familiaribus quandoque fassus est, se decies & amplius vniuersa opera Augustini, attentione acri, annotatione diligenti; libros verò contra Pelagianos facilè trigesies à capite ad calcem peruoluisse. Patres cæteros vtiles esse, sed Augustinum necessarium, imò vnum pro omni materiâ Theologicâ sufficere aiebat.* Ain verò tu? decies imò & trigesies Augustinum peruoluit Neotericus, & quidem attentione acri, & annotatione diligenti, & tamen imbecillem hanc Charitatem non attendit nec annotauit Neotericus? non itaque quidquam de eâ protulit Augustinus, de quâ tam altum est in hoc authore silentium, Augustinum commentationibus suis præferre semper solito. Neque admodum est credibile, posteritatem id celare voluisse Neotericum, quod in Augustino primus obseruasset. Non ergo id viderit fortasse Augustinus, quod sine Augustino in materiâ Theologicâ vidit Neotericus. Hæc si dixeris, quo modo tunc verum est quod aiebat: *Vnum Augustinum pro omni materiâ Theologicâ sufficere*? hæc profectò Theologica est materia, nec pro eâ adstruendâ sufficit Augustinus, vt qui de eâ nihil dixerit. Aut certè dicendum est materiam hanc non esse Theologicam, vtpotè quam non attigerit Augustinus.

Synopsis vitæ auctoris præfixa Iansſ.

36. Verùm si rem omnem, prout est, fateri volumus, quòd in antiquo Augustino non inuenit commentatum Neotericus, inuenit in Bajo commentum & in Syluio; atque istud assuit suo Pseudo-Augustino neoterico. Ita habet Bajana propositio 32. *Charitas illa quæ est plenitudo legis, non semper est conjuncta cum remissione peccatorum.* Item propositio 31. *Charitas perfecta & sincera quæ est ex corde puro, & Conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Rursus propositio 70. *Homo existens in peccato mortali, siue in reatu æternæ damnationis, potest habere veram Charitatem; & Charitas etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Propositio 71. *Per contritionem etiam cum Charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti.* Eccum fundum vnde charitatem suam eruit Neotericus: eccum, *rerum obscurarum anfractus, quos non satis penetrari* dolebat, tandem penetratos & effossos. Bajanis assertionibus

est condemnata in Baio.

Syluius q. 5 supp. D.T.a.1.

Baii prop. 31.70.71. apud Ripald. to.3. de ente supern. in proœmio.

bus propugnandis, tota hæc adinuenta & admota est machina. Atqui hæ propositiones Bajanæ, à tribus Summis Pontificibus profligatæ sunt & condemnatæ, nimirum à Pio V. anno 1567. Gregorio XIII. anno 1579. & Vrbano VIII. anno 1644. Enumeratis enim Baii propositionibus, inter quas hæ tres leguntur, ita eorum fert Censura: propositiones, *has respectiuè esse hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes. Ac quæcumque super iis verbo scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus. Deque eisdem & similibus posthac, quoquo pacto loquendi scribendi & disputandi facultatem, quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficijs, & officijs perpetuò priuamus*; ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus. *Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo, enodare.* Hujus Bullæ ignorantiam nemo vtcumque doctus potest prætexere, nisi crassam admodùm & affectatam, cùm legitimè sit promulgata. Interim qui damnatis tam præfractè insistunt propositionibus, rem obsecro penitiùs considerent: conueniant non aliena judicia sed suum; propriæ, inquam, dictamen Conscientiæ: istudque secum statuant, quid grauissimo anathemate sibi innodatis faciendum sit. Ego sanè miror non plura vacare beneficia.

37. Ex dictis concludo ego, cum qui docuerit, quòd Attritio quæ secundùm Tridentini mentem, tantùm cum Sacramento sufficit ad delenda peccata, esse *veram & proprij nominis* charitatem, debere fateri dari aliquam *veram charitatem*, quæ extra Sacramentum non deleat peccatum; atque adeò *posse haberi veram charitatem* (siue perfecta sit siue imperfecta, nil moror, modò vera sit & proprii nominis) *quæ consistat cum peccato mortali seu reatu æternæ damnationis*. Atqui qui hoc docet, cum Bajo Propos. 71. in Censuras Pontificum incidit, & excommunicationis vinculo innodatur; igitur qui docet Attritionem quæ tantùm cum Sacramento ad delenda peccata sufficit, esse veram & proprii nominis charitatem, excommunicationis vinculo innodatur, censurisque Pontificiis est obnoxius. *Excommunicationi videtur innodatus qui contrariũ docet.*

38. Quidquid sit, hoc certè fixum & ratum esse asserò, nullam esse Charitatem quæ tam debilis sit, vt sine Sacramenti adminiculo *Licèt daretur aliqua charitas*

imperfecta tamen de ea non dicit Trident. quæ de Attritione docet.

peccatorem cum Deo reconciliare non possit: contrarium autem merum esse figmentum; & in Ecclesiâ ante Bajum prorsus inauditum. Deinde, etiamsi talis Charitas aut Contritio imperfecta daretur, numquam de eâ locutum esse Tridentinum. Loquitur enim de Contritione, *quæ imperfecta est, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur.* Quid potest dici euidentiùs? constat ergo quæcumque de Contritione imperfectâ à sanctâ Synodo dicta sunt & sancita, de Attritione quæ ex Timore gehennæ, & spe præmii interturbatâ enascitur, esse pronuntiata. Ac proinde omnia quæ de Attritione credenda sunt, non ex vnius hominis priuati judicio, sed ex totius Sacrosanctæ Synodi definitionibus, deinceps determinanda. Videamus porrò ea quæ sint, & quàm è diametro Neoterici anfractibus opposita.

§. VI.

Potest dari Attritio ex timore pœnarum concepta, quæ sit supernaturalis: & talis est quæ ad justificationem requiritur.

Prima objectio Neotrici.

ARguebat imprimis Neotericus, vti paullò antè num. 27. vidimus, attritionem ad justificationem minimè posse conducere, ex hoc capite, quod actus is esset planè naturalis, quòd nempè è gratiâ Christi non exortus, naturæ limites etiam non excederet: nullam autem actionem merè naturalem ad justificationem hominis quidquam conferre, Catholicis omnibus in confesso est. At verò è gratiâ Christi Attritionem non procedere, non alio probat quàm trito illlo sibique familiari, sed falso dogmate; nullam actionem è gratiâ Christi existere, nisi quæ beneuolæ Charitatis sit Dei super omnia dilecti. Ita ille. 39.

Probatur quod Attritio supernaturalis detur; ex Tridentino.

Ego autem ex Tridentino, contraria omnia euidenter nunc conficio. Statuo enim cum Neoterico, certum & indubitatum esse nullam actionem esse bonam, id est cælestis gloriæ meritoriam, aut quæ justificationem vllo pacto mereatur, quæ non ex Christi gratiâ profluat. Et quidem vltimum quod dixi definit Tridentinum sess. 6. cap. 5. Hæc Synodi sunt verba. *Declarat prætereà ipsius justi-* 40. Trid. sess. 6. c. 5.

justificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Jesum præueniente gratiâ sumendum esse. Quid clarius? Atqui statim his dictis subjicit Concilium, inter exordia justificationis numerati Attritionem ex timore gehennæ conceptam. Ita enim habet. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Diuinâ gratiâ fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum ..... & dum peccatores se esse intelligentes, à Diuinæ justitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi, propter Christum, propitium forè, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Ex quibus, sic rem meam conficio. Nulla hominis actio potest justificationi exordium dare, aut (quod aliis verbis idem significat) ad justificationem disponere, nisi quæ est ex verâ & præueniente gratiâ Christi. Atqui Tridentinum manifestè docet, Timorem justitiæ Diuinæ ad considerandam Dei misericordiam, Christique tamquam omnis justitiæ fontis dilectionem disponere, quod sanè est esse justificationis exordium: igitur ex mente Concilii, Timor ille ex verâ & præueniente gratiâ Christi exoritur. Rursus verò, quia apud omnes & apud ipsum Neotericum in confesso est, actionem quæ ex verâ gratiâ Christi profluit, supernaturalem esse, constat jam profectò timorem illum, Attritionemque ex eâ enascentem, supernaturalem esse, viresque naturæ prorsus excedere. Vnde istud etiam fit manifestum, commentitium esse Neoterici effatum, nihil supernaturale esse, nisi quod fit ex Charitate beneuolentiæ Dei super omnia dilecti. Datur hîc enim timor, supernaturalis qui sit, & tamen adeò ex Amore non profluat, vt ipse potiùs amoris seu Christi diligendi sit initium; nam *hoc vtiliter concussi*, ait Tridentinum, tum tandem, *Christum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.*

Ibid. c. 6.

41. Rursus Synodus Tridentina sess. 14. c. 4. Ita statuit. *Illam verò Contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat ..... declarat ..... verum donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*; jam verò sic assumo. Attritio illa donum Dei est, & impulsus Spiritûs Sancti peccatorem mouentis: non est igitur motus ille aut actio à naturâ;

Trid. sess. 14. c. 4.

Trid. sess. 14. c. 4.

turâ; ſupernaturalis ergo eſt. Deinde, pœnitentem adjuuat, vt viam ſibi ad juſtitiam paret; atqui quidquid juſtitiæ aut juſtificationis eſt exordium aut adiumentum, ſupra naturam eſt; ergo & hæc Attritio ſupra naturam eſt. Tertiò, Concilium planè ſupponit Attritionem illam excludere poſſe voluntatem peccandi, & quidem omnem. Atqui vt rectè Janſſenius fatetur, *Tale propoſitum omnes vires humanas ſuperat* (eius verba ſunt) *nec niſi à Spiritu Sancto per veram & propriam Chriſti gratiam operante inſpirari, aut haberi vllo pacto poteſt*, ergo ſupponit Concilium Attritionem dari poſſe, quæ ſupra omnem naturam ſit: Non loquitur autem, vti hic §. 5. oſtendimus de Attritione quæ ex Charitate imperfectâ oritur, *eiuſque fœtus ſit*, vt perperàm vult Neotericus, ſed de Attritione ſeu Contritione quæ ideò imperfecta ſit, *quoniam ex gehennæ metu concipitur*; igitur hanc planè ſtatuit eſſe ſupernaturalem, donum Dei, & impulſum Spiritûs Sancti. Ianſ. l. 5. de grat. Chriſt. c. 34.

Et ne quis de Tridentini mente ſuperſit dubitandi locus, illicò jam dictis ſubnectit: *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos ſcriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium, gratiam conferre; quod numquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit.* Et tamen ſat multi Theologi, præcipuæ etiam famæ, ante Concilium Tridentinum docuerant, Sacramentum Pœnitentiæ conferre effectum attrito; quos vide apud Suarem, & inter hos D. Thomam inuenies & Scotum. Miror ſanè calumniam illam olim à Tridentino conuulſam & proſcriptam, nunc rurſus, non ſine Sacroſanctæ Synodi deſpectu, renouari. 42. Trid. ſup. Suar. in 3. p. to. 4. diſ. 20. ſect. 1, n. 9.

Probatur ſecundò ex D. Auguſtino.

Tantæ tam Sacri Concilii auctoritati, eiuſque manifeſtæ ſententiæ nihil addendum exiſtimabam. Tamen vt menſuram omnem expleam, libet etiam ex Auguſtino oſtendere, ſupernaturalem eſſe poſſe actionem eam, quæ ex Timore gehennæ & quidem ſeruili depromitur. Ita habet vti n. 12. antè expoſui. *Ille timor Domini, nondum caſtus, præſentiam Domini & pœnas timet; timore facit quidquid boni facit.* Et ne detur vllus cauillandi locus, mox addit, *non timet ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam.* Sole clarius eſt non de filiali, ſed de ſeruili timore hîc loqui Auguſtinum. Atqui de hoc Timore dicit, quod ex eo peccator faciat, *quidquid boni facit*: ergo fatetur ex eo timore aliquid fieri poſſe boni, id eſt ad juſtificationem conducens. Atqui 43. D. Aug. in Pſ. 127.

qui id semper contendit Neotericus, nihil prorsus boni posse fieri viribus naturæ, sed totum ex Christi gratiâ debere desluere, quod boni nomen sortiatur & rem; huius autem gratiæ defectu, Philosophorum virtutes vitia esse: igitur cùm ex timore, boni aliquid eliquari posse fateatur Augustinus, etiam supernaturalem esse posse, & timorem ipsum & attritionem ex eâ emanantem, fateatur omnino necesse est.

44. Sed quid argumentis mentem Augustini inuestigamus? en Auctorem ipsum sententiam suam liquidè explanantem. *Cauere*, inquit, *debemus, ne nos arbitremur non accepisse Spiritum timoris Domini: quod sine dubio magnum est donum Dei.* Igitur timor ille non à naturâ est. Et quidem vt timorem, illum quem dono Dei peculiari accipimus, à mero naturali distinguat, Augustinus, statim subjungit, *Non quo timore Petrus Christum negauit* (scilicet naturali, quo timentur homines & ab iis inferenda mala) *sed illius timoris Spiritum accepimus, de quo ipse Dominus Christus, Eum timete qui habet potestatem, animam & corpus perdere in gehennam.* Hic certè timor seruilis est: & de hoc timore locum hunc interpretatur Augustinus. Et tamen eum ponit inter dona Spiritûs Sancti; quæ sanè dona, ad communis prouidentiæ ordinem, aut ad naturæ seriem nemo pro sano referet.

D Aug. l. de gratia & libero arbitrio c. 18.

45. Atque hinc quidem patêre jam arbitror, inuersam fuisse à Neoterico argumentandi & rectè colligendi rationem. Negat enim Attritionem ex Timore gehennæ conceptam, rectè justificationi consequendæ adhiberi, ex hoc capite quòd actus sit naturam non exsuperans, adeoque minimè supernaturalis. Et contrà, idcirco supernaturalem esse dicere debuerat, quia ad justificationem vtiliter & bene, ex sententia Tridentini, admouetur. Nisi fortè quis credat, æquius esse, sensum Uniuersalis Concilij, per vim ad mentem hominis priuati detorqueri, quàm vnius viri sententiam totius Ecclesiæ judicio dirigi & conformari.

Inuerso modo de Attritione philosophatur Neotericus.

46. Cessent igitur posthac cauillationes illæ, quibus vt orthodoxæ sententiæ creent inuidiam, aduersarij populo & sibi persuadere conantur, naturalem actionem esse quæ ad justificationem promerendam à nobis admouetur; quod sine dubitatione esset erroneum. Nam quamuis attritio aliqua dari possit, quæ ordinis naturalis sit; tamen vt jam ostensum est, datur etiam supernatura-

Conclusio. Datur Attritio supernaturalis.

lis, quam Tractatu sequenti describemus: & hanc solam dicimus ad justificationem conducere.

§. VII.

Attritio supernaturalis orta ex timore pœnæ &c. excludit Voluntatem peccandi de cætero. Falsò dicitur quòd sit coacta: libera est prorsus & Voluntaria.

Secunda obiectio Neoterici.

ALterum quod in Attritionem telum intorquebat Neotericus supra n.28.ex seriâ peccati commissi retractatione petebatur. Certum enim est & indubitatum, pœnitentem criminis, ita debere esse mente constitutum, vt voluntatem omnem committendi deinceps sceleris excludat cuius commissi jam pœnitet, prout Tractatu 12. n. 23. explicuimus. Atqui, inquit Neotericus, omnis attritio ex timore pœnæ ducens originem, inuoluntaria prorsus est & coacta; & sic peccato abstinet pœnitens, vt voluntarem illud rursus committendi, reipsâ retineat si tormenta æterna non deterrerent: igitur pœnitentiæ rectè exigendæ, dolor ex timore conceptus prorsus est inutilis. 47.

Datur timor aliquis malus, & qui voluntatem peccandi retineat.

Ingentem in aduersariorum scholis atque animis plausum concitauit hæc objectatio, præsertim plurimis D. Augustini suffulta locis, quibus eiusmodi pœnitentes grauissimè prosequitur Sanctus Doctor, & verò etiam jure meritissimo perstringit. Attamen & laruam argumentationi fucatæ facilè est admodum detrahere, & rem omnem quam tenebris conantur obducere, Sole clariùs explicare. Respondeo itaque verissimum id esse, fieri omnino posse, vt qui ob metum gehennæ sceleribus abstinet, voluntatem peccandi retineat nihilominus, eademque sit paratus reipsâ committere, si aut inferni ignes non essent, aut illo supplicio peccata non plecterentur. Atque in hisce fateor non esse prorsus voluntariam à peccatis abstinentiam, sed magnâ ex parte inuoluntariam, & coactam pereundi discrimine. Sic rectè dixeris, mercatorem, qui tempestatis euadendæ studio merces in altum proiicit; non tam voluntate id agere, quam mortis imminentis coactum periculo; neque si bona abiicit, animum idcirco deponere ea retinendi, si tempestas non vrgeret. 48.

Rursus

Rursus nec latro aut lupus, vt rectè Augustinus vrget, hic ab ouili, à domo cui expilandæ inhiabat, arceatur alter, accurrentium suaque propugnantium vi & impetu, idcirco prædandi desiderium deponit, quamuis pœnarum infligendarum metu, ingressum dissimulet & à vi inferendâ abstineat : abstinet enim, sed coactus. Rectè, inquam, dicuntur hæc omnia; certumque est, supplicio-rum metu deterritos, à peccatis absistere quamplurimos, qui tamen inuiti abstinent; obfirmatamque voluntatem peccandi præ se ferunt, si tanta supplicia aut non irrogarentur reis aut ea daretur euadere. Atque hi sunt, quos in locis omnibus allatis à Neoterico egregiè exagitat Augustinus, tamquam fucatè pœnitentes. Etenim re verâ non peccatum exhorrescunt eiusmodi homines, cuius perpetrandi flagrant desiderio, sed solam pœnam timent; neque tam desiderant benè agere, quàm sibi cauere ne sit malè. Sic autem pœnitentes, minimè absolui, nec per Confessionem reconciliationis gratiam impetrare, indubitata res est, & in confesso. Neque quidquam præterea ex Augustino exprimet tota Neoterici argumentatio.

Non omnis timor talis est.

49. Verùm quâ tandem ratione euincet, nullam aliam, præter hanc quæ falsa est & ementita, Attritionem dari posse aut quæ ex metu pœnarum exorta, verè & ex animo commissum crimen detestetur? hoc certè nusquam docet Augustinus; neque quæ afferuntur loca hoc vsquam insinuant. Et tamen istud erat euincendum; in hoc versabatur cardo controuersiæ.

D. Augustinus nusquam dicit è naturâ timoris esse, retinere voluntatem conditionatam faciendi id quod ex metu non facit.

50. At inquies, omni hoc timori ingenitum est, vt voluntas agendi in timente maneat, si pœna quæ metûs causa est, per actionem incurrenda tolleretur. Hinc dicit Neotericus, *verissimum esse quod dixit, in omnibus illis qui solo timore pœnæ peccatum cauere volunt, manere voluntatis repugnantiam quâ nollent facere si pœna tolleretur; & ex illâ ipsâ conjunctâ voluntate, omnes coram Deo peccati esse reos* ita ille. Nihil certè amplius dixit Lutherus vti vidimus supra n. 6. & 7. ob hoc tamen dogma à Tridentino hæresis condemnatus. An non ergo & cum Luthero, Neotericus hic eodem fulmine perstringitur? verùm hoc nunc non ago. Hoc tamen peto; cum eam esse *timoris naturam*, dicat apertissimis D. Augustini testimoniis comprobari, vbinam Sanctus Doctor asserat, omni omnino timori id esse congenitum, quod asserit Neotericus? Aliquem talem dari fateor, & plurimos ex eo pœnitendi

Iansſ. to. 3. lib. 5. c. 29.

nitendi materiam petere, quos *procul dubio inuitos* pœnitentes vocat Augustinus, & rectè: malunt enim peccare, & tantum coacti nolunt, *& in ipsâ voluntate intus rei sunt*: Fateor, inquam isthæc omnia. Sed D. Augustinum asserere, omnis timentis eam esse naturam, vt reipsâ velit agere quod metus prohibet, si metuendi causa tolleretur; hoc quidem prorsus nego aut assertum ab Augustino, aut ratione bonâ asseri potuisse.

Contrariũ experientiâ multiplici demonstatur in rebus naturalibus

Quid enim? an mihi quispiam persuaserit, ea omnia velle me, à quibus metu alicuius incommodi, aut mali naturalis nunc abstineo, datâ conditione quòd malum aut incommodum à re agendâ tolleretur? si placet mentem aduertite & videte, quàm hoc omni timori connaturale non sit aut ingenitum. E turri non desilio, mortis ex tam immani saltu certissimè incurrendæ metu perterritus. An idcirco reipsâ voluntatem conditionatam habeo desiliendi, si mors lapsui connexa non esset? Domum peste infectam non subintro morbi contrahendi metu: an ideo voluntatem habeo subeundi domum illam, si pestis infamiâ non laboraret? Vestes à pice amoueo, eas ne inficiam: an quia id metuo, voluntatem habeo conditionatam, quâ statuo eas pici immergere, si liquidior esset neque tam sordida & tam viscosa materia? Ab igne manus abstineo vstulationis timore: an quia illo metu perterritus, flammæ manus non committo, illico eâ mente sum, vt si ambustionis abesset periculum, flammis eas sim immissurus, complexurusque ignem lepidè, aut suauiter desuauiaturus elementum tam amœnum? Quis isthæc pro sano dicta dixerit? Euidens itaque est, dari timorem aliquem, quò præstricta mens ab aliquâ actione desistit, nec tamen ità sit constituta, in actionem eam proruptura vt sit, si timoris causa detergatur. Non igitur ex ipsâ timoris naturâ id colligi dicat Neotericus, quod cuidam timori ineat, & non omni: neque à particulari timentis genio ad timoris naturam vniuersim condemnandam progrediendum est. Non satis apta persuasioni est ista collectio; neque à particulari specie, ad genus vniuersum, legitima est argumentatio.

51.

Neotericus argumentatur à particulari timore, ad vniuersalem timoris naturam.

Ac sic dico, quamuis sit qui timore pœnæ peccatis sic abstinet, vt ea perpetrare desideret voluntate conditionatâ, si pœnæ daretur indemnitas; tamen id non tam ex ipsâ timoris naturâ prouenire, quàm ex timentis vitio. Certum est enim infinitos esse homines, qui gehennæ metu perculsi peccata detestantur, absolutâ

52.

asseruntur infiniti peccatores, qui

lutâ omnino voluntate id agere ; neque ipsis conditionem vllam (v. g. si infernus non esset, si peccata non punirentur) ne in mentem quidem venire. Quo pacto autem conditionatam voluntatem peccandi efformabunt, si illis conditio nulla aut à mente obiicitur, aut ab alio proponitur? hoc certè est impossibile. Atqui qui sic crimina detestantur, sunt numero infiniti. Oderunt, inquam, absolutè scelus, quod vident esse eiusmodi vt æternis ignibus meritò castigetur; prout sequenti Tractatu, cùm de modo Attritionem ex timore pœnæ efformandi agetur, explicabimus: de conditionatâ autem peccandi voluntate, ne quidem ipsis incidit cogitatio. Absit igitur vt reipsâ eiusmodi voluntas sit efformata, & timori pœnæ semper vt sit conjuncta, quod tamen volebat Neotericus.

de conditione, si infernus non esset, ne quidem cogitant. Atteruntur igitur absolutè.

Probatur ex Tridentino.

53. Verùm quid multis opus est? Euidentissima ea est Concilij Tridentini mens, detestationem eiusmodi absolutam scelerum, concipi & dari posse. Ita certè loquitur: *Illam contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ aut pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat..... verum donum Dei esse & Spiritûs Sancti impulsum.* Quid potest dici manifestius? certè cùm Attritionem ex timore conceptam, verum Dei donum esse doceat, *si voluntatem peccandi excludat*, indubitatim statuit attritionem illam, voluntatem peccandi excludere posse; alioquin elanguida prorsus esset, imò & deridicula definitio rei, quæ naturâ suâ sit impossibilis. Quomodo autem timor ille voluntatem peccandi potest excludere, si semper, & quidem ex timoris naturâ, peccandi voluntas conditionata attritioni sit implexa? Rursus, quo pacto *Spiritûs Sancti* impulsus est, id quod sine peccato non exercetur? An eò tandem miseriarum fortè cum Caluino deuenimus, vt ad peccandum à Spiritu Sancto impellamur? & talis impulsus dicitur donum Dei? Quis hæc audiat & non exhorrescat? & tamen ex aduersariorum sententiâ, vtrumque, vti patet, sequitur liquidissimè.

Trid. sess. 14. c. 4.

Falsum est quod Attritio sit actus conflus.

54. Denique coactam & inuoluntariam esse scelerum abstinentiam quæ ex gehennæ metu ducit exordium, non est quòd multis oppugnem. Satis enim constat, timorem dari, qui adeò non tollat voluntarium, vt eum potiùs augeat. Item à veritate prorsus alienum est, inuitum me facere quidquid ex metu ago.

Et vt id in actionibus positiuè, vt dicunt, faciendis verum esset, non tamen in omni abstinentiâ actionum id locum habet, à quibus exercendis metu mali abstineo. Nam vt exemplis n. 51. allatis vtar; à saltu è turri in subjectam planitiem faciendo, quamuis metu mortis abstineo, non tamen inuitus aut voluntate reluctante. Nec si pestis metu, domum infectam deuito, deuito inuitus. Nec pice si abstineo aut flammis, idcirco vllam sentio animi repugnantiam, aut lubentiam. Non igitur timori omni id est congenitum, vt vim inferat voluntati, eamque vt ab actione, reluctantem & inuitam remoueat. Sanè voluntate prorsus liberâ, Timorem gehennæ partes suas agere Tractatu sequenti demonstrabimus. Sufficit modò ostendisse me, non omnem pœnitentiam & abstinentiam à peccato quæ ex timore concipitur, coactam esse, & ab inuito animo concipi. Neque etiam tot verbis opus erat, vbi ea est clarissima Lutherum condemnantis Concilij Tridentini definitio. Ita habet. *Sed & falsò docent* (nempe hæretici) *contritionem esse extortam & coactam; non liberam & voluntariam.* Quid clarius? & rursus. *Si quis dixerit eam Contritionem* (scilicet imperfectam) *esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema sit.* Quid dici potest vehementius? Canonem integrum superius retuli n. 17. neque tam sacrosancto oraculo fas sit mihi quidquam superaddere.

Probatur ratione.

Definitum id est à Tridentino.

Sup. c. 4. in fine & can. 5.

§. VIII.

Attritio supernaturalis ex timore pœnæ &c. concepta, sufficit ad obseruandam totam legem: eamque qui ex tali timore obseruat, obseruare ex amore iustitiæ demonstratur. Ostenditur quòd malè ab aduersarius explicetur Amor Iustitiæ.

VLtimum quod Attritioni, quâ minùs apta sit peccati medicina, obuoluebatur vitium & conuitium, est, quod nullius fiat peccati remissio, nisi detestanti omnia, & quidem cum firmo animi decreto obseruandi totam Dei legem: & tum à commisso scelere, tum ab omnibus omnino deinceps abstinendi. Talis autem voluntas ex timore non potest elici, cùm istud Charitati 55.

Tertia obiectio Neoterici.

Iansl. ibid. c. 31. tati soli sit proprium, inquit Neotericus. Hæc eius verba. c. 31. *Impossibile est eum qui peccandi voluntate detinetur, solo pœnæ timore mutare voluntatem, sed hoc proprium est charitati, quâ animus à peccati, tanquam iniustitiæ dilectione, ad justitiæ dilectionem transferatur.* De voluntate autem obseruandi totam legem, ita ibid. c. 33. statuit c. 33. *Hoc enim est vnum ex difficillimis quod Charitas præstare potest; sed sine Dei seu justitiæ dilectione possideri impossibile est.* Sententiam hanc cùm pronuntiasset Neotericus, nec tamen prorbasset, quasi de re admodum præclarâ sibi applauderet, statim subiicit *Mirabile & nouum esse paradoxum*, quod tamen ex D. Augustino se dicit eruere. Nouum esse & paradoxum, fateor. Sed quia nouum est dogma, suspectum debebat esse auctori, veteris Ecclesiæ amanti; apud quam non de optimâ notâ commendabiles sunt nouatores & paradoxi. At dogma istud, etiam ipsimet auctori nouum eruit ex vetere Augustino. Itane vero? & rem Ecclesiasticæ institutioni & doctrinæ adeo necessariam, in Augustino non vidit vetus Ecclesia, vidit autem hesternus homo? Hoc certè mihi accidit *præ nouo paradoxo* admodum *mirabile*: fallor, nisi & hoc quoque inter hodierna paradoxa libeat annumerare. Loca autem D. Augustini, ex quibus hæc nouitas paradoxa creditur erui, ea sunt imprimis quibus docet S. Doctor, non caueri peccata si id fiat *timore pœnæ & non amore justitiæ*; item *Amicus erit justitiæ si eius amore non peccet*, rursus, *Non bonus est quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ.* Ad hanc sententiam; collimant omnia quæ ex Augustino afferuntur: quæ antequam exponam & ostendam perperàm omnino à Neoterico intelligi,

Sententiam suam vocat Mirabilu paradoxi nouitatem. Sed nouitas semper in Ecclesia est suspecta.

56. Libet quærere; quod si verum sit, per pœnæ timorem, nec voluntatem peccandi à peccatore mutari posse, nec legem obseruari, nec quidquam boni agi; quo sensu aut quam verè dixe- D. Aug. in ps. 49. rit D. Augustinus, *Timeamus, mutemur, & non timebimus.* Certè de filiali timore intelligi hæc non possunt. Timor enim ille numquam perit, nec potest perire, quinimò per charitatem perficitur. Atqui mutatione vitæ factâ, dicit Augustinus, *Et non timebimus*; igitur de timore seruili seu ex metu concepto hîc agit. Atqui eo timore adhortatur nos *vt mutemur*: statuit ergo timore illo induci posse *mutationem* peccatoris; aut certè futilis & vana est Augustini adhortatio. Rursus, quo pacto sibi con-

D. Augustinus docet per timorem peccatorem conuerti posse.

& legem totam obseruari.

stat Augustinus, dum disertè ita loquitur: *Per timorem pœnæ bona vita retinetur: per bonam vitam conscientia comparatur, vt per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere qui non vult timere..... discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus.* An hîc non agitur de legis vniuersæ obseruatione? D. Chrysostomum afferre vix audeo, ne aduersaria pars, Pelagianismi notam sanctissimo & grauissimo Patri, per summam impudentiam, rursus inurat. Dicam tamen id quod habet hom. 15. ad Populum; quam extra omnem controuersiam est, esse Chrysostomi. Hæc eius verba. *Nihil enim tantùm peccata quidem consumit, virtutem verò crescere facit & germinare, quantùm continui timoris natura. Propterea qui non viuit in timore, rectè illum facere non est facile; sicut vicissim cum timore viuentem impossibile est peccare.* Quid ad hæc dicent aduersarij? Sanè nimis antiquum & veterem esse Chrysostomum, quàm vt mirabile, & nouum paradoxum, nuper in nouo Augustino inuentum, satis commodè & aptè intelligat.

D. Aug. ser. 214. de tem.

idem probatur ex D. Chrysostomo.

D. Chrys. com 15. ad pop.

Probatur ex Scriptura.

Ita sit. Sed quid ad Sacræ paginæ testimonia respondebitur? Infinita sanè sunt loca quæ timorem hunc commendant; imò quæ ad rectè viuendum statuunt esse necessarium. Paucula quædam retuli superiùs. num. 8. Istud autem dissimulandum non est quod Job de se testatur *Verebar opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Igitur supplicij metu in officio continebatur. Festiuum verò est quod illico subjungit. Etenim quasi si hodiernis nouatoribus os vellet obstruere, asserentibus nimirum peccati reos esse, qui ex timore pœnæ peccatis abstinent, aut vitam rectè instituunt, statim subiicit: *Si autem & sic impius sum* (scilicet verendo opera mea, eò quòd sciam Deum non parcere delinquenti) *quare frustra laboraui?* & tamen non frustra laborasse censendus est, qui istud à Deo pro rebus benè gestis, vitâque rectè institutâ, encomium retulerit, *Numquid considerasti seruum meum Job, quòd non sit ei similis in terrâ? homo simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo.* Recessit à malo Job, non igitur frustra laborauit; multò minùs aut impius fuit, aut peccati factus est reus, dum verebatur malè agere, ex hoc capite quod Deus non parceret delinquenti. Nulla hîc profecto charitatis est mentio; sed quòd exactè & ex Dei mente Job perfectè vixerit, solius Timoris est commendatio. Verùm

57.

Iob. 9. v. 28.

ibid v. 29.

Iob. 1. v. 8.

rùm quid his inhæreo, qui Sancti Concilii euidentissimam hac de re sententiam habeo, quam superiùs n. 53. attuli? Certè non satis sobriè, vti tum dicebamus, declararet, *Attritionem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, donum esse Dei & Spiritûs Sancti impulsum*, si per eam peccatum, & quidem omne (quod ad spem veniæ est necessarium) excludi, censeret esse, vt vult Neotericus, impossibile, soluíque id charitatis opus esse, & *quidem vnum ex difficillimis*.

Et Tridentino.

58. Complanata, vti credo, forent omnia, si modò D. Augustini auctoritatibus, ex quibus nouum dogma sese eruisse gloriatur Neotericus, fuerit satisfactum. Et hoc quidem erit jam perfacile. Etenim quid dicit Augustinus? *Amore justitiæ extingui peccatum, & non timore pœnæ. Amicum esse justitiæ, qui eius amore non peccat: non esse bonum quempiam timore pœnæ, sed amore justitiæ*: & multa his similia. Fateor hæc esse verissima: at quid exinde conficit Neotericus? Sanè pœnitentiam peccatoris non esse legitimam, nisi ex Charitate, tamquam radice enascatur. Hoc ei semper in ore est, ita velle Augustinum. Ego tamen id in nullo, quem ex Augustino affert, loco inuenio. Dic enim, amabo, vbinam asserit Augustinus, Amorem justitiæ, esse Charitatem illam celebrem quâ Deus diligitur super omnia amore beneuolo, quamque tertiam nuncupamus virtutem Theologicam seu Diuinam? hoc autem si non asserat Augustinus, vt quid eius auctoritas obuoluitur, quæ ad controuersiam nostram nil quidquam facit? in eo enim stat omnis nostra disceptatio, an ad detestanda peccata, amor Dei super omnia dilecti, seu Charitas Theologica ita sit necessaria, vt sine eâ non detur vera pœnitentia. Negat id Neotericus, eò quòd Augustinus statuat peccata euitanda *Amore justitiæ*. Vult id Augustinus, fateor, & benè vult; sed à Neoterico non benè intelligitur. Quis enim dicit Amorem justitiæ, esse Charitatem Theologicam, seu amorem Dei super omnia dilecti beneuolum? hoc sanè gratis fingitur. Constat enim *Amorem*, non pro formali amoris actu, sed pro mero desiderio Latinè admodùm, non à Cicerone tantùm profanisque scriptoribus, sed & à SS. Patribus, atque adeò D. Augustino aptè proferri: sic & amor pugnandi, amor habendi, amor edendi, amor auri, rectissimè dicitur: & tamen an quisquam dicet, hæc amari amore formali, seu *veri nominis & essentiæ*, qui ex mente D. Thomæ, & Theologorum, imò & Philosophorum omnium, non

Amor justitiæ qui ab Augustino requiritur, est desiderium seu voluntas justitiæ.

Probatur ex vulgata modo loquendi.

nisi ad id quod ratione sit præditum, sese extendit, in iisque terminatur? Desideratur sane aurum, non amatur; & tamen eius desiderium, quamuis æquiuocè, non ineptè tamen, amor dicitur; sed metaphoricus & translatitius.

Error Neoterici.

Atque eccum jam manifestum, in D. Augustino intelligendo Neoterici errorem, quem hallucinationem ipse in nostris Theologis nominaret. Omnia cùm ad antonomasticè dictam Charitatem ei propositum esset trahere, vbicumque Amoris nomen vidit expressum, de Amore Dei super omnia dilecti, voluit esse sermonem. Verùm, ita nos diuinus Amor conjungat & Deus amet; quid quæso *Amor justitiæ* significat aut significare potest, si verba spectes, quàm solum Justitiæ exercendæ desiderium aut voluntatem? Quis, inquam, cùm hæc verba proferri audit, *Amor justitiæ*, de Amore qui tertia virtus Theologica sit, fieri sermonem intelliget? Quod si tamen eum hîc exprimi præfractè vis, dicamus sanè, *Amor*, id est actus amoris Dei super omnia dilecti. Sed quid tum agam cum genitiuo *Justitiæ*? aut quem sensum habebo, si genitiuum Justitiæ, nominatiuo Amoris Dei super omnia dilecti conjunxero? Nullum omnino. At si per Amorem Justitiæ, nudum desiderium intellexero, clara est constructio, clarissima est D. Augustini sententia. 59.

Non potest nominatiuus Amor, cum genitiuo justitiæ construi, si Amor hîc sit amor Dei super omnia dilecti.

Error Neoterici in hoc est positus, quod putet desiderium justitiæ non posse ex aliâ virtute quam Charitatis diuinæ profluere.

Quòd si dicas Amorem Justitiæ, seu desiderium Justitiæ, ipsissimum esse actum Charitatis quò Deus super omnia diligitur; aut si non sit formalis actus Charitatis, tamen ex eo necessarium esse vt profluat; respondebo vtrumque non ex vero dici, & assumi tamquam certum, id quod est in controuersiâ; nullâ verò id aut ratione aut auctoritate euinci. Jam enim demonstratum est paragraphis præcedentibus Desiderium justitiæ, Amorem voca, sine Charitate Dei super omnia dilecti posse obtineri: & quamuis ex Amore Dei super omnia dilecti profluat Justitiæ amor, seu desiderium tribuendi cuique quod suum est, præsertim Deo; quòd aliud nihil significat quàm voluntatem, legem totam obseruandi: tamen eadem similisue voluntas, etiam ex consideratione fœditatis peccati, vti loquitur Tridentinum, & supplicii justè inferendi grauitate potest profluere. Et verò etiam profluit, dum ex pœnarum infligendarum acerbitate & diuturnitate perculsus peccator, grauitatem criminum, justamque Dei displicentiam intelligens, ea seriò totisque animi viribus auersatur. Mox hæc fusiùs 60.

expone-

exponemus. Istud mihi jam sufficit ostendisse, neutiquam ex verbis Augustini, dum de Amore Justitiæ loquitur, posse colligi vel per vmbram, eum de Amore Dei super omnia dilecti, aut de desiderio ex eiusmodi amore profluente sermonem facere, sed de mero Desiderio seu amore complendæ justitiæ agere, vndecumque demum is profluat, seu ex amore Dei bencuolo, seu ex timore supplicii justè ab offenso Numine infligendi. Vndecumque enim oriatur tam sancta resipiscendi voluntas, tamen rectè dicitur, atque reipsâ est, desiderium seu *Amor Justitiæ*.

Id ex D. Augustini allatis sententiis minimè conficitur.

§. IX.

Explicantur loca D. *Augustini, quæ in speciem videntur contraria.*

61. ISTud autem priùs sedulò attendendum est, vt testimonia quæ ex D. Augustino afferuntur, & primâ fronte videntur difficilia, rectè percipiantur; non esse ex mente sanctæ Synodi, timorem solum aut solitarium, ad pœnitentiam, aut resipiscendi voluntatem sufficere, sic vt finis vltimus pœnitentiæ, sit sola pœnarum euasio; quod tamen omni attritioni ingenitum volunt aduersarii, licèt falsò & perperàm, vti vidimus §. 8. sed necessarium esse, vt ex illo timore justè inflicto, peccator verum odium sceleris cõcipiat, quô non tam pœnas quàm pœnarum occasionem, scelus inquam, detestetur: & sic justitiã, id est obseruationem legis tam justè latæ, & tam atrociter vindicandæ amet, desideret, & totis viribus adimplere concupiscat, tamquam æquam, & à Deo etiam per intentata supplicia si secùs faxit expiandam. Conjungenda itaque sunt semper hæc duo, Timor pœnæ, & ex eo enascens odium non tam pœnæ quàm peccati: item Timor pœnæ, & amor seu desiderium justitiæ, & tunc habebitur legitima de Attritione ex timore pœnæ conceptâ sententia: & testimonia D. Augustini, quæ Timori videntur opposita, intelligentur & verè & commodè. Omnia his inserere quæ affert Neotericus, prolixæ & minimè necessariæ foret operæ. Quædam afferemus, & quidem ea quæ quia plus creduntur habere ponderis, maioribus etiam ab auctore characteribus c. 30. exprimuntur. Sed fidem tuam appello hîc Lector

Solus timor pœnæ non facit veram Attritionẽ, iungendus ei est Amor seu desiderium iustitiæ.

Lector partium ſtudio non præoccupate. Attende obſecro, quàm hæc ipſa, quibus ſanam doctrinam impeti credunt teſtimonia, eam magis explicent, ſolidiusque confirment.

Ex hoc, loca ex D. Auguſtino allata facilè & in verò ſenſu explicãtur.

Vnus quem ex Auguſtino affert locus eſt ex Conc. 11. in Pſal. 118. *Qui timore pœnæ, non amore juſtitiæ opus legis facit, profectò inuitus facit. Quod autem inuitus facit, ſi poſſet fieri mallet vtique non juberi. Ac per hoc, legis quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potiùs inimicus: nec mundatur opere, qui immundus eſt cogitatione & voluntate.* Miror ſanè has, & eiuſmodi ſententias ab aduerſariis afferri, quibus orthodoxa ſententia, ipſis tamen contraria, ſtabilitur. Nam ſicut ex D. Auguſtini mente certum eſt, eum qui timore pœnæ tantummodò, excluſo amore juſtitiæ opus legis facit, profectò inuitum facere; ita ex aduerſo eius mens eſt, eum qui ex timore pœnæ, amorem ſeu deſiderium ſincerum legis obſeruandæ concipit, & ex hoc deſiderio opus legis facit, profectò *non inuitum facere*: & propterea *non malle vtique non juberi, quod* facturus eſt non inuitè. *Ac per hoc legis quam vult eſſe, inimicum non eſſe ſed amicum*: & denique *mundari opere qui mundus eſt cogitatione & voluntate.* Hanc Auguſtini mentem eſſe, nemo ne aduerſarius quidem poteſt inficiari. At inquies, ex timore pœnæ non poteſt elici amor Juſtitiæ. Hoc, inquam, nunc non agimus; egimus id modò, elici poſſe dum demonſtrauimus. Iſtud nunc vrgeo, contrarium hîc ab Auguſtino non doceri; & ſi elici deſiderium hujuſmodi ex timore poſſit, ſententiam orthodoxam explanari hîc ab Auguſtino aſſero, non oppugnari. 62. D. Aug. in Pſal. 118. Conc. 11.

Explicatior eſt adhuc pro nobis locus, quem adfert Neotericus ex Epiſt. 144. loquitur D. Auguſtinus rurſus de homine, qui tantùm vt pœnas euadat à peccatis abſtinet; nullo autem modo ex amore juſtitiæ, ſeu deſiderio rectè agendi. Illum autem meritò perſtringit. *Nam quantùm in ipſo eſt*, inquit, *mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem & punientem. Et vtique ſi mallet non eſſe juſtitiam, quis dubitauerit quod eam ſi poſſet aufferret? Ac per hoc, quomode juſtus eſt juſtitiæ talis inimicus, vt eam, ſi poteſtas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat?* Eleganter hæc & veriſſimè Auguſtinus, vti & ea quæ ſubnectit, capitalibusque litteris, neſcio quorſum, exprimit Neotericus: *Inimicus ergo juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, ſi ejus* (ſcilicet juſtitiæ) *amore non peccat. Tunc enim verè timebit* 63. D. Aug. epiſt. 144.

bit peccare; nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit. Quis hîc non videt Augustinum agere de peccatore, qui pœnas tantùm timet, nec ex timore, ad justitiæ amorem seu desiderium mente enititur? Atqui de tali pœnitente nos non agimus, neque vmquam egit Ecclesia. Cur ergo hic locus opponitur? Ideò sanè, quia hoc sibi mente designarunt penitus aduersarii, timentem gehennam non posse amare seu desiderare justitiam. Atqui hoc erat demonstrandum ex Augustino. Neque enim hic negat, tale desiderium ex timore posse existere. Vt quid ergo & se, & Lectorem futilibus auctoritatibus defatigant? An vt incautum irretiant, malè & benè timentium dissimulant differentiam?

Bonum aduersarij tamquam certum id quod ex Augustino erat probãdum.

64. Difficilior, saltem in speciem, est locus, qui ex libro de Spiritu & Litterâ producitur. Apparens difficultas, ex æquiuocatione *Charitatis* oritur; quâ expositâ, rursus exsurget noua orthodoxæ sententiæ confirmatio. Ita habet. *Mandatum si fit timore pœnæ non amore justitiæ, seruiliter fit non liberaliter; & ideo non fit: non enim fructus est bonus qui de Charitatis radice non surgit.* Mirabar hunc locum à Neoterico non magis vrgeri, præsertim id quod de radice charitatis disertè videtur pronuntiare, sine eâ scilicet *nullum fructum bonum surgere*, id est, nullum bonum opus exerceri. Verùm crediderim dissimulanter id factum, vt sensum Augustini non explicet, sententiæ suæ nihil quidquam suffragantem; verba quæ sibi fauere in speciem videbantur, protulisse contentus. Vt igitur Augustini mens rectè exponatur, sciendum est, toto illo capite Augustinum agere de lege vt D.Paulus loquitur occidente per litteram, quam opponit legi viuificanti per gratiam. Illam docet occidere, seu ruinæ caussam esse, quia præcipit & non adjuuat vt mandata executioni mandentur; quod nunc agit lex gratiæ: non enim tantummodò præcipit quod faciendum est, sed & gratiam subministrat vt fiat benè; id est, amore seu voluntate exercendæ justitiæ, & agendi quæ recta sunt, quod ingenui est & liberalis animi. Hisce fusè expositis, tum demum relatam subjicit sententiam, quâ vtriusque legis differentiam exponit, *Mandatum si fit timore pœnæ non amore justitiæ*, id est, si amorem aut desiderium justitiæ excludat, vti fiebat in lege occidente, *seruiliter fit non liberaliter, & ideò non fit*, scilicet benè, seu sic, vt laude

D.Aug.l. de Spirit. & litt. c. 14.

Quid sit facere seruiliter, quid liberaliter.

præmioúe digna sit eiusmodi legis obseruatio. Seruiliter enim fit, id est coactè, & voluntate per violentiam extortâ; vti passim à mancipiis obsequia dominis præstanda extorquentur. Liberalis enim (id est, quæ liberalem seu ingenuam facit esse legis obseruantiam) ea est quæ liberâ prorsus voluntate exhibetur. Quæ quidem omnia sunt verissima. Sed in hoc & vehementer, & semper fallitur Neotericus, quòd sibi fingat timorem dari non posse, è quo desiderium seu amor justitiæ enascatur; quod sanè nec hîc, nec vsquam docuit Augustinus. Quamuis enim dicat *seruiliter* fieri & non *liberaliter* seu ingenuè, id quod *fit timore pœnæ non amore justitiæ*, non dicit tamen seruiliter fieri, id quod fit desiderio seu amore justitiæ, qui ex timore enascitur; quinimò contrarium

Ex timore seruili potest oriri obsequium liberale.

satis insinuat. Error ergo Neoterici in hoc est totus, quod non existimet fieri posse vt ex timore seruili, liberalis sequatur legis obseruatio, statuatque quasi indubitatum, quidquid ex timore seruili fit, fieri semper seruiliter, id est, inuitè & coactè. Quod tamen à Tridentino in Lutheri erroribus est condemnatum. Distinctionem hanc quæ summi momenti est Tractatu sequenti fusiùs exponemus; Neoterico respondisse nunc sufficiat.

Quod verò subjicit Augustinus: *Non enim fructus est bonus qui de charitatis radicè non surgit*, non est quod quemquam vrgeat, quasi si mens Sancti Doctoris sit, nihil boni nomen mereri, quod non ex Charitate Dei super omnia dilecti fit. Nomine enim charitatis non semper excellentem illam, & quæ antonomasticè Charitas Theologica, seu Amor Dei super omnia dilecti dicitur, exprimit Augustinus; sæpissimè enim beneuolentiam, id est, vt clarè, licet minùs Latinè, rem explicem, *boni volentiam*, seu voluntatem rectè agendi quia rectum est quod agitur, Charitatis nomine comprehendit. Sic sæpenumerò, charitatem dicit esse bonam animi affectionem agendi benè. Libro 8. de Trinitat. cap. 10. *Quid est dilectio vel charitas, quam tantoperè Scriptura laudat & prædicat, quàm amor boni?* id est desiderium. Rursus l. 2. contra duas Epist. Pelagian. c. 9. *Quid boni cupiditas, nisi charitas.* Et l. de gratia Christi c. 2. *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas*, è quibus plurimisque quæ afferri possunt locis, manifestum est, per *Charitatis* vocabulum non semper virtutem illam Theologicam, quæ celebri titulo Charitas dicitur, intelli-

65.

Charitatis nomine sæpè bonam voluntatis affectionem, seu boni volentiam comprehendit Augustinus.

D. Aug. l. 8. de Trin. c. 10. item l. 2. contra duas epist. Pelagian. c. 9. item l. de grat. Christi c. 2.

intelligere Augustinum; sed vulgari vsitatoque loquendi modo, voluntatem sponte suâ & propensione animi ad virtutem exercendam inflexam, charitatem, seu boni amorem nuncupare. Et hoc modò charitatem hic ab Augustino accipi est manifestum. Opponit enim fructum seu actionem è charitatis radicè profluentem, ei quæ seruiliter fit, hoc est violentè & coactè. Nihil autem bonum esse definit aut laude dignum, nisi quod ex charitate, id est ex liberali & voluntariâ propensione animi seu boni-volentiâ præstatur. Displicet enim Deo obsequium quod fit seruiliter; id est inuitè; qui non tam obsequium à creaturâ postulat, quam in obsequio ingenuam voluntatem.

66. Sed satis sit. Credo enim Attritionis actum sanctissimum, ab aduersariorum morsibus & arrosionibus, pro instituto meo, abunde vindicatum. Malum & peruersum actum esse docuit Lutherus: & à Concilio Tridentino anathematis fulmine est percussus. Bonum esse verbotenus fatentur aduersarii: sed quo pacto bonus sit, & nihilominùs, *omnes coram Deo peccati reos faciat*: Rursus, *ex eo non posse ita fugi peccatum, vt nullum aliunde peccatum incurratur*: Hæc, inquam, quâ ratione cum Attritionis bonitate componantur, non satis intelligo. Statuat Lector dicendum quid sit. Neque verò sibi à Sancto Augustino patrocinii quidquam petant, quem ipsis minimè fauere jam ostensum est: Et vt sententiam orthodoxæ contrariam habuisset aliquando vir Sanctissimus, certè post Concilium Tridentinum, non ausus fuisset Pontificum & Ecclesiæ decretis refragari; *contra cuius auctoritatem*, verba sunt D.Thomæ, *nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sanctorum Patrum suam sententiam defendit*. Hæc cum dixi, dixi omnia. Videant autem quàm benè Sanctum Patrem hâc in parte imitentur, qui eius, & putidè & falsò sese jactitant discipulos & sectatores.

D.T. 1.2. q.11. a.2. ad 3.

D. Augustinus nec vllus SS. PP. suam sententiam contra Pontificum & Ecclesiæ auctoritatè vnquam defendit.

TRACTATVS XIV.

DE CONTRITIONIS IMPERFECTÆ, SEV ATTRITIONIS CVM SACRAMENTO EFFICACIA.

Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. *Psal.* 118. *v.* 120.

Ostenditur quâ ratione, ex timore seruili elicienda sit Attritio, quæ seruilis minimè sit, sed liberalis omninò & ingenua. Deinde quòd Attritio cum Sacramento sufficiat ad abolenda peccata. Tertiò quod hæc sententia omninò certa sit; & tam secura, vt in mortis articulo, vltimæ Confessioni possit adhiberi, eique licitum sit planè acquiescere. Tandem quomodò populo commendanda sit Contritio, *sine* Attritionis *præjudicio.*

PROOEMIVM.

EXpositâ vtcumque Attritionis naturâ & substantiâ, eâque à calumnijs quibus aspergebatur vindicatâ, ad reliqua, quæ materiam hanc concernunt, exponenda accingamur. Effecta ea sunt, & imprimis peccatorum omnium condonatio. Hanc ei sine Sacramento Pœnitentiæ non competere, planè certum est. Aliqui, ne cum Sacramento quidem, ei vires has concedunt. Et rursus, quamuis eas Sacramento junctæ attribuant alij, tamen quòd incerta sit hæc sententia, eam nefas esse judicant, vltimæ saltem Confessioni in mortis articulo instituendæ adhi-

adhibere. Sic varii variè Attritionem ipsam arrodunt primò; & cum hoc rationibus conuicti, meritò non possunt; tum tandem Attritionis praxim exagitant, eamque conantur reddere pœnitentibus suspectam: artificio sanè subdolo, & Sacramento à Christo instituto, medicinæque tam pretioso sanguine peccatoribus præparatæ, satis injurio. Discutientur itaque omnia aduersariorum argumenta, quibus Attritionis praxim impetunt; illudque præcipuè demonstrabitur, inanes esse cauillationes, artesque meras, quibus rudiores, maioris sanctitatis & securitatis prætextu implicantur, & ab Attritione in rem deducendâ deterrentur. Primò tamen, ne quidquam desit materiæ, exponendum est, quâ ratione excitanda sit Attritio; ne ex timore seruili, è quo ducit exordium, ei quidquam seruile adhæreat; sed vt prorsus liberalis sit & ingenua. Nam quòd aduersarii fortasse fieri hoc non posse sibi persuadeant; hinc errorum omnium, quos deinde pertexunt, data est occasio.

§. I.

Quâ ratione ex peccati comprehensâ turpitudine, & ex gehennæ aut pœnarum seruili timore, elicienda sit Attritio, quæ tamen seruilis non sit, sed liberalis & ingenua.

1. COntritionis & Attritionis quamuis sit scelerum pœnitere, eaque & facta odisse, & facienda ex animo detestari; ingens tamen inter vtramque est differentia, & quidem duplex. *Prima* quidem sese offert, si motiuum aut rationem ex quâ singulæ exsurgunt, attendas; secunda, si effecta vtriusque consideres. Etenim ratio detestandi scelera, quam Contritio adhibet, est merus amor Dei super omnia diligendi & dilecti, qui etiam celebri Charitatis, tertiæ, sed præcipuæ inter Theologicas virtutes, titulo insignitur. Amor beneuolentiæ hic est, quò dum Conditorem suum creatura complectitur, ei bona vult omnia; ac propterea in se reflectens mentis oculos, criminumque, quibus tam bonum Numen offendit indignitatem considerans, pœnitet jam sui; scelera detestatur, quæ Amori tam sancto, fœdissimè interceßere, tenerrimamque amicitiam per summam impudentiam infregere. Attritionis verò

Contritio & Attritio primò differunt in motiuis.

Contritio ex Amore beneuolentiæ enascitur.

verò excitamenta & veluti iucunabula, longè minoris notæ motiua sunt, quàm Amoris beneuoli; omnis enim peccati per Attritionem detestatio, oritur vt Tridentinum affirmat, *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu*: ad gehennæ autem metum refertur amissio juris ad gloriam: & sic Attritio præcipuè ex Spe enascitur, id est, amore Concupiscentiæ, qui Amore Beneuolentiæ, nobilitate multùm est inferior: Hic enim Deo omnia; ille verò Deum sibi concupiscit & desiderat.

Attritio ex amore concupiscentia.

Trid. sess. 14. c. 4.

Secundò differunt penes effecta.

Altera Contritionis & Attritionis differentia, ex effectis petitur. Contritio enim per se solam, peccatorum omnium veniam consequitur: etenim Amor ex quo aut enascitur, aut certè cui congenita est ea peccati detestatio, perfectam secum fert Numinis amicitiam, eamque sibi impendi, quasi jure suo exigit; cùm amoris non sit alia, quàm amoris reciproci compensatio: & tam nobilis est Deus ingenii, vt à nemine sese patiatur amore superari: hinc fit quòd Contritio nullam in pœnitente hostilitatem patiatur consistere, neque quidquam quod justam Dei auersationem mereatur. Atque adeò hinc etiam est, quòd Contritioni, perfectò, inquam, Amori beneuolentiæ; omnium omninò scelerum commissorum detur impunitas, ne & amicus sit Dei qui sic amat, & simul etiam inimicus; & propterea dignus quem amet Deus, & quem etiam auersetur: quæ duo combinari, est impossibile. Attritio autem, licèt commissorum criminum sit detestatio, non tamen eius est naturæ, vt amicitiam Dei jure suo postulet. Cùm enim ex amore concupiscentiæ, quo sibi visionem beatificam homo concupiscit, & malum per supplicia inferendum auersatur, trahat originem; sanè sine mutuâ Dei amicitiâ, aut beneuolentiâ reciprocâ, peccatoris animum potest afficere. Neque enim quidquam amoris aut amicitiæ tibi debet is, cuius hæreditatem tibi exoptas: neque Princeps vllius amicitiæ impendendæ subdito, lege obstringitur, ex eo solùm capite quod suppliciorum metu, & legum reuerentiâ, deinceps ab iis infringendis statuat abstinere. Atque hæc est ratio, quod Attritioni scelerum impunitas non impendatur, quamuis ad eam acquirendam disponat; remissionem plenam relatura, dum vt mox dicemus, Christi meritis in Sacramento conjungetur.

Debetur contritioni diuina amicitia,

non verò Attritioni.

2.

Hujus detestationis, seu Attritionis naturam superiore Tractatu ex-

3.

tu exposuimus: ostendimusque, vt sit legitima pœnitentis animi soboles, & supernaturale Dei donum (qualem ad Sacramenti valorem requirit, atque idcircò dari posse statuit Tridentinum) eam & peccatum commissum verè detestari, & peruersam voluntatem verè corrigere, & ad totius legis obseruationem inducendam sufficere: ingenuam denique & liberalem esse seu voluntariam, minimeque seruilem id est non coactam nec refractariam.

4. Hoc nunc exponendum est, quo pacto hæc Attritio tam ingenua & voluntaria, ex Timore pœnæ, qui tamen seruilis est, educi possit, & à mancipatûs sordibus defæcari. In hoc enim tota aduersariorum versatur difficultas, quòd sibi persuadeant, ex timore qui verè seruilis est, non posse quidquam enasci nisi quod seruile, hoc est violentum & coactum; & sic non existimant conjungi posse Timorem pœnæ, cum sincero amore justitiæ, id est cum verâ voluntate agendi rectè, seu quia rectum aut justum est quod agendum à timore proponitur. At in hoc errant toto cœlo, & multorum deinceps errorum sibi jaciunt fundamentum.

Errat qui existimat ex timore seruili non posse nasci obsequium ingenuum & liberale.

5. Etenim, quoties id etiam in rebus humanis vsuuenit, vt legem Reges ferant quam supplicijs intentatis etiam sanciant? quòd certè nihil est aliud quam seruilem timorem populis sibi subjectis incutere. An ideo tamen seruilem in morem, seu seruiliter & coactè ab omni populo legi obeditur, & nemo paret ingenuè? Sanè pro diuersis huminum geniis & ingeniis, diuersa præstabuntur obsequia. Erit qui seruiliter, seu inuitus legi se subjiciet, erit etiam qui liberaliter seu voluntariè. Et tamen vterque ex timore supplicii, legis obseruandæ sumet exordium. Exponendum id est exemplo. Imperator, quòd sic rebus suis planè conducere arbitratur, totis castris edictum jubet promulgari, quô seueriſſimè sub mortis illicò inferendæ interminatione cauet, ne quis cuiuscumque sit ordinis, castrorum limites eo die excedat. Paretur ei ab omnibus, vtique terrore supplicii admodùm perculsis. At, an etiam omnium eadem est parendi mens & modus? Minimè verò. Nam lixæ, calones, militum aut prædonum fæx agrorum deuastationibus viuere solita, sic sese domi continet, vt è castris excedendi voluntatem non deponat. Quod quidem manifestum est; cùm latebras rimentur vndique, vt vigilum oculos fallant, seseque è castris emittant. Hoc autem quia consequi se posse desperant, inter limites sese continent. Parent itaque sed inuiti, id est,

Patet in legibus humanis.

Exponitur in edicto castrensi.

cui lixæ & prædones parent inuiti.

id est seruiliter ; atque adeo non vt milites, sed vt serui per vim, mortis metu, sub signis continentur. Nobilioris interim sunt animi milites, ordinum primipili, Centuriones, & quibus non est ignaua mens : quibus dum idem intentatur delinquentibus supplicium, non tamen idem est parendi genius : obediunt enim alacres, nec vllâ se cogi fatentur parendi violentiâ. Nonne tamen ex timore pœnæ, tam lixis & calonibus, quàm fortissimis militibus, obediendi factum est initium ? Sine dubio. Unde ergo tam dispar obsequium ; hoc voluntarium, inuitum istud & coactum ?

Nobiles voluntarie,

Vnde hæc differentia fusè exponitur.

Dicam. Vile istud & projectum hominum genus, supplicia per legem intentata dum exhorresçit, ita secum argumentatur & statuit ; omnimodis euitandum esse supplicij incurrendi periculum. Itaque in omnem sese partem coniicit, modum euitandæ pœnæ vt effugiat ; quam donec inuenit ; domi se continet ; sed inuitus, & sine dubio in apertum campum euasurus, si euadendi detur opportunitas. Legem itaque hic seruat, vt euadat supplicium : neque timet vt obediat ; sed obedit vt ne incurrat id quod timet, quodque alio modo euadere se posse desperat. Hoc autem non tantùm est timere seruiliter, sed & ex timore seruili obedire seruiliter ; siue, quod repetendum est sæpiùs, inuitè, violentè, & coactè, sic vt mallet non obedire. Longè alia est in generosis militum pectoribus, è timore tamen seruili educta obediendi ratio. Fateor, seruilis est intentati supplicii timor, & sic rectè nominatur, prout filiali opponitur ; nec enim filiis à Patre solet mortis pœna intentari, aut si intentatur, paternæ non sunt minæ. Fateor, etiam ex hoc timore exsurgere in nobili & ingenuo pectore parendi voluntatem. At quomodo ? idcirco nempe, quod ex tam horrendo supplicio, legis necessitatem, & Imperatoris sui justam voluntatem intelligit ; quem scit eâ esse animi moderatione, vt tam cruentam, in optimum quemque fortissimumque militem, sine vllâ exceptione aut Ordinum priuilegio legem laturus non fuerit, nisi aut inimicorum vicinia, aut grauis aliqua expeditio, aut alia magna necessitas, virum moderatissimum suique potentissimum vrgeret. Hinc fit vt legi, tanquam justissimè conceptæ & promulgatæ, pareat voluntariè & expeditè. 6.

Pœna quam timor fugit, ostendit magnitudinem & grauitatem legis latæ :

& sic timor est maximè conformis rationi

Atqui, inquies, qui sic legem obseruat, non ex timore pœnæ, sed 7.

ſed ex ratione ſolidâ, obediendi concipit voluntatem. Reſpondeo id eſſe veriſſimum, rationi conſonam ſeu ex ratione petitam præſtari debere obedientiam. Sed nonne mortis timor eo in euentu, rationi ſummopere eſt conformis? Quid enim eſt timor animi, aut Intellectûs, niſi, vt paſſim dicitur, Fuga mali? ego malim dicere, Timorem animi, judicium eſſe quo ſtatuitur fugiendum malum quod imminet, aut imminere apprehenditur; cuius judicii effectus ſit, mali fuga. Quidquid ſit rationi conformis eſt omnis mali fuga: igitur & hic timor. Voluntatem itaque obediendi, parit Timor mortis in animo liberali & ingenuo, ratione, non vi aut violentiâ. Sed quomodo? *primò* quidem pœna legi appoſita, exponit juſtiſſimam Legiſlatoris mentem, quam miles ex ſupplicij atrocitate liquidiſſimè percipit. *Secundò*, Timor ille quem ex apprehensâ ſupplicij juſtè intentati magnitudine concipit, aſſiduus eſt admonitor qui legis grauitatem æquitatemque repræſentet. Vnde fit vt ſponte ſuâ ei ſe miles ſubiiciat, nec inuitus, ſed vero parendi deſiderio. Obediendum enim prorſus judicat, non tam quod legis minas metuat, ſed quod ex minis meritò & verè metuendis, magnitudinem, æquitatemque præcepti, atque adeo Imperatoris juſta præcipere ſoliti, vrgentem admodum voluntatem penitus percipiat. Huius autem legis denuntiator ſeu præco eſt Timor quem reipsâ mente perſentiſcit.

Timor autem actualis, eſt aſſiduus præco qui animæ legem proponit & denuntiat.

8. Fuſiùs exemplum hoc propoſui, quod in re admodum humanâ, totus Attritionis, vt ita dicam, conceptus & partus faciliùs intelligatur. Patet certè ingenua quàm ſit & liberalis mentis ſoboles, minimèque ſeruilis, quantumuis ex timore gehennæ, qui vulgo ſeruilis dicitur, ortum duxerit. Neque ſanè quæ à me jam dicta ſunt, neceſſe eſt Attritioni multis applicare; res enim ipſa in exemplo propoſita, ſeſe prodit ſponte ſuâ. Etenim ſi praxim excitandi Attritionem exquiris, iſtud certum eſt, inanem eſſe peccati deteſtationem, aut legis obſeruantiam, quæ eô tantùm exhibetur animo, vt ſupplicia à lege intentata euadantur, ſi interim voluntas peruerſa maneat non parendi, niſi pœnæ timerentur. Hoc enim jam in calonibus & lixis vidimus quàm ſit ſeruile, minimeque ingenuum aut voluntarium parendi genus. Ingenua autem & legitima vt ſit Attritio, quæ ex Timore elicitur, hoc ordine eſt excitanda.

Qua attritio ſeruilis ſit & mala.

Ingenuam Attritionem præcedit supernaturalis timor pœnæ.

Primò quidem obiicitur mentis operationi primæ, seu apprehensioni, æternæ aut etiam temporariæ vt Cardinali Lugo placet, à Deo tamen justè sibi infligendæ pœnæ repræsentatio. Ex hâc autem, timor tanti mali ceruicibus suis impendentis, animo, quin & corpori nonnumquam non sine ingenti horrore oboritur. Quod si autem timor ille apprehensionis primæ terminos non excedat, aut non vlteriùs sese extendat quàm ad ingenerandam generatim fugam objecti mali, tunc sanè crederem nihil admodum supernaturale timorem hunc secum ferre, nisi fortè per actum Fidei qui necessariò huic timori innectitur; non enim timeret pœnas, nisi crederet & eas dari, & pro peccatis à se commissis infligi: vtrumque autem credere, Diuinæ Fidei actus est. At verò si Timor ille ita apprehensionem primam afficiat & percellat, vt aliqua in Voluntate ipsâ fiat animi perculsio, seu motus primò-primus, quo ad scelera, timoris causſam, detestanda, & ad rectè deinceps agendum inclinatur, tum sanè Timor ille ex omni parte supernaturalis est, & ex eo genere gratiarum actualium, quæ nobis non nisi propter Christum, vt causſam earum meritoriam tribuuntur, & à Christo tanquam capite benignissimè deriuantur. 9. Lug. disp. 5. de pœnit. sect. 9. n. 137.

Quandonam Timor pœnæ procedat à Gratia Christi, seu sit supernaturalis.

Ex timore pœnæ iustè à Deo intentatæ, displicentiam commissi sceleris peccator intelligit

Secundò, timore hoc, quo officij præstandi, aut malè jam præstiti admonetur, percita mens, illico grauitatem præcepti, cuius transgressori tam immanis pœna à Deo præstituitur, percipit peccator. Videt enim liquido, fieri non posse quin justa sint supplicia, quæ qui naturâ suâ justus est, minatur. Rursus id etiam percipit, fieri non posse, vt qui indole suâ tam est misericors, æternis ignibus addicturus sit *opus manuum suarum*, quod ipse meritus est tantâ industriâ, tantâque prouidentiâ gubernauit, nisi summopere ipsi scelera displicerent, qnæ tam immania benignissimo Numini, ac fere inuito, supplicia extorserunt. 10.

atque ex hac, peccati indignitatem.

Tertiò displicentiam infractæ legis, ex pœnis jure & meritò intentatis, peccator duũ perſentiscit, tum verò perpetrati criminis enormitatem intelligit, percipitque quàm indignis modis tam justæ Numinis voluntati, per summam petulantiam fuerit aduersatus. Detestatur itaque commissum scelus, quod tam seriò & justè à Deo scit vindicandum. Justamque iram imposterum vt euadat, statuit justissimæ Dei voluntati, cuius grauitatem, 11.

Hinc tandem oritur detestatio

tatem, ex timore quo perculsus est nunc reipsâ percipit, obtemperare imposterum, non tam ex timore pœnæ, quam ex amore justitiæ seu rectè & justè agendi desiderio. Justitiam autem legis, cuius fortassis memoriam amiserat ex ipso, quo percellitur, timore intellexit. *peccati & legis obseruandæ voluntas.*

12. Redit igitur per hunc Attritionis actum, ad Deum, id est ad finem suum vltimum peccator; redit inquam, quia dum supplicia metuit, ad eum sese tacitè conuertit; non quidem actu Amoris Dei super omnia dilecti & diligendi propter se, qui quidem tertiæ virtutis Theologicæ actus sit, sed affectu aut Amore proprio Spei, quo in Deum tendit, tamquam vltimum sperantis bonum, id est suum. *Sic attritus redit ad finem suum vltimum per actum amoris concupiscentiæ seu spei.*

13. Patet itaque quàm in Attritionis actu nihil illiberale sit, id est nihil inuoluntarium, nihil coactum, nihil inuitum; sed ingenuum omnino & liberum prorsus esse, omne quod ex eâ Deo præstatur obsequium; quamuis ex pœnæ timore ducat exordium. Timor enim veluti præco pœnas denuntiat. Ex pœnis, sanctissimæ voluntatis justitia, Numinisque displicentia rectè colligitur: ex hâc verò, criminis sui enormitatem peccator colligit & detestatur: ex detestatione denique obseruandæ deinceps legis tam justè latæ amor oritur & desiderium. Atque eccum Attritionis ex timore seruili exortus non seruilis, sed nobilis & dignus Gratiâ Christi actuali, à quâ prima tam præstantis virtutis ducta sunt incunabula, & per singulos deinceps actus procurata est maturitas. Istud enim, peccatorum suorum hoc modo pœnitentes, dicere possunt, quod habetur apud Isaiam, juxta 70. Interpretum lectionem *Propter* vel *Per timorem tuum Domine in vtero accipemus, & paturtuimus, & peperimus spiritum salutis.* *In attritionis actu nihil est seruile.*

Isa. 26. v. 17.

14. Ast inquies, cum Attritione illâ manet nihilominus aliqua adhuc super peccandi voluntas & libido, aut naturæ propensio, si pœnæ non prostarent. Vellet enim adulterari scortator, supplicij si abesset metus. Miror sanè hæc toties & tam putidè à viris Theologis obtrudi, quibus tam perspicua debet esse differentia inter *Volo* & *Vellem*. Aliud enim est dicere *Volo*, seu actualem adulterandi voluntatem habeo, si pœnæ sceleri non essent constitutæ; aliud autem *Vellem* seu conciperem peccandi voluntatem, nisi supplicia deterrerent. Primum sine dubio peccarum *Neque in ea remanet vllus affectus peccandi, nequidem conditionatus.* *Ostenditur aliud longè esse dicere*

volo peccare, & vellē peccare si non esset infernus.

est, nec qui sic peccato abstinet, verè abstinet: voluntate enim peccato afficitur, à cuius executione inuitus deterretur. Neque cum hoc actu consistit vera Attritio. Secundum verò, historica est rei verosimiliter admodum euenturæ narratio; infirmitatis propriæ est sincera confessio, quàm, experientiâ jam edoctus, tantam esse peccator nouit, vt nisi valido fræno coërceatur, in vetera se fateatur crimina deuoluendum. An autem imbecillitatis suæ conscium esse, est vetera velle crimina? Sanè qui Religionis seueræ vinculis & legibus coërcetur, istud, vt sibi de felicitate suâ gratuletur, potest secum statuere, sese si inter mundi illecebras datum fuisset viuere, multis sceleribus sine dubio fuisse implicandum, à quibus modò inter septa Cœnobij datur abstinere. An tamen is reipsâ nunc vult ea committere, quæ præscit sese patraturum, si intra Religionis repagula, contracta non fuisset peccandi facultas & licentia? Quis hoc pro sano dixerit? Certè, aliud est velle peccata, aliud ea præuidere & narrare facienda. Istud, voluntatis est negotium; hoc verò, solius est judicij non absurda conjectatio: sine voluntate verò non peccatur.

Cum hoc actu stat Attritio,

imò & Contritio.

Quid, quòd & cum ipsâ Contritione quantumcumque sit perfecta, stet eiusmodi infirmitatis suæ humilis agnitio & sincera confessio? quantumcumque enim de commissis sceleribus conteratur reus, eaque detestetur omnibus animæ viribus; tamen cum voluntatis sanctissimâ obfirmatione, potest, imò debet, si ad imbecillitatem suam mentis oculos inflectat, istud de se judicare, & verò etiam proclamare, si hæc mihi à Deo Contritionis gratia non adesset, vellem in pristinis hærere flagitiis, meque rursus in ea fœdissimè immergerem. An tamen pœnitentem hunc, ejurata rursus velle crimina quisquam dicet? Fateor quidem cum Attritione, imò & cum Contritione, propensionem seu libidinem naturæ insitam adhuc consistere, vnde ad peccandum deinceps procliuis sit animus; non enim dum deplorantur scelera, Concupiscentia, eorum radix prorsus extinguitur. Verùm sicut vitiosa hæc animi affectio, nullum Contritioni infert vitium, quo minùs facta displiceant: ita & nullum Attritioni censenda est afferre præjudicium, vt non credatur commissa à se scelera, verè & ex animo, liberè, inquam, & ingenuè detestari. Atque hæc de Attritionis excitandæ modò, in præsentiarum dicenda occurrebant. 15.

§. II.

§. II.

Attritio sola, sufficiens est dispositio ad justificationem, & remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam. Actus autem Charitatis inefficax, qui præterea à quibusdam requiritur, merum est figmentum, & quidem Neotericum.

16. NEque verò de effectu & efficaciâ Attritionis, quæ omnibus toto orbe terrarum Catholicis passim nota est, multa dicenda jam restant, cùm ea penitus complanata nunc sint, quæ ad infringendam Attritionis vim & virtutem, ab aduersarijs temerè obuoluebantur. Causabantur illi cum Neoterico de quo Tractatu præcedenti egimus Doctore, Attritionis actum, nec supernaturalem esse, nec peccandi voluntatem excludere, nec totius legis obseruantiam posse complecti; quinimò inuoluntarium esse atque coactum quidquid ea præstaret obsequii; ac propterea reconciliationi cum Deo faciendæ, prorsus esse inutilem. Verùm cum futilitatem argumentorum, quibus commenta sua aduersarii stabiliebant, manifestè nunc ostenderimus; patet nihil omninò Attritioni deesse, quò minùs ea quæ à Concilio Tridentino de Attritionis energiâ pronuntiantur, prout passim ab Ecclesiâ fuere percepta, deinceps etiam sine vllâ hæsitatione intelligantur. Inter hæc verò præcipuum istud est, & quod non sine animi quâdam acerbitate & peruicaciâ negarunt Neoterici quidam Theologi, Attritionem, quamuis reconciliationi cum Deo faciendæ & justificationi inducendæ, se solâ non sufficiat; sufficere tamen in Sacramento, seu per merita Christi, ex opere operato per Sacerdotis absolutionem in Sacramentali Confessione Pœnitenti applicato. *Ad absolutionem peccatorum sufficit Attritio cum Sacramento.*

17. Et id quidem ex ipsâ Confessionis aut Pœnitentiæ Sacramentalis institutione, primò aperte conuincitur. Si enim Contritio semper ad criminum condonationem, etiam in Sacramento requiritur, jam sanè Sacramentum Pœnitentiæ in Ecclesiâ frustraneum est; cùm Contritione solâ, satis superque deleantur crimina. *Probatur primò ex institutione Sacramẽti.*

mina. Neque virtute clauium soluuntur peccata, sed Contritiõnis efficaciâ: deleta sunt enim per eam scelera, antequam absolutionis sententiam Sacerdos pronuntiet. Ad quid ergo Judex dicit *Ego te absoluo*, absolutus si jam sit? an vt pœnitentem absolutum esse declaret juridicè? non igitur virtute clauium pœnitens vnquam soluitur. Hoc autem post decretum Eugenii IV. in Concilio Florentino latum, orthodoxo homini nefas est sentire. Atque ex hoc capite, Catholicæ de Attritione sententiæ veritatem demonstrat Catechismus Romanus, cui summa debetur reuerentia, cùm ex Concilij Tridentini placitis jussu Pij V. fuerit editus, totique orbi porrectus in manus. Ita habet. *Etenim ex Fidei Catholicæ doctrinâ, omnibus credendum & constanter affirmandum; si quis ita animo affectus sit, vt peccata admissa doleat, simulque imposterum non peccare instituat* (quæ jam ostendimus ab attrito fieri) *etsi eiusmodi dolore non afficiatur qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen cùm peccata ritè Sacerdoti confessus fuerit, vi clauium scelera omnia remitti ac condonari. Vt meritò à Sanctissimis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiæ clauibus aditum ad cœlum aperiri. De quo minimè dubitandum est, cum à Concilio Florentino decretum legamus, Pœnitentiæ* (scilicet Sacramentalis) *effectum esse absolutionem à peccatis.* Ita Catechismus. Numquam autem absolutio peccatorum esset Confessionis effectus, si absolutio non nisi perfectè contrito esset irroganda: neque vllo in euentu, reconciliatio cum Deo, virtuti clauium, sed Contritionis efficaciæ esset attribuenda, si attritio ad absolutionem Sacramentalem percipiendam numquam sufficeret. Cathec. Roman.

Probatur secundo ex verbis Tridentini.

Secundò, verba Concilij Tridentini, quantumcumque detorqueantur, rem omnem conficiunt: neque quidquam in ijs est obscurum, nisi ijs quibus constitutum est penitus, in manifestâ luce tenebras quærere, veritati, inquam claræ refragari. Ita fert decretum Concilij. Postquam de Contritione perfectâ vel quæ, vt loquitur Concilium Charitate perficitur, statuisset, ipsi reconciliationem cum Deo, etiam sine Sacramenti applicatione, *non tamen sine Sacramenti suscipiendi voto, quod in eâ includitur esse adscribendam*; mox de Attritione hæc subjungit: *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non* 18. Trid sess. 14. c. 4.

non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam Donum Dei esse & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Manifestum est hîc de quâ Attritione loquatur Concilium, eâ nempè quam hæretici inutilem reconciliationi, quinimò malam asserebant: de hâc verò statim subjungit. *Et quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum, disponit.* Euidenter hîc dicit duo de Attritione Concilium: negat primò extra Sacramentum ad justificationem posse per se, seu solis suis viribus, peccatorem perducere. Secundò, in Sacramento, junctam scilicet Absolutioni, asserit id posse. Disponit enim vt absolutionem ritè accipiat, quæ non nisi legitimè dispositò, cùm fructu datur. Asserit itaque in Sacramento id ab Attritione præstari, quod extra Sacramentum ei competere denegabat. Atqui negabat extra Sacramentum peccatorem ad justificationem *per se* posse perducere; igitur etiam asserit, quod in Sacramento ad justificationem eum *per se* perducat; seu, quod idem significat, eum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam *per se disponat*: & quidem dispositione vltimâ. Nam dispositione remotâ, etiam extra Sacramentum, vt quæuis opera bona, ad gratiam reconciliationis viam facit. De hoc autem non agitur hîc à Concilio, cuius mens est quid in Sacramento possit Attritio, declarare. Non lubet diutiùs rei claræ immorari, neque veritatem orthodoxam ex his Tridentini verbis altiùs demonstrare. Fecerunt id præclarè Theologi quam plurimi: imprimis Suarez, & Cardinalis de Lugo, & fusissimè ac doctissimè Nicolaus Ysambertus Doctor Sorbonicus, quem si placet consule.

Suar. to. 4. in 3. p. disp. 20. n. 10. 11. Lugo disp. 5. de Pœn. sect. 9. Ysamb. to. 3. disp. 14. de Pœnit. a. 4. & seq.

19. Istud tamen dissimulandum non est, plurimos aduersæ partis Theologos, doctrinam Neoterici contendentis ex Attritionis vitio fieri, quòd ea Sacramento juncta pœnitentem Deo reconciliare nequeat, planè deseruisse. Fatentur enim conuicti rationibus, Attritionem actum bonum esse, peccatum commissum verè detestari, & totius legis obseruantiam secum ferre; denique voluntariam esse & ingenuam voluntatis actionem. Tamen contendunt Attritionem sufficientem non esse Absolutionis in Sacramento ritè percipiendæ dispositionem, nisi saltem actus aliquis Chari-

Neoterici quidam volunt, Attritioni jungendum esse tenuem & inefficacē aliquem actum Charitatis.

Charitatis accedat, *tennis & inefficax*, qui neque efficacem peccati commissi detestationem, nec efficacem etiam totius legis obseruantiam præ se ferat aut saltem inuoluat; iunctus tamen Attritionis actui, qui vtrumque, detestationem nimirum perpetrati sceleris efficacem, plenumque vitæ deinceps rectè instituendæ decretum, ac propositum includat, perfecta sit reconciliationis in Sacramento per Absolutionem cum Deo ineundæ dispositio. Sic vt neque Attritio, neque inefficax illa Charitas quidquam seiunctæ efficiant, conjunctæ tamen queant omnia in Sacramento.

Hoc si tantùm volebant aduersarij, non debebant Attritionem adeo criminari.

En quo tandem deciderint, omnes contra Attritionem tanto studio, tantisque ingeniorum defatigationibus erectæ machinationes & machinæ! Sanè si actus ille Charitatis tenuis & inefficax, Attritioni associari debuerat, legitima vt esset in Sacramento reconciliationis dispositio; cur id non dixerunt placidè, & veritatis studio, amice? cur tantam Attritioni crearunt inuidiam? cur eam, dum infernum timet, inferni januas non occludere pœnitenti, sed pandere, non scriptis modò sed & de suggestu passim apud rudem populum, non sine summo scandalo proclamarunt? cur denique eo insolentiæ insurrexere nonnulli, vt *impiam* esse Attritionem ausi fuerint criminari? An enim impia dicenda est illa actio, quam *tenuis & inefficax* Amoris actus, momento temporis reddere poterat de pia omnino piissimam. Sanè si populi erudiendi caussâ de Attritionis naturâ & effectis disputandum fuerat, non erat accusanda Attritio vt mala; sed instruenda plebs & veteri quam de Attritionis bonitate & præstantiâ Orthodoxi omnes habebant opinioni, quamque aduersarij illi denegare non possunt aut detrahere; noua hæc inefficacis Charitatis, sed *tenuis*, lascinia, sine strepitu & criminationibus, si ita videbatur, modestè fuerat assuenda. Charitatis inquam studio, quantumuis *tenuis* & exilis, peragenda fuerat hæc controuersia, non autem antiquos Ecclesiæ mores corrodendi & conuellendi lubentiâ, non satis modestâ. Bene sit itaque actui huic *tenui & inefficaci*; ex quo tandem id habemus, quòd totus ab aduersariâ parte adhibitus, *in tenui* sit tandem labor. Verùm quantumcumque versetur in tenui, libet modo ostendere inefficacem prorsus esse, & non nisi figmentis aduersarios sese palpare & pascere.

20.

Etenim

21. Etenim istud peto, vbi tandem inuenerint Charitatis illius astruendæ, eamque cum Attritione componendæ necessitatem? In Tridentino inquiunt sess.6. c. 5. Isthic enim inter motus præuios ad justificationem requisitos, disertè recensetur Amorem Dei. Hæc sanè Concilij sunt verba: *A Deo justificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu; & dum peccatores se esse intelligentes, à Justitiæ Diuinæ timore quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduersum peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agere oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata.* Ita est; hæc sunt verba Concilij.

Afferunt pro se aduersarij Tridentinum.

Trid. sess. 6 c. 5.

22. At quid sibi ex iis eliquare aut exprimere, ad rem suam quod faciat, aduersarij nitantur, id sanè nullus video. Non vides inquiunt? illud imprimis, quod ad justificationem consequendam, necesse sit vt peccator Deum *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat*. Video quidem ista in Tridentino verba. At istud jam sic dispesco. Aut Concilium isthic loquitur de justificatione extra Sacramentum, aut cum Sacramento percipiendâ. Quòd si de justificando peccatore citra perceptionem Sacramenti isthic agatur, tum sanè minimè dubitandum est, quin ad justificationem Amor Dei super omnia dilecti requiratur, & quidem *non tenuis & inefficax*, sed efficax planè & perfectus: hoc nemo disputat, nemo vnus reuocat in dubium. Et quidem de tali justificationis percipiendæ modo, nempe citra Sacramentum, Concilium isthic loqui, videtur manifestum. Statim enim subdit, sic pœnitentem & amantem Deum, si baptizatus non sit, nihilominus debere concipere votum suscipiendi baptismum, vt justificationis gratiam percipiat. Hanc verò si obtineat voto baptismi suscipiendi concepto; euidens est, isthic, nempe Sessione sextâ. c. 5. de justificatione citra Sacramentum consequendâ, Synodum agere; atque tunc Actum Dei super ommia dilecti eliciendum definitur: idque omnibus in confesso est. Sessione vero 14. c. 5. actura est Synodus, quid ad justificationem cum Sacramento requiratur. Quidquid sit, locus Tridentini sic acceptus, mini-

Sed male

si enim agat de justificatione extra Sacramentū percipienda, vti merè isthic agit, nihil hinc habent aduersarij præsidij.

mè fauet aduersariis; nam eo in euentu, non *tenuis* aliquis amor & *inefficax*, sed omnibus numeris completus, est necessariò eliciendus.

Si agat de justificatione cum Sacramento percipienda, tunc explicatur quid sit fontem justitiæ diligere incipere.

Ex aduerso autem, si de Justificatione per Sacramentum impetrandâ Concilium isthic loqui prætractè contendis; tum sanè ego, nihil hunc locum Attritioni asserò officere: cùm satis superque jam à me demonstratum sit, Attritionem, Deum tamquam omnis Justitiæ fontem diligere, non quidem actu Amoris beneuolo, sed Spei seu Amoris concupiscentiæ, quo Deum sibi amat; qui amor, quia necdum perfectus est, idcirco rectè à Tridentino dicitur peccatorem *Deum diligere incipere*: & quidem *vt omnis justitiæ fontem.* Quid sit autem justitiæ fontem aut justitiam diligere, satis à me Tractatu 13. §. 8. existimo explicatum. Nihil certè subsidij pro *tenui* illo & *inefficaci* actu Charitatis quæ sit Dei super omnia dilecti asserendo hinc petere possunt aduersarij, cùm de eo ne minima quidem hic fiat mentio. 23.

Inaudita est in Ecclesia Charitas quæ peccatorum absolutionem per se non consequitur.

Sed quid ego hisce immoror? An non id liquidò Tractatu 13. §. 8. à me demonstratum est, non dari actum qui veri nominis & substantiæ Charitatis sit, cui plena peccatorum remissio non sit annexa? an non ostensum est, commentum id esse neotericum: Sanctis Patribus, Conciliis, Ecclesiæ denique vniuersæ ante hos dies incognitum & inauditum? an non mancam illam debilemque charitatem, vidimus à Pontificibus condemnatam & penitus ab Ecclesiâ proscriptam? Quid ergo *tenuia* illa & *inefficacia* Charitatis fragmenta, nescio vbi temerè inuenta, fulciendo Catholico Sacramento, & Attritioni quæ soliditate suâ stat, tam sollicitè supponuntur? Abeant sanè isthæc fulcimenta: illis orthodoxa veritas non indiget, quæ se solâ *manet in æternum.*

D. Augustinus actum Charitatis præter Attritionem, ad fructum Sacramenti percipiendum non requirit.

Sanè incognitam fuisse eiusmodi Charitatem Augustino, supra ostendimus. Jam verò addo, etiamsi cognita fuisset, tamen ab eo ad gratiam cum Sacramento ab Attritis percipiendam, minimè judicatam esse necessariam. Tam manifesta hæc est res, vt si aliqua ab ipsis D. Augustino auctoritas tribuatur, euictam esse omnem controuersiam, stabilitamque veterem & orthodoxam de Attritione sententiam, penitus asseuerem. Locus est è libro de Catheciſandis rudibus, eductus. Agit isthic de adultis, qui per Sacramentum Baptismi, reconciliationem cum Deo justificationisque gratiam erant adepturi; quos de peccatis à se com- 25. Tract. 13. n. 35.

commissis dolere imprimis debere, omnibus in confesso est, antequam ad Sacramentum accedant. Et postquam alias quasdam rationes, & affectiones animi peruersas attulerat, quibus Cathecumeni quidam inducti, ad Sacramenti gratiam frustra consequendam, perperam & vitiosè accedunt; tandem ita loquitur de Attritis: *Qui autem propter beatitudinem sempiternam & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, vt non eat in ignem æternum cum Diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse est Christianus,* & quidem bonus, vt ex Augustini sequenti oratione patet. Quomodo autem & Christianus est, & bonus est Christianus, si baptismi virtutem non recepit? sin autem recepit, sanè Attritione solâ præuiâ, Sacramenti gratia ipsi facta est; nullam enim Charitatis efficacis aut inefficatis excitandæ mentionem facit Augustinus, cui tamen præstitutum erat Cathecumeno necessaria ad remissionem criminum, justificationemque cum Sacramento referendam, præscribere. Quorsum ergo fingitur, quod ignorauit Augustinus? Augustino tamen, omnia omnino Fidei mysteria prorsus fuisse perspecta, declamant, dum ita eorum fert res, & nesciuit quid ad Baptismum legitimè percipiendum erat necessarium? aut si sciuit, Cathecumenis suis, imo & posteris scientiam illam inuidit, saluti consequendæ adeo necessariam? Verùm ne huic loco solùm inhæream, animaduertēdum id est sedulò quod mihi non exigui in dicendis erit momenti: ibidem seipsum Cathecumeno propter futuram requiem Baptismum expetenti, gratulantem inducit, hisce verbis: *Deo gratias Frater; valde tibi gratulor & gaudeo de te, quod in tantis tamq; periculosis huius sæculi tempestatibus, de aliquâ verâ & certâ securitate cogitasti.* Si veram & certam securitatem ita baptizatus, est consecutus, remissa igitur ei sunt peccata; & tamen non habuit dolorem nisi ex metu gehennæ conceptum, id est solam Attritionem, nulli charitatis efficacis aut inefficacis actui intertextam: igitur nullo modo ex mente D. Augustini est, Attritionem solam cum Sacramento, peccatis eluendis non sufficere. Quod si autem tanta Attritionis cum Baptismi Sacramento sit energia, jam nihil est quod vrgeat eam virtutem illi in Pœnitentiæ Sacramento denegari: cum eadem in vtroque Sacramento sit ratio pœnitendi, vt notum est omnibus Theologis, neque ab aduersariis etiam negatur.

D. Aug. to. 7. l. de Catheci. rudib. c. 17.

ibid c. 16.

§. III.

Ostenditur certam esse de Attritionis cum Sacramento efficaciâ sententiam. Fictum, quod ex Suare; friuolum, quod ex cuiusdam studiosi Parisiis apparitione; nullius momenti esse, quod ex auctoritate contraria sentientium, contra sententiæ Orthodoxæ certitudinem, petitur argumentum.

Obiiciunt aduersarijs, saltem incertam esse propositam de Attritione sententiam.

COmplanatis omnibus quæ contra Attritionis substantiam, vim & energiam, difficultates fuerant obuolutæ, egregium adhuc restat detegendum artificium, & quasi cuniculus, quo munitissimam hanc arcem aduersarii conantur suffodere. Vt enim ad eam accurrentes peccatores arceant, passim jactitant, saltem non esse certa quæ de Attritione afferuntur; plurimos Theologos contraria docere omnia; ac propterea dubium cùm sit Attritio peccatorum remedium, non etiam esse eiusmodi, cui æternam animæ suæ salutem, præsertim in mortis articulo constitutus, prudenter possit committere. Multis incertitudinem illam populo coloribus depingunt, & verbis inculcant, ne nihil visi sint egisse. Eam autem cùm persuaserint, tum verò sibi videntur peregisse omnia, euertisse nimirum omnem Attritionis vsum, cuius vim & efficaciam ostenderint esse saltem incertam. Hoc igitur jam agendum est; & cùm veritatem rei demonstrauerimus, istud est videndum porrò, ad quem certitudinis gradum in Ecclesiâ Catholicâ Attritionis energia euaserit. 26.

Afferunt pro se Suarem, sed malè.

Ad nullum inquient aduersarii. Et quidem id ipsius met P. Francisci Suarez auctoritate interpositâ, planum facit P. Franciscus Faruacques Ord. S. Augustini S. Theol. Doctor, thesibus quas in ep. 1. D. Pauli ad Corinth. edidit Louan. ann. 1660. Ita habet in vltimo, vt vocat, *Impertinenti.* Titulus hîc, vt quod verum est fatear, est rei ab ipso proponendæ satis accommodus. *Pater Franciscus Suarez*, inquit, *docet quod opinio, quæ dicit Attritionem ex solo metu gehennæ conceptam & cognitam, cum Sacramento sufficere ad justificationem, non sit certa, & possit esse falsa; quodque nec valde antiqua sit, nec multùm communis.* Et in margine locum signat, 27.

Faruacq. in Thesib. an. 1660. Louanii editis.

signat, nimirum in 3.p. q. 90. art. 4. Disp. 15. sect. 4. n. 71. Quis non hic summi illius Theologi clarissimam esse sententiam dixerit, si verba attendantur, eaque bonâ fide ab auctore Thesium fuerint recitata? Atqui fidem non alienam, sed tuam amice Lector obtestor. Locum inspice, & videbis illicò, non esse hæc Suaris verba, sed aduersariorum ea obiectantium, vt sententiam suam, quam primo loco, more suo, Suarez affert, confirment. Disputat enim an in articulo mortis non sit necessariò excitanda in Confessione Contritio. Et primò affert sententiam eorum qui eam exigunt; exigunt autem inquit, *quod licet sit probabilis opinio, attritionem cum Sacramento sufficere ad iustificationem, tamen non sit certa, & possit esse falsa.* Item. *Quod si fortasse in re ita est, probabilis illa existimatio non sufficit vt homo saluetur. Ergo qui sciens & videns ita se mori permittit, voluntariè exponit se periculo moralis æternæ damnationis. Nam vbi est morale dubium, est morale periculum, præsertim in re graui. Hic autem est morale dubium, cùm illa opinio nec valde antiqua, nec multum communis sit.* Hactenùs verba sunt Suarez. Istud jam enixè rogo, vbinam hic Suarez doceat, opinionem quæ Attritionem asserit ad iustificationem sufficere, non esse certam, sed falsam esse posse; rursus non esse valde antiquam, nec multùm communem? An hoc est docere rem ita esse, aduersariorum obiectationes producere & contrariæ sententiæ fulcimenta proferre? Certè Suaris eam non esse mentem, ex num. 19. statim subsequente, vbi sententiam à se relatam reiicit, rationesque aduersariorum refellit, facilè videre poterat Faruaquius, nisi forsitan libebat cæcutire. Neque prudenter poterat credere hæc esse ex propriâ sententiâ à Suare prolatâ, cum mox Disp. 20. vbi quæstionem de Attritionis efficacia disputat ex instituto, disertissimè eam confirmet auctoritate Theologorum antiquorum, inter quos recenset D. Thomam variis locis, & Scotum. Quo pacto igitur diceret sententiam *non esse valdè antiquam*, quã primorum antiquissimorum Theologorum esse adstruit? Rursus quâ ratione diceret Suarez, *non esse certam opinionem, & posse esse falsam*, qui relatis auctoritatibus Theologorum pro Attritionis efficaciâ stantium, subdit: *Atque hanc sententiam omninò veram esse censeo.* An autem censetur vera quæ censetur fieri posse falsa? Denique, ne de Suaris mente, vlla restet dubitatio, en eius sententiam manifestissimè ibidem expositam. *Dico ergo primo. Sacramentum*

Obiectationem à Suare allatam, accipiunt pro eius sententiâ.

Suarez contraria omnia disertè docet.

Suar. 3. p. to. 4. disp. 20. n. 9.

Ibid. n. 10.

mentum hoc habet virtutem ad justificandum peccatorem per solam veram, supernaturalem, & integram attritionem dispositum. Et in hoc sensu, efficaciam habet ad efficiendum hominem ex attrito contritum. Hanc conclusionem existimo hoc tempore adeo certam, vt non possit absque errore negari, loquendo vt loquimur absolutè de efficaciâ. Hæc mens est magni illius Theologi, hæc sententia: & non ea quam illi affingunt, ex mente suâ, aduersarij. Credo tamen eam non malâ fide affictam ei esse à P. Faruaquio, sed deceptum, vti facilè fieri potuit, ex hoc capite, quòd cùm stilô Theologis aliàs vsitato, aduersariorum rationes Suarez dum affert, non adjecerit solitum illud *Dices* aut *obiicies*, crediderit esse verba auctoris, dum expressis verbis non dicit esse aliena. Quidquid sit, nullum sane incertitudini adstruendæ ex Suare præsidium petant, neque sententiæ suæ blandiantur, aut populo vendant fucos.

Historia Parisiensis Hudsoni ex D. Antonino allata.

Eiusdem ponderis est, quæ iisdem Faruaquij thesibus, præfigitur in prælimínari paginâ, nescio quorsum, ex D. Antonino historia. Dissimulari poterat tamquam nullius momenti res, nisi eam aliquoties jam, nescio an ex condicto impressam vidissem; fortasse quòd credant, magnam sententiæ suæ auctoritatem se allaturos, ex auctoris dignitate. Ita fert historia à Faruaquio exscripta, & quidem, si superis placet, ex *S. Antonino Archiepisco Florentino Ordinis Prædicatorum. Parte 4. Titulo 14. c. 5. sub initium ante §. 1. Quidam scholaris Parrisius infirmatus ad mortem, confessus est cum multis lachrymis, deuotè suscipiens omnia Sacramenta secundùm humanum judicium. Doctor autem eius frequenter visitans eum in infirmitate, rogauit eum, vt si contingeret de hâc luce migrare, Domino concedente, sibi appareret ad reuelandum statum suum; quod & promisit. Eo igitur viam vniuersæ carnis ingresso, post dies aliquot (dictus scholaris) ei apparuit in lecto quiescenti, in chlamyde pergameneâ plenâ sophismatibus, & igne foderatâ. Quem recognoscens, & interrogans de statu suo, respondit se fore damnatum. Cumque ille miraretur nimis, causam quærens cùm ipse cum tantis lachrymis pœnituisset in fine, & Sacramenta deuotè suscepisset; respondit ille, Pœnitentia mea & lachrymæ illæ non fuerunt ex Amore Dei, & principaliter propter Dei offensam, sed propter Timorem inferni, ne ad illum deputarer; & ideo mihi non valuit.* Hæc S. Antoninus, inquit Faruaquius. Fateor; 28.

teor; sed nescio ego inquam, quâ mente Thesibus suis, vti & reliqua Impertinentia inseruerit Faruaquius: cùm ad epistolam D. Pauli faciant nihil. An vt cum reliquis clamorem excitet, iisque placeat? Contemni inquam hæc à me poterant; ne tamen quidquam indiscussum abeat, præsertim hoc quod adeo est populare, & factum ad concitandum plausum in plebe,

29. Respondeo *primò*; nihil quidem illustrius, quàm D. Antonini, factum, vt videtur recensentis, nomen habere hanc historiam, quod eam magnopere commendet. At scin quantâ Sanctissimi viri, in historicis narrationibus, apud doctos sit auctoritas? ea quæ nimium creduli. Audi id non ex me, sed ex Melchiore Cano, etiam Ordinis Prædicatorum, & Episcopo Canariensi, & primariæ cathedræ in Academiâ Salmanticensi olim præfecto. Hæc eius de duobus sui ordinis historicis verba. *De Vincentio Belluacensi, & D. Antonino liberiùs judico; quorum vterque, non tam dedit operam vt res veras certasque describeret, quam ne nihil præteriret quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur Ita ad historiam vnamquamque existimandam, momentoque suo ponderandam, non artificum statera, sed ne populari quidem trutinâ vsi sunt.* Vin plura Faruaqui? audi quæ subnectit? *Quamobrem*, inquit, *boni licet ac minimè fallaces viri, qui tamen nec auctores eos à quibus suos exscripsere libros diligenter examinarunt, nec res justis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graues atque seueros, auctoritate carent. Historicus autem qui Theologiæ decreto probandus erit, nec omnes schedas, lectione etiam indignas excutiet; nec anilibus fabulis accommodabit operam; nec priùs lecta auditaque excutiet, quàm ea prudenti accuratoque judicio expendat ac seligat.* Ita Melchior Canus, de D. Antonino, more suo satis clare. Cuius judicium hisce insertum si quis ægriùs ferat, id sanè non mihi, sed iis qui ad hæc prodenda nos cogunt, imputandum est.

Quanta apud Canum auctoritas D. Antonini sit in historia.

Canus de locis Theol. l. 11. c. 6 vltra medium.

30. Respondeo *secundò*, D. Antoninum ipsum, fateri sibi non aliundè constare de hâc historiâ, quàm ex libello aliquo *de septem donis.* Hoc enimuerò non sine artificio in thesibus Faruaquij tacetur, vt tota historiæ veritas à D. Antonino peteretur. Itaque jam non major est narrationis huius auctoritas, quam incogniti nobis libelli *de septem donis.* Imò ne tanta quidem; sed ea solummodo quæ Doctori danda est, qui sibi id narrauerit contigisse,

Historiam hanc refert D. Antoninus ex libello quodam de septem donis.

tigisse, quod fortè finxerit aut somniarit, aut alius quis ipsi affinxerit. Jam verò an quisquam est Theologus, qui ad sententiam in Ecclesiâ summi ponderis confirmandam, quidquam auctoritatis dandum censuerit apparitionibus hominis cujusdam incogniti, & de cujus virtute nil quidquam constet; imo de quo nescitur an eiusmodi ei apparitio obtigerit, nisi ex quâdam schedulâ de septem donis? Ne si Doctor ipse factum proclamaret, Doctori de re factâ credendum foret illico; multò minus historia tam dubio auctore prolata, sententiis erat Theologicis applicanda. Quasi verò si muliercula quædam pro concione vociferetur, triginta & quod excurrit millia hominum visa sibi à Christo judicari, & non nisi tres vitam æternam consecutos, id sufficiat, vt illico pro pulpitis id declametur terrendo nimirum populo, & percellendæ plebi planè accommodum. Sanè non id sufficit libris contineri, quod pro concionibus exponitur: aniles etiam fabulæ in libros irrepunt; sed vbicumque demum sunt, debent esse contemptui: multùm enim discedit veris solidisque rationibus, quas eiusmodi næniis vir acrioris judicii videt immiscerì. Et veræ reuelationes hæreticis sunt deludibrio, cùm omnes illico credant esse similes iis, quas sine vllo delectu plebi credulæ, non sine ipsorum risu & sarcasmate vident obtrudi. Reuelationes quas viri aut fœminæ sanctitati conspicui sibi accidisse sanctè testati sunt, de quorum testimonio & virtute constat, & demum quæ ab Ecclesiâ approbatæ sunt & confirmatæ, hæ demum sunt in pretio, & ideo apud Theologos solæ in vsu.

Non est credendum cuilibet dicenti sibi reuelationem obtigisse.

ob aniles fabulas hæretici contemnunt veras reuelationes.

Falsi reuelatio aut ficta est aut à Diabolo.

Respondeo *tertiò*, omnem apparitionem quæ falsum enuntiat, 31.
fictam esse, aut ab homine alios conante decipere; neque apparitionem tunc esse dicendam, sed figmentum & mendacium; aut à Diabolo, eum, cui apparitio obuenit, fascinante. Certissimum id est omnino: quandoquidem nulla, à Deo, falsi possit esse reuelatio. Itaque si damnatum sese dixerit Parrisius ille scholaris, quòd per Attritionem solam de peccatis pœnituerit, certè falsum dixit; est enim sententia Tridentino aduersa, & vti Catechismus Pij V. loquitur *Fidei Catholicæ doctrinæ contraria*, igitur semper falsa fuit; neque quòd ei contrarium est, vmquam à Deo potuit reuelari. Ficta igitur est ea reuelatio aut ab homine, aut à Dæmone. Sin verò totus scholaris demortui timor atque horror ex eo exstiterit, quòd infernorum ignium, quibus

Reuelatio illius damnati potuit

bus erat addicendus, ſpecies viuaque imago phantaſiæ obiecta, ipſi extremum ſpiritum agenti verſaretur ob oculos; ſic tamen vt neque in ſpem erigeretur euadendi tanti mali, neque in deteſtationem aſſurgeret criminum, per quæ tanta ſupplicia juſtè infligenda fuerat promeritus; tum ſanè reuelatio vera eſſe potuit. Eo autem in euentu, condemnatio ipſi non obrigit, quòd Attritus obierit (oſtendimus enim Attritionem iſthæc omnia inuoluere & ſecum ferre) ſed quòd nullâ omnino criminum pœnitudine, ne Attritione quidem tactus, ſceleribus ſuis ſit immortuus. Atque hoc videtur condemnati oratio ſat clarè innuere, dum fatetur lachrymas à ſe effuſas *non fuiſſe ex amore Dei, & principaliter propter Dei offenſam*, id eſt ex verâ pœnitudine, *ſed propter timorem inferni*, id eſt propter pœnas inferni clarè ræpræſentatas, quæ tamen timorem ſolummodo naturalem concitarent; pœnitudinem autem veram, id eſt aut Contritionem aut Attritionem animo non inducerent. Hoc ſi voluit condemnatus, nihil dixit Attritioni quod officiat, neque quod aduerſarij in rem ſuam poſſint adferre.

habere hc num ſenſum

Sed qui aduerſarius non fauet

32. Jam verò quòd ob auctoritatem Theologorum quorundam ſentientium Attritionem ſe ſolâ cum Sacramento ad juſtificationem inducendam non ſufficere, jactitent aduerſarij, orthodoxam de Attritione ſententiam ſaltem incertam eſſe: atque adeo in praxim non debere, imò ne quidem poſſe deduci, id certè numeris omnibus abſolutum eſt terriculamentum. Imprimis enim veteres Theologi admodum pauci ſunt Attritionis aduerſarij, & ferè ij qui olim cenſebant peccati culpam poteſtate clauium non deleri. Ex hâc autem hypotheſi, quæ in Florentino Concilio eſt condemnata, mirum non eſt, errorem hunc etiam eos traxiſſe, & aſſeruiſſe Attritionem ad juſticationem non ſufficere, quam judicabant ne in Sacramento quidem, clauium poteſtate conferri, ſed ſoli Contritioni à Deo tribui. Alios autem qui poſt Tridentinum ſcripsêre Theologos contraria ſentientes, ad duos fere reducit Yſambertus, coſque cùm nominauit, non immeritò interrogat, *ſed quid inter tantos?* quaſi dicat, tam præclaros inter Theologos, non partium ſtudio præoccupatos, omnium ordinum viros eadem ſentientes, auctoritate toti orbi conſpicuos, numero propemodum infinitos quanti, æſtimanda eſt duorum hominum ſententia, & pauculorum acclamatio, quibus

Pauci ſunt contraria ſententiæ veteres Theologi.

Yſamb. de Pœnit. Diſp. 14. art. 9.

istud in hisce similibusque causis præstitutum videtur solummodo, duces sequi, etiam quos errare cognouerint?

Theologi sententia alicui aduersantis opinio, non facit incertum, quod antè fuit certum.

Deinde istud profectò nimis insulsum est, asserere, quoties Theologi alicujus opinio sententiæ certæ & indubitatæ aduersa exoritur, illico hanc de certâ in incertam degenerare: nisi rationes eas afferat, quibus sententiæ indubitatæ rationes aut conuellat penitus, aut saltem probabiliter labefactet. Atqui quotcumque hactenus ab auctoribus contraria sentientibus allatæ sunt rationes, sententiam de Attritionis cum Sacramento energiâ, adeo non labefactant probabiliter, vt ne contingant quidem. Ostendimus enim Tractatu præcedente, falsis hypothesibus nixa esse omnia, quibus machinas suas superstruunt: nempe Attritionem non esse voluntariam, esse coactam; non detestari peccatum sed potius reipsâ illud expetere; ex eâ denique vniuersæ legis obseruantiam non deduci. Quæ omnia cùm falsa & ficta esse demonstrauerimus, & contraria omnia ostenderimus Attritioni veræ esse ingenita, jam sanè manifestum est, Attritionem veram non oppugnare auctores illos qui efficaciam in Sacramento illi detrahunt, sed phantasticam aliquam Attritionem eos impetere, quam sibi à se impugnandam, pro suo libitu essinxerint, non verò eam quam Sancta agnoscit Ecclesia, suâque auctoritate confirmat. Hinc est quod eorum auctoritas, quantacumque demùm sit, nihil quidquam de certitudine detrahat sententiæ in Ecclesiâ indubitatæ. 33. Tract. 13. §. 6. 7. 8.

Aduersariorum rationes non impetunt, nec tangunt veram Attritionem, sed aliam quã sibi fingunt vt impugnent.

Certitudo sententiæ orthodoxæ habetur ex consensu & praxi communi totius Ecclesiæ.

Indubitatam autem facit Attritionis cum Sacramento energiam præter Theolorum communem consensum, vsus ipse & praxis Ecclesiæ toto orbe diuulgata, & inter omnes omnium nationum Christianos vsitata. Etenim hæc sententia passim in Catheciſmo pueris & rudioribus, conscis Episcopis, & Pontificibus adeo non reclamantibus vt eam etiam Catheciſmo Romano inseri voluerint, vbique gentium hactenus fuit proposita. Rursus à Confessariis in sacræ exomologesis foro passim & vbiq; fuit admissa, & Sacramentalis Absolutio attritis omnibus hactenus concessa, nemini denegata. Et dicere quisquam audeat, omnes hactenus egisse perperam; & quod peius est, Christum permisisse, vt tot jam annis Ecclesia pene tota cæcutierit & errauerit, in materiâ grauissimâ Sacramenti, à quâ infinitarum propemodum Confessionum valor, & justificatio sincerâ & bonâ 34.

fide

fide pœnitentium dependebat? Sanè qui tantam labem Ecclesiæ posse obrepere, tantamque in re tam graui & sanctâ cœcitatem oculis pro Christi grege vigilantibus posse induci crediderit, ne is mihi succenseat, si liberius dixero, eum præ nimio affectionum impetu cœcutire, nec satis sobriè sapere.

Item Concilij Tridentini auctoritas.

35. Rursus indubitatam facit Attritionis energiam, quod Catechismus Romanus jussu Pij V. editus, vti vidimus suprà nu. 17. hanc sententiam vocet *Fidei Catholicæ doctrinam*, item *omnibus credendam & constanter affirmandam.* Denique *de quâ minimè dubitandum sit.* Poteratne hæc sententia magis indubitatim populo proponi? Magis tamen indubitatam facit ipsius Concilij Tridentini sacro-sancta auctoritas: quæ in Proœmio sessionis 14 in quâ quid de Attritionis efficaciâ sentiendum sit, exponitur, declarat omnia à se tractanda, esse *Catholicam veritatem & quam nunc Sancta hæc Synodus Christianis omnibus perpetuò seruandam proponit.* Adeo vt ex hisce verbis, non tantùm ea esse de Fide obligante quæ Canonibus solis, sed & ea quæ capitibus continentur, non incommodè possit inferri.

Trid. sess. 14. in proœmio.

Etiamsi forte non sit de Fide, non tamen ideo est incerta.

36. Quid, quòd ex dictis, præclari admodum Theologi intulerint adeo indubitatam esse de Attritione sententiam, vt etiam de fide obligante velint esse? Verùm huic rei non inhæreo. Instituto meo sufficit, *adeo certam esse* judicio Francisci Suarez, vt supra vidimus n. 27. vt non possit absque errore negari, Istud enim diligenter est obseruandum, non illico incertum esse id quod de Fide obligante non est, Et hâc ratione dementantur rudiores non rarò, aut potiùs iis imponitur, dum, vt ipsos omni Attritionis vsu interdicant, eosque ab eâ deterreant, hâc eos argumentatione circumueniunt. Non est, inquiunt, de Fide, Attritionem cum Sacramento peccata delere; imò sunt Theologi qui docent non delere; igitur vt minimùm incerta est hæc res. Non igitur vmquam reconciliandis peccatis adhibenda est Attritio, ne Sacramentum pœnitentiæ, quinimo salus ipsa æterna periculo committatur; quod omnino nefas est, cum certior ad reconciliationem via facilis sit, & cuique ad manum. Ita illi.

Hic n. 27.

Paralogismus quo ab aduersarijs circumueniuntur rudes.

In ipsos retorquetur melior argumentatio.

37. Quibus antequam respondeam, libet illis aliud argumentum proponere, quod fortasse haud paullò majorem eis, quàm quod ab ipsis obuolutum est Attritioni, si dictis suis stare velint, adferet molestiam. Et quidem sic rationem instituo. Certum est imprimis,

imprimis, de Fide obligante non esse ipsorum sententiam, quæ statuit Attritionem cum Sacramento ad reconciliationem non sufficere: imò ex aduerso, etiam ipsis, certum est, hæreticum non esse qui docet sufficere; hoc enim nemo vnus ipsorum dixit. Ex alterâ verò parte, non est certum, contrariam id est nostram sententiam non esse de Fide; ac proinde certum non est, non esse hæreticam opinionem quæ statuit Attritionem cum Sacramento non sufficere. Nam plures & maximi Theologi existimant hæreticam; & qui verba Tridentini sæpius allata penitus considerat, vt minimum debet fateri, admodum esse probabile, sententiam Attritionis efficaciæ repugnantem, esse Tridentino contrariam, ac proinde probabiliter esse hæreticam. Unde cùm apud ipsos idem sit esse dubium aut incertum, & esse probabile; etiam incertum est an ipsorum sententia non sit hæretica. Nunc verò ipsos amicè interrogo, quâ ratione mordicùs adhæreant sententiæ, quam ipsis incertum est an non sit hæretica, cùm alia ad manum sit, cui sine vllo hæreseos incurrendæ discrimine possunt adhærere? An non hoc est æternæ salutis periculum, sponte & prudenter adire? Et quidem si rem non tumultuariè sed seriò introspiciant, argumentum propositum potentiùs vrget in eorum sententiâ, vtpote qui semper clamant, tutiora sequenda esse; id sanè aduersariis semper in ore est. Id profectò si verum censeant, auctor ipsis sum, vt conscientiam suam, quamuis hâc parte errantem, nihilominus sequantur, & depositâ sententiâ, quam nullo modo mirum foret esse hæreticam, eam sequantur quæ nulli hæreseos suspicioni est exposita, præsertim cùm ipsimet doceant, errore inuincibili neminem à peccato excusari; quod saniores Theologi verum judicant in errore voluntario, qualem hîc intercurrere vehementer suspicor. Hæc per transennam & cursim dicta sint, non tamen cursim ponderanda.

Non omne quod de fide obligante non est incertum est.

38. Nunc verò ad propositum de orthodoxæ sententiæ certitudine argumentum, breuiter respondeo. Etiamsi ea de fide non foret (quod sanè ego non vrgeo,) tamen non id à Theologo homine dici debere, idcirco esse incertam. An enim nihil quidquam Theologicè certum est, nisi quod Fide obligante credendum proponitur? De fide obligante non est, vti fatetur D. Thomas, B. Virginem cum corpore in cœlum assumptam, an ideo certa

certa non est hæc res, aut quisquam incertam esse ausit dicere? Plurima sunt eiusmodi quæ in Ecclesiâ censentur indubitata, neque tamen sunt de fide obligante: eaque adferre foret perfacile, nisi Theologis passim essent perspicua. Aliud sanè est incertum quid esse aut certum, aliud verò de Fide obligante. Incertum est, cui assensus meritò & ratione bonâ potest denegari. Certum est, cui immeritò quidem & non nisi per errorem denegatur assensus, errore tamen eiusmodi qui culpæ à Deo non deputabitur. Hinc qui in ipsâ meridie Solem non lucere mordicùs pugnauerit, immeritò quidem nullâque ratione bonâ id facit; hinc etiam errore omnibus deridiculo implicatur; non tamen idcirco Diuinam incurrit offensam, quòd nulla ei id credendi à Deo posita sit necessitas. Fide verò obligante certum est id, cui nec meritò possis fidem denegare, & cui præterea dissentire sine crimine mortali non liceat. Hanc quæso certitudinis diuersitatem studiosiùs aduersarij introspiciant; neque tam facilè & projectè dicent, incertum esse quidquid non est de fide obligante; neque ex eo capite, quòd fortassis non sit Fidei, incertam contendent sententiam, quam tot nominibus ostensum est in Ecclesiâ Catholicâ constantem esse, Concilij vniuersalis decreto firmatam, vsu totius orbis Christiani receptam, Theologorum denique optimorum calculo approbatam, tamquam certam omnino & indubitatam.

Differentia inter id quod certum est simpliciter, & id quod certum Fide diuina seu obligante.

§. IV.

Tutum omnino & securum esse Attritionem absolutioni præmittere, etiam in articulo mortis. Neque tunc ex præcepto, securiora salutis remedia esse conquirenda; & sufficere quòd assumantur secura, euidenter demonstratur.

39. HÆc cùm ita sint, indubitatam inquam Attritionis esse cum Sacramento efficaciam cùm jam constet, facilè nunc erit scrupulum quemdam hominum mentibus eximere, quem tamen tamquam saxum ingens, imò rupem insuperabilem, hisce die-

Rationes quare aduersarij statuant, saltem vltima Con-

fessioni non esse adhibendam Attritionem.

bus aduersarij populo obuoluebant, non sine plausu, sibi suisque facilè acclamantium. Quamquam enim ita sit, inquiebant, neque negari possit, Attritionem Confessionibus quæ passim totâ vitâ instituuntur, rectè & legitimè inseri, tamen exomologesi vltimæ, quæ in mortis articulo aut periculo fit, nullo prorsus modo est adhibenda. Tunc enim de toto salutis æternæ negotio agitur, quod non nisi per summam imprudentiam, minimo etiam periculo committitur. Et verò lex ipsa charitatis, quâ sibi quisque obstringitur, id exigit, vt certissimo sibi salutique suæ modo quis consulat, tum præsertim cùm certissima illi acquirendæ patet via. Certissimam autem reconciliationi cum Deo ineundæ rationem, Contritionem aut actum charitatis esse, cùm omnibus omnino sit in confesso; omnibus sanè, tum præsertim dum ab eâ reconciliatione pendet æternitas felixne futura sit an infelix, ab hâc morituro petendum est præsidium, si prudenter agere vult rem tantam. Contritio autem aut Charitatis perfectæ actus facillimè exerceri cùm possit, vt quid ad Attritionem temerè recurritur? Multis hanc spartam exornant verborum floribus, & Rethorum pigmentis aduersarij, populo vt ne displiceat. Detrahenda solummodo est larua, & fuci detergendi, vt cunctis pateat de re quid sit.

Alia est quæstio, an circa finem vitæ exercenda sit aliquis actus Charitatis, alia verò an is Confessioni vltimæ debeat inseri, vt Confessio hæc bona sit.

Et ne diuersitate quæstionum controuersia instituta intricetur, 40.
fateor communissimam esse Theologorum opinionem, hominem circa mortis articulum obstringi, vt actum Amoris Dei supra omnia dilecti nitatur elicere. Cum enim inquiunt, lege diuinâ cautum sit, vt Deum homo reipsâ aliquando diligat super omnia, nec tamen vllum à lege præscriptum sit tempus quo in hunc amoris actum debeat assurgere; sanè videtur admodum rationi consonum, vt huic præcepto parere debeat, eo in articulo constitutus, post quem nulla Deum in hâc vitâ super omnia diligendi dabitur opportunitas. Probabilis inquam est hæc oratio, neque jam de præcepto hoc examinando instituitur disputatio. Non inuoluatur itaque actus hic Charitatis, cum eo de quo agimus; illo inquam qui Confessioni vltimæ est adhibendus; quem aduersarij volunt necessariò debere esse actum Contritionis perfectæ vel Charitatis, vt legitimè instituatur vltima Confessio. Hoc certè ex præcepto Charitatis in fine vitæ excitandæ, non sequitur. Posset enim quis vltimam Confessionem attritus instituere;

tuere ; & post nodum in mortis articulo, aut intermedio aliquo tempore, actum Charitatis exercere, si hic ex præcepto requiritur.

Vltimum negamus.

41. Hisce ritè dispunctis planior curret oratio, & non parua veritati oborietur lux quæ non modicè obducebatur, dum vtrumque Charitatis in articulo mortis exercendæ actum, confundunt aduersarij, & ex vnius necessitate, inferunt secundi præstationem. Itaque iterum dico, me quid sit de actu Charitatis in fine vitæ exhibendæ, an scilicet lege præceptoúe diuino sub mortalis offensæ interminatione, tempus istud eiusmodi amori sit præstitutum, nolle disputare; non enim id nunc agimus. Hoc agimus, an actus ille Absolutioni vltimæ necessariò præmittendus sit; siue vt intelligamur clariùs, an peccati mortalis fiat reus, qui Confessioni vltimæ Attritionem sciens prudens interserit, eâque sese ad Absolutionem recipiendam disponit? Hoc inquam clarè edicant, an sic Attritus, confitendo peccet mortaliter? Quòd si tam atrox Confessioni illi impingere non audent conuitium, vt quid igitur Attritioni, eo in articulo exercendæ, nequidquam obstrepunt? Sin autem peccati mortalis Confessionem illam condemnent, cedo præceptum, legem affer, quâ diuino jussu ab vltimâ Confessione Attritio proscribatur, quæ toto vitæ tempore Confessionibus adhiberi permissa est. Rursus cedo tabulas, quibus jurisdictio Sacerdotibus eo temporis articulo sit ablata, aut certè constricta. Non enim, vt aliàs, peccata quoad culpam absoluentur eo in rerum statu vi Clauium, sed Contritionis. Certè legem nullam de hâc re à Christo aut ab Ecclesiâ latam vsquam inuenient, quæ nusquam est. Cur ergo fingitur obligatio, cuius nulla exstat lex?

quia nulla de hac re, à Christo aut ab Ecclesia lata est lex.

Nequidem ex lege charitatis propriè obligamur quærere quod securius est.

42. Extat inquiunt à ratione ipsâ naturæ insculpta lex, imò innata, quâ quisque saluti suæ debet prospicere, & quidem modo quàm potest optimo & securissimo. Certius autem saluti obtinendæ remedium est Contritio quàm Attritio; adhibenda itaque est illa, respuenda hæc. Aries est hic aduersariorum validissimus, quo Attritionis vsum impetunt, ictu tamen debili admodum & imbecilli. Non caret tamen omni artificio. Veris enim dum miscentur falsa, aliqua saltem roboris species, veritatisque color, carioso obducitur argumento. Vera itaque à falsis separemus, & tota illico moles corruet. Fateor ergo naturæ legem id exigere,

vt

vt quisque sibi de salute caueat; rationique id esse congenitum, vt mali incurrendi discrimen nitatur euadere. Fateor etiam contra prudentiæ leges peccaturum eum, qui facili certoque remedio id dum potest consequi vt malum euitet, incerto tamen & dubio, salutem corporis, multò ergo magis animæ, temerarius sponte committit. Vera inquam sunt hæc omnia. At verò cùm duæ suppetunt ad salutem viæ, ambæ certæ, securæ ambæ, ambæ indubitatæ, eam tamen quæ certior est, ex lege charitatis sibi debitæ seruandam esse, hoc sanè penitus nego. Nego inquam peccaturum aut mortali aut etiam veniali crimine, quisquis dum certo insistit itineri, istud deserit quod aut est, aut alii saltem dicunt esse securius. Nisi forte eos omnes statuendum sit peccare mortaliter, qui Antuerpiâ Bruxellam commeantes, nullo impensarum, aut commoditatis respectu, sed tantùm quia sic lubet, vitam nauigationi committunt; cùm iter istud terrestri viâ possint conficere, quæ & securior est sine dubitatione vllâ, & sæpe etiam haud paullò commodior. Rursus lethale committet crimen, qui ex Belgio transmissurus in Angliam, è duabus nauibus quæ vela facturæ in portu stant, validæ ambæ, & de quarum firmitate nulla epibatas inter reique maritimæ expertos est dubitatio, eam tamen non conscendit quæ recentior est, & quam si spectentur omnia, judicarent nautæ, si forte hac de re incideret disceptatio, præ alterâ firmiorem. Profectò si toties peccarent homines, quoties sibi vitæque suæ, modo & viâ que inter omnes est securissima, non prospiciunt; quàm perplexa peccatisque expositа esset mortalis vita! Etenim & quas inhabitamus ædes, non adeo firmæ sunt vt firmiores non sint aliæ & lapsui minùs obnoxiæ: nec cibi quibus quotidie vescimur tam sunt sani, vt salubriores iis, tuendæ vitæ non prostent, eodem & fortè minori etiam pretio venales. Atque hæc omnia sedulò inuestiganda forent, si lex charitatis sibi debitæ præciperet non nisi certiores securioresque vias sanitatis & vitæ conseruandæ ineundas, tum cùm præcipit vitæ propriæ valetudinisque curam gerere. Hoc autem aphorismus ille præcipit: cuius falsitas ex eo demonstratur, quòd præcepta siue diuina siue naturalia, non obligent nisi humano modo, seu secundùm hominum conditionem. *Juxta quam* vt sapientissimè ait Cardinalis Lugo, *nemo obligatur ad exquisitam mediorum inquisitionem & metaphysicam diligentiam, sed ad*

Si istud assumitur quod est securum

Probatur in euitando vita periculo.

Lugo D. 7. Pœnit. sect. 13.

ad humanam & moralem. Hanc autem adhibuit, quisquis inuenit id quod securum est, quamuis aliud fortè datur securius.

43. Quòd si autem aliam dicis adhibendam animæ seruandæ sollicitudinem, aliam corpori. Fateor id ita esse. At ego dum de corporis habendâ curâ sermonem instituo, non ago tam de conseruando corpore, quàm de mortali peccato incurrendo, nisi ea quam dixi corporis geratur cura: neque enim magis licitum est mortali sese scelere polluere, conscendendo nauim firmam, desertâ ea quæ judicatur firmior, quàm in vltimo ex hoc mundo ad æternitatem transitu, Attritioni cum Sacramento se committere, non adhibitâ Contritione. Hoc autem si peccatum est atque animæ naufragium, certè & ista nauis conscensio peccatum erit atque animæ ruina. Quod tamen nemo prudens dixerit. Infinitis hæc euentibus in commercio humano passim occurrentibus possunt confirmari, in infinitum rem trahere si collibeat.

Non magis licitum est peccare in conseruandâ vitâ corporis quam animæ.

44. Si tamen in rebus Theologicis, animæque salutem pressiùs spectantibus, aphorismi ab aduersariis propositi futilitatem placeat perspicere: age, ita sit vt tu vis, & certiora circa finem vitæ adhibenda sint remedia; minùs autem certa admouere nefas sit & peccatum. Itaque Contritio quia præ Attritione certius est salutis adipiscendæ præsidium, necessariò in exomologesi vltimâ requiratur; & vide quantis te & pœnitentem difficultatibus irretias. Imprimis quantumcumque speculatiuè certum sit & de fide, actui Charitatis aut Contritionis omnia peccata etiam sine Sacramento condonari, tamen istud numquam est certum, practicè ab hoc pœnitente Charitatis aut Contritionis actum fuisse elicitum. Quantumcumque enim illum actum conatus fuerit excitare, incertus tamen est de euentu. At verò si bis, si centies, si millies eundem actum summâ animi contentione repetierit, securior esse poterit, se millenis repetitis vicibus, semel saltem ad verum Contritionis aut Charitatis actum fuisse enisum, quàm si primo à se elicito actui penitus acquiescat. Itaque cùm in vltimo vitæ periculo, idcirco Contritionis actum, absolutioni moribundus, sub mortalis peccati interminatione obligetur præmittere, quia certius est Contritio præ Attritione salutis remedium: jam sanè non ad vnum solummodò Contritionis actum, sed ad millenos excitandos, præcepto charitatis propriæ obstringetur; cùm securius & certius salutis remedium sint millies repetiti actus, quàm vnicus,

Probatur secundò ex incommodis inde obortis ipsi morienti.

Primò enim debebit moribundus non vnum tantùm Charitatis actum, sed plures ex præcepto excitare.

de quo incertissimum est an Contritionis apicem attigerit; magisque securum sit, inter tam multos, vnicum saltem id assecutum. An tamen vnus omnino in orbe Christiano est Theologus, qui talem moribundis obligationem asserat incumbere, etiamsi eam ad decem tantùm actus extenderit?

Secundò debebit morituro in ipso mortis articulo absolui.

Deinde securius esset morituro homini Absolutionem impertiri, dum iamiam excessurus est è vitâ, quàm eam aliquo ante tempore, pridie v.g. impendere. Potest enim peccatum aliquod exinde contraxisse: quod quamuis ignoret, tamen sunt qui aliquam ignorantiam inuincibilem non excusant à peccato; & hi etiam docent securissimum, saltem in fine vitæ remedium esse peccatis adhibendum. Itaque cùm securius sit in ipso mortis articulo à peccatis absolui, quàm aliquot antè horis; jam sanè debebit eam moribundus, eo sibi tempore largiendam, à Sacerdote postulare. Et rursus cùm eam petere moribundus planè obstringatur, debet profectò Sacerdos proprius aut Parochus, eam à se justè exigenti, etiam ex justitiâ impendere, vt præcepto securiora adhibendi salutis remedia, moriturus satisfaciat. An autem hoc vsquam vsurpatur, vt Parochus ægris passim vltimum trahentibus spiritum Absolutionem impertiat? An omnis Parochus articulum illum sedulò operitur? an omnes Christiani peccati mortalis rei sunt, qui Sacramentis omnibus piè susceptis, sine Sacerdotis præsentis adminiculo efflant animam? Hoc si ita sit, sanè magna pars orbis Christiani periit, & plerique quibus animarum ex officio incumbit cura, Sacerdotes sunt condemnandi, qui passim sic homines emori non ignorarunt, nec tamen eos admonuêre officii, nec ipsi recordati sunt sui. Quàm autem omnia hæc sint absona, quis non videt: & tamen aphorismi ab aduersariis pronuntiati, legitima sunt consectaria. 45.

Tertiò, non poterit sine peccato in vltimâ Cõfessione conari excitare Contritionem sed Attritionem.

Quid, quòd euidentissimè demonstraturus sim, ex illò principio manifestè sequi, non licere moribundo in vltimâ Confessione eniti vt Contritionem eliciat, sed omnes animæ vires ad id impendendas, vt Attritio excitetur Absolutioni præmittenda. Hoc autem si ostendo, an non tunc saltem principii illius constabit ineptia, ex quâ tam absurda elicitur consecutio, eorumque sententiæ è diametro oppositæ? manifesta tamen est res, si, quod nemo quisquam diffitebitur, longè præstantiorem, magisque arduum esse actum amoris Dei super omnia dilecti, præ Attritionis actu. 46.

mihi

mihi concedatur. Maiori ergo etiam nisu animi, maioribusque Gratiæ supernaturalis auxiliis opus est, vt Charitatis actus aut Contritionis perfectæ, quàm vt Attritionis excitetur. Hoc cum ita sit, profectò facilius est homini Attritionem elicere, quàm Contritionem. Et si alterutram præcipiatur excitare, Deo aut rationi vt obediat, prudenter sanè operi illi manum admouet, quod suis viribus magis nouerit attemperatum. Sic si puero imperetur, vt aut saxum mediocre eleuet, aut aliud ingens quod fortè præ foribus obiacet, patris offensi gratiam adepturus, alterutrum si attulerit; sanè nemo ibit inficias, prudentiùs acturum puerum, si saxum moliatur, quod sibi certum est vires suas præ altero minùs excedere. Non alio certè modo, cùm istud satis constet, magis arduam esse Contritionem quàm sit Attritio; & alterutra cum Sacramento, reconciliationi ineundæ & Deo placando cùm sufficiat, dicendus est prudentiùs agere pœnitens, si operam ei det actioni, ad quam proferendam, minori & conatu & gratiarum supernaturalium auxiliis opus est. Prudenter enim judicat, minores sibi quàm majores gratias præsto esse. Jam verò rationem meam sic instituo. Moribundus, vt volunt aduersarii, saluti suæ vt consulat, necessariò eligere debet eam pœnitudinem, de quâ certior & securior est eam sibi profuturam. Atqui id etiam falè fatebuntur, neque Contritionem, neque Attritionem quidquam pœnitenti collaturam præsidii, nisi aut hæc aut illa à moribundo reipsâ excitetur. Itaque moribundus saluti suæ vt consulat, necessariò eligere debet eam pœnitudinem, de quâ certior & securior est; seu de quâ prudentiùs judicat, eam si conetur, certiùs à se excitandam. Rursus verò, prout ostensum est, prudentiùs judicat pœnitens Attritionem à se certiùs præ Contritione posse elici: igitur prudenter judicat, Attritionem sibi securius & certius futurum saluti consequendæ remedium. Vnde cùm in vltimâ illâ Confessione necessariò adhibendum sit quod est securius, vt volunt aduersarii, necessariò Attritionem solam Absolutioni recipiendæ debet præmittere, peccaturus profectò grauissimè, si hâc relictâ, Contritionem elicere moliatur. Egregiam enimuerò principii ab aduersariis allati consecutionem! En vt Contritionis in vltimâ Confessione vsum omnem abolent illo ipso dogmate, quo eam ex præcepto & lege charitatis propriæ, illi per vim voluerunt inserere. Neque dicas Contritionis eliciendæ studium esse secu-

Securior est moribundus se cum gratiis quas habet, Attritionem posse elicere, quam Contritionem.

rius ex hoc capite, quòd actus ille si à Contritionis perfectione deficiat, saltem futurus sit Attritio. Frustrà enim id dicitur, cùm Contritio ab Attritione, essentiâ suâ, quæ ex motiuorum differentiâ petitur, prorsus distinguatur: atque adeò nec Attritio vmquam ad Contritionis naturam, quantumcumque excrescat, possit euadere; nec Contritio in Attritionem, quantumcumque decrescat, possit degenerare. Vide Suarem. Suar. in 3. P. q 85. a. 1. disp. 5. sect. 3.

Sufficit prudenter agere quocumque tẽpore, vt legi charitatis propria fiat satis.

Plurima sunt eiusmodi, ex quibus principii illius toties declamati, & modis omnibus inculcati, nimirum saltem in mortis horâ, tutiora & certiora salutis remedia esse conquirenda, falsitas demonstratur. Consilij id quidem esse, non in mortis tantùm articulo, sed toto vitæ curriculo saluti suæ per tutiora incumbere, fateor perquàm lubenter; præcepti verò id esse, hoc semper nego. Nullo enim tempore, aliud quidquam Deus aut ratio exigunt, quàm vt agamus prudenter: prudentiùs autem agendi, nulla est lex. Demonstratum, id est hic num. 42. sufficit ergo ea remedia adhiberi, quæ tuta sunt & secura, ea denique cui prudenter acquiescit animus, neque vllâ dubitatione futuri effectûs distinetur: hoc enim est prudenter agere. Tuta autem dum obtingunt, de tutioribus inquirendi nulla nobis à Deo aut à ratione imposita est lex, aut necessitas. Jam verò certum & indubitatum est, Attritionem veram cum Sacramento sufficere. Certius & de fide quòd sit, Contritionem id etiam præstare, hoc nihil quidquam Attritionis virtuti & energiæ detrahit. Certo autem & indubitato salutis præsidio qui inhæret, non est cuòd sibi de securitate quidquam metuat. Istud enim homini sic attrito dicam, quod, vt supra vidimus, D. Augustinus Catechumeno cum Attritione ad Baptismum accedenti. *Deo gratias frater: valdè tibi gratulor & gaudeo de te, quòd in tantis tamque periculosis hujus sæculi tempestatibus, de aliquâ verâ & certâ securitate cogitasti.* Si autem Baptismus, cuius suscipiendi sola dispositio fuit Attritio, veram & certam securitatem præstare potest baptizato; certè cum Attritio non minor sit dispositio Absolutioni percipiendæ legitimè, de verâ & certâ securitate non est vllo vmquam tempore dubitandum, de cujus efficaciâ nullo vmquam tempore quidquam detrahitur. 47. Hic n. 15.

§. V.

§. V.

Quo sensu Attritio à Tridentino dicatur imperfecta Contritionem præ Attritione non esse coram populo indiscriminatim inculcandam; sed vtramque generatim commendandam: particulatim verò, pœnitentibus à Sacerdotibus proponendam, pro pœnitentis dispositione. Censura Sorbonæ contra aduersariam sententiam lata.

48. VNus aut alter supereſt nævus, qui Attritioni inſpergitur: diffiandus is eſt, ne quidquam eius candori & ſinceritati officiat. Cauſantur aduerſarii, iſtud ſaltem conſtare Attritionem imperfectam eſſe, Contritionem verò eſſe perfectam; ita certè à Tridentino appellantur. Secundò, efficaciorem eſſe ad delenda peccata Contritionem, quod nemo vocat in dubium. Jam verò, cùm ad perfectiora contendere Chriſtiani hominis ſit officium; & ad efficaciora remedia confugere prudentioris; hoc ſaltem exinde conficitur, Contritionem præ Attritione omnibus commendandam, & ſuadendum vt in illam incumbant: vt amoris beneuoli & amici nexu ſeſe Creatori ſuo, à quo receſsêre conſtringant, eiusque ſibi gratiam, amando ſtudeant demereri.

49. Probabilis admodùm eſt hæc oratio, & ſi quædam rectè explicentur, omninò veriſſima. Ne tamen vlla exinde Attritioni creetur inuidia, iſtud primò exponendum eſt (ne fortè vox *imperfecta* perperàm intellecta, rudibus ſit offendiculo, dum malum aliquod aut vitium crederent ſubeſſe rei quam imperfectam eſſe audiunt) imperfectum aliquid eſſe, dici dupliciter. Aliud enim eſt negatiuè imperfectum, aliud priuatiuè. Priuatiuè imperfectum eſt, quod aliquâ priuatur perfectione, quæ tamen ipſi competit. Sic imperfecta eſt domus aut ſtatua, quæ numeris omnibus non eſt abſoluta, nec ea habet lineamenta aut partes, quæ in ſtatuâ aut domo requiruntur. Sic vir brachijs aut pedibus priuatus, aut membris diſtortis maleque compoſitis, corpus dicitur habere imperfectum: atque eiuſmodi perfectionis aut ſpeciei priuatio, rectè dicitur mala, & vitium rei; phyſicum quidem, ſi res ſpectetur phyſicè;

Aliud eſt eſse imperfectum priuatiuè, aliud negatiuè.

physicè; morale autem, si in ordine ad mores consideretur. Atque hoc titulo, qui caret v. g. virtute temperantiæ, quæ tamen in viro frugi requiritur vt sit perfectus, imperfectus dicitur, & quidem priuatiuè. Negatiuè autem imperfectum dicitur, quod non omnem quæ dari potest perfectionem obtinet, habet tamen sibi naturæque suæ competentem. Sic argentum perfectum metallum est, quamuis non eam habeat, quam aurum, ab excellentiâ commendationem. Neque homo, perfectus homo non est, quamuis ei denegata sit Angeli perfectio. Imò nec is qui membra habet decorè composita, imperfectus est vir, licèt ei data non sit formosissimi vultûs species, aut robur Miloniano non absimile. Negatiuæ sunt imperfectiones hæc, & quæ nullum afferunt rebus vitium. Rectè enim hæc duo consistunt, non habere perfectionem omnem quæ dari potest rebus, & tamen habere quidquid ad naturæ suæ perfectionem exigitur. Sic igitur Attritio imperfecta est, non priuatiuè, quasi ei quidquam vitij insit, aut quidquam desit quod ad Pœnitudinis veræ naturam & essentiam requiritur: sed quòd nec tam grata sit Diuinis oculis, nec tantæ ad reconciliationem inducendam, delendaque peccata virtutis & efficaciæ, quàm sit Contritio; quandoquidem hæc sola gratiæ inducendæ sufficiat; Attritio autem id non possit, nisi Sacramenti vi suffulta. Ne tamen exinde, quia debilior, vitiosam suspiceris: habet enim ad Pœnitudinem perfectam requisita omnia. Et hoc quidem ex eo apparet euidenter, quòd per Absolutionem ad delenda penitus peccata possit eleuari; non posset autem, nisi perfectus esset actus veræ Pœnitentiæ,

Attritio imperfecta negatiuè.

Non est hominis priuati discernere quid magis commendandũ sit populo, Contritio an Attritio.

Ad secundum verò, nempè quod Contritio Attritione sit efficacior, ac proinde omnibus præ Attritione magis commendanda & inculcanda impensiùs: Respondeo *Primò*, quòd eodem jure quo Contritionis in actum deducendæ praxis, præ Attritione hominibus magis commendanda hodie adstruitur, etiam Christo proponendum olim fuisse dum Ecclesiam instruebat, ne Confessionis Sacramentum sic institueret, vt homini liberum relinqueretur, an ad eam per Contritionis, an verò per Attritionis actum se disponeret. Imò suadendum ei fuerat, vt Confessionis Sacramento penitus intermisso, soli Contritioni peccatorum omnium curationem committeret: neque rationes defuissent, quibus id ei poterat saltem amicè proponi. Verùm, cum vtrumque Christus 50.

insti-

instituerit peccati eluendi genus; quid quæso homunciones nos, cæci & miseri volumus discernere, vtrum altero sit commendabilius, & quid ad curandos peccatores opportunius, quorum tanta est diuersitas? Commendemus sanè quidquid Christus instituit; nostrum est omnia salutis adjumenta à Christo nobis porrecta, cum summâ submissione animi & gratiarum actione accipere, non autem inter beneficia Diuina discernere, & quasi litem mouere vtrum vtro sit præstantius; præsertim dum hoc sit cum ingenti vnius, à Christo tamen præstiti beneficii, præjudicio.

51. Respondeo *secundò*, verum quidem esse Contritionem si cum solâ Attritione comparetur, hâc efficaciorem esse, peccati culpam vt deleat: non verò si cùm Sacramento composita attendatur. Dico itaq; Attritionem cum Sacramento æquè efficacem esse ad delendam culpam, quàm sit Contritio: vtraque enim delet omnem.

Tam efficax est Attritio cum Sacramento vt deleat culpam, quàm Contritio.

52. *Tertiò* denique respondeo, etiamsi fortassis aliqua delendis noxis major ineset Contritioni energia, non illicò dicendum esse, hanc præ Attritione passim & vbique populo magis esse commendandam; præsertim cum Attritionis non modico despectu. Despici enim credit populus quidquid alteri postponitur. Imprudenter, inquam, instituitur hæc comparatio; & generatim cùm sit, satis temerè. Nam vt ita sit, medicinam quandam esse dulcem admodùm & suauem quæ morbo curando sit par, imò & præstantior aliâ quæ absynthium redolet & amarùm spirat: an suauis isthæc potio, omnibus illicò & passim est commendenda? Atqui infiniti sunt stomachi, quibus nauseam creat, quidquid dulcedinis præfert speciem; sunt etiam, quibus suauia in bilem degenerant; sunt denique quibus tam cruda & afflicta est orexis, vt non nisi salsis & acutis esculentis excitetur: & an his omnibus dulcem quam affers medicinam credideris indiscriminatim offerendam, imò & ingerendam esse per vim? Suauis est fateor medicina, quam Dei charitas miscet: verùm hanc rusticano homini, militi efferato, barbaro, rerum diuinarum inexperto, effronti denique prostibulo, aut ganeoni sceleribus innutrito propina; affer quæ Diuinam erga se charitatem commendent, commemora quæ ejus erga Deum amorem jure meritò postulent; denique demulce hominem quantùm potes, & istud tunc attende, quantâ pœnitudine offensi tam boni Dei moueatur. Enimuerò aliis assuetus, ad teneriora ista nauseat stomachus; acutâ medicinâ

Contritio licèt efficacior, non omnibus tamen conuenientior est medicina.

Multis adhibendus est timor.

cinâ excitandus est. Igitur delictorum enormitatem & infamiam proponè, irati Dei vultus describe, pœnas inferni jam dudum promeritas ei obuolue ; & tunc denique senties quæ ei magis conueniet medicina. Neque rursus Contritionis & Charitatis actum, cuilibet homini etiam volenti, excitare tam facilè est, quàm quidam ineptè jactitant : vt quid ergo quæ facilior est medicina contemnitur? Quidquid sit, maximo sanè sapientissimoque consilio prouidit Deus, vt in Ecclesiâ, quædam quasi pharmacopœa conderetur, in quâ diuersis morbis, diuersæ quidem, conuenientes tamen singulis, reconderentur medicinæ. Vna vni est aptior; & sic temerarium planè esse judico, quænam sit aptissima, generatim velle definire. Vbi omnes bonæ sunt, laudentur sanè & commendentur omnes. Quæ autem, cui applicanda sit, despiciant id sanè medici; Sacerdotes inquam, quorum est, quid cuique pœnitenti sit opportunius, pro ægri cuiusque dispositione discernere, medicinamque pro morbi varietate, variam applicare. Ecclesiastæ interim munus est, vnam dum pro populo commendat, alteram non contemnere; auditoresque vnicè commonefacere vt vnum dum faciunt, vti Christus aliâ occasione ait, alterum non omittant.

Tam Attritio quàm Contritio populo commendanda.

Si populus in formandâ Attritione erret dedocendus est; attritio verò non dissuadenda.

Sed finis jam tandem sit. Istud enim credo jam manifestè satis omnibus esse demonstratum, commenta prorsus esse omnia, quæ de Attritionis naturâ passim, non in scholis modò, sed & pro concionibus jactata sunt conuitia. Aut si hoc durius videatur, patet nunc inquam, confictam esse Attritionem eam, quam sibi oppugnandam, telisque omnibus impetendam asciuêre; neque eam esse, quæ ab Ecclesiâ Christianis omnibus exercenda proponitur. Quòd si autem, in Attritione verâ excitandâ, rudiorem plebem errare judicabant, dedoceri poterat hic error sine vllâ Attritionis injuriâ, aut orthodoxæ sententiæ suggillatione & inuidiâ. Quæso ne medicinam pretioso Christi sanguine confectam, peccatoribusque liberalissimè propinatam, ex eorum manibus excutiant : sed eâ si abutantur, corrigatur error, & maneat medicina. Ratum istud interim constansque maneat, 1. Attritionem & bonam esse, & veram supernaturalemque animi pœnitudinem, quæ commissa scelera sincerè detestetur, sanctiorisque vitæ det initium; 2. Voluntariam esse minimeque coactam; nec seruilem & illiberalem, quamuis ex timore seruili ducat exordium, sed liberam omnino & ingenuam. 3. Denique ad reconciliationem cum offenso Deo ineun-

53.

Conclusio duorū præcedentium Tractatuū.

ineundam nullo charitatis inefficacis actu superaddito, solam cum Pœnitentiæ Sacramento sufficere; 4. Ac propterea tutò ab omni pœnitente, non toto vitæ solùm curriculo, sed & in vltimo mortis articulo, Absolutioni posse admoueri; 5. Confessionique sic institutæ, pœnitentem non posse tantùm, sed dum facta est, etiam debere acquiescere. Orthodoxa hæc est sententia, toto orbe peruulgata, & totius Ecclesiæ praxi & judicio comprobata.

54. De aduersariorum sententiâ, meum non est quidquam statuere. Judicium tamen Theologicum Sorbonæ contra propositiones quasdam Seguenot latum Parisijs anno 1638. 1. Iulii proferre me, non est quisquam mihi quòd succenseat. Teste Ysamberto Theologiæ Doctore Sorbonico & præclarissimo; & si vnus non sufficit, teste altero Moraines, ita habet decretum Sorbonæ. *Quæ tradit* (scilicet Seguenot) *de Attritionis insufficientiâ, & Contritionis ex perfectâ Charitate absolutâ necessitate ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ: & quæ addit & approbat de Absolutione: quod nihil aliud sit quàm declaratio juridica peccati jam remissi, damnauit quoque facultas; & censuit has propositiones, esse quietis animarum perturbatiuas; communi & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, & efficaciæ Sacramenti imminutiuas, & insuper temerarias ac erroneas.*

Censura Sorbonæ contra aduersam sententiam lata.

Ysamb. de Pœn. disp. 14. a. 6. Moraines in Antilansenio disp. 29. de Grat. sect. 7.

Aliud quòd his addam non est, nisi quòd cùm de veritate Censuræ hujus à Sorbonâ latâ luberet esse certioribus, eius tenorem ex ipsis Facultatis Parisiensis monumentis legitimè descriptum, & testibus obfirmatum, visum fuerit hoc anno petere. Liberaliter Censuræ omnes totius libri, quem Claudius Seguenot Presbyter Oratorii, de sanctâ Virginitate conscripserat, transmissæ sunt. Inter alias antepenultima est, ea quam fideli curâ verbotenus, prout è monumentis Sorbonæ descripta est, modò exposui. Auctoritatem autem transmissæ Censuræ legitimam dabant, hæc quæ subjiciebantur Doctorum manu propriâ subscripta nomina & testimonia. Ita habent.

Nos infrascripti Doctores sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, testamur hoc extractum esse verissimum, eique Censuræ interfuisse. In cuius rei fidem hîc subscripsimus. Datum Parisijs, die duodecimâ Martij anno 1666.

N. Pignan. L. Bail.

SEXTVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Peccata commissa rite confiteri.

TRACTATVS XV.

DE SACRAMENTALI CONFESSIONE.

Adeamus ergo cum Fiducià ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. *ad Heb.* 4. v. 16.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus (Deus) vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1. *Ioan.* 1. *v.* 9.

Quare gratia peccatori facienda, hominibus à Christo sit commissa. Qualis gratia in sacro Pœnitentiæ tribunali præstetur. Quid exigatur vt Confessio sit legitima. Quomodo facienda peccatorum enarratio. Denique quo pacto superanda omnis à confitente verecundia.

PROOEMIVM.

Non sufficit de peccatis pœnitere:

NEquidquam excussa sunt anteactæ vitæ scelera, nequidquam seriâ pœnitudine animi retractata; nisi & ad hoc allaboret Conscientia, vt eorum gratia ab offenso Numine aliquando tandem auferatur. Si enim per procacem petulantiam fauore paterno excidit puer, sanè Pædagogi munus est, non tantùm in acta clientis

tis sui inquirere, eique fœditatem rei ponere ob oculos; allaborandum ei est pro viribus præterea, irato patri vt satisfiat, puero delicti veniam impetret, eumque beneuolentiæ pristinæ demùm restituat. Hoc igitur sextum officium est eius quem Pædagogum nobis assignauit Deus, nempe Conscientiæ: illius inquam munus est, scelerum, quæ negare non potest nec verò etiam excusare, gratiam petere, infractamque tam indignè Patris optimi beneuolentiam restaurare. Attende nunc, peccator, admirandam prorsus facilitatem offensi Dei. Totum reconciliationis faciendæ negotium, ad homines ablegauit, eorumque, caussam suam commisit arbitrio, ne fortasse irati Numinis conspectum fugias. Thronum gratiæ in terris erexit, ad quem tota gratiæ dandæ, amicitiæque componendæ, deuoluta est jurisdictio. Huc igitur referenda est caussa, hîc tota decidenda & componenda est lis. Inauditâ autem caussâ cum nihil agatur legitimè, hoc nunc demum restat, vt ea fideliter pro Curiâ spirituali recitetur, sinceraque fiat criminum, quorum gratia facienda est, Confessio. Neque enim, ne in foro quidem humano, delictorum datur impunitas à Principe, nisi quorum in libello supplice facta est diserta mentio. Istud igitur quo pacto à Conscientiâ faciendum sit; Confessio inquam quâ ratione instituenda, vt sit legitima, agendum est modò. Et primò quidem quanta sit Throni gratiæ à Christo instituti jurisdictio, & quàm humanè à Christo actum sit, eam hominibus quòd commiserit, exponemus. Deinde cùm Confessionem illam difficilem gartiant hæretici, imò viribus humanis imparem, totum Confessionis faciendæ ordinem & stylum explicabimus: hoc modo calumnia impacta diluetur; patebitque omnibus quàm suaue sit jugum à Christo peccatori impositum, quod sola hominum aut improbitas, aut ignorantia facit esse difficile.

vt eorum habeatur gratia, facienda est legitima facti Confessio.

§. I.

Tribunal in quo criminibus Gratia concedenda est, rectè hominibus à Christo concreditur, vt in peccatoribus fiducia adeundi hunc thronum excitetur.

Suadetur peccatori vt thronum gratiæ supplex adeat.

OMnia nunc tandem in comperto sunt scelera, quæ sibi Deoque fidelis Conscientia, pro sibi imposito munere potuit indagare. Deplorauit miseram sortem peccator; pudet peccasse, criminis sese agnoscit reum, eaque meruisse supplicia quæ non nisi æternis ignibus sint expianda. Detestatur itaque impudentiam suam à seipso conuictus reus, amicitiæque diuinæ à se tam indignis modis violatæ redintegrationem, toto animo concupiscit. Sed quid aget? quò se vertet? quæ merita redintegrandæ gratiæ ex suâ parte poterit adferre miser homuncio? aut quos caussæ suæ patronos adhibebit, tot & tam infandis titulis, hostis Dei? Patronos certè defendendæ caussæ tam perditæ si conquirimus, aut merita nostra placando Numini si inuestigamus, desperata prorsus res est. Neque enim ad justitiæ tribunal euocanda est hæc caussa, nec ad judicii trutinam expendenda; cùm nulla prorsus defensioni justæ pateat via. Hoc cùm ita sit, atque adeo præclusus in justitiæ subselliis omnis euadendi modus, sanè ex consilio Apostoli, *Adeamus ergo cum fiduciâ thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur*, qui aliâ nullâ ratione, justitiæ seueritatem possumus declinare. 1. Ad Hebr. 4. v. 16.

Perplacet profectò opportunum in re perditissimâ consilium: præsertim dum istud attendo, quod mihi de adeundi fiduciâ insusurrat Apostolus. Quid enim quæso est in peccatore miserrimo, & tamen impudentissimo, quod quidquam fiduciæ ad adeundum hunc thronum gratiæ possit meritò suppeditare? Nihil prorsus. Sic est; conclamatum est fateor, site aspicis ô peccator; si tua intueris, actum est de te. Verùm Iudicem attende huic throno præfectum, ait Paulus, atque illico redibit animo vigor. *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetrauit cœlos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem*, seu vt D. Ambrosius, *spei nostræ confessionem* id est professionem: *non enim habemus Pontificem qui non* Ibid. v. 14. & 15.

possit

possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiduciâ thronum gratiæ. Quasi si dicat Apostolus, tam misericordem, nostrisque miseriis tam benignè indolentem judicem cùm habeamus, profectò magnis animis, magnâque consequendæ veniæ fiduciâ adeamus eum qui naturæ nostræ similitudinem induit, vt naturæ perditæ subueniret. Nec verò te Judicis nomen terreat; necdum enim justitiæ tribunal occupat, sed gratiæ throno præsidet; ex illo tamen sententiam laturus aliquando, si hunc adire neglexeris. Hæc quidem jam aliàs expendimus. Adeamus ergo si sapimus thronum gratiæ, antequam in Iudicis seueriſſimi tribunal commutetur. Adeamus inquam, dum rebus nostris ritè procurandis tempus est accommodum, *vt gratiam inueniamus in auxilio opportuno*, seu tempestiuo: erit enim aliquando tempus, vti importunum precibus lachrymisque frustra profundendis, ita & præstandæ gratiæ minimè opportunum.

Tract. 12. §. 2.

3. Neque verò hîc multis inquirendum est, vbinam terrarum hic thronus gratiæ fixus sit; scimus enim eum qui de seipso apud Joannem testatur, omnem sibi generis humani dijudicandi jurisdictionem esse concreditam; *Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit filio, vt omnes honorent filium*: scimus inquam hunc Filium Dei, quia & Filius hominis est, humanæ imbecillitatis misertum, thronum hunc in terris fixisse, suam jurisdictionem Ecclesiæ, sponsæ sibi dilectissimæ, concredidisse, eiusque exercitium Sacerdotibus, hominibus nempe, commendasse. Idque disertè docet Tridentinum hisce verbis: *Dominus noster Jesus Christus è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes suiipsius Vicarios reliquit tamquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate clauium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient.* En jurisdictionem Filii Dei communicatam filiis hominum; hominibus inquam naturæ fragilitati expositis: vt tantò majori cum fiduciâ humanos vultus subeat peccator, minùsque erubescat scelera sua confiteri homini iisdem criminibus aliquando inuoluto, aut saltem obnoxio. Quis enim non misereatur de facili, qui se miserum aut esse, aut esse posse prudens meminerit?

Ioh. 5. v. 22.

Trid. sess. 14. c. 5.

Et thronum hunc Sacerdotibus, tamquam Vicariis concredidit,

vt majori fiducia peccator ad eos, tamquam ad sui similes accedat.

4. Hinc sanè beneuolentiæ fuit maximæ, Christum neque per

se huic throno præsidere ex eoque jus dicere, neque etiam Angelis, Beatisue mentibus eum voluisse concredere. Magno inquam consilio, hominibus vicariam potestatem delegauit; vt tantò majorem peccatoribus fiduciam suggereret referendi gratiam ab iis subselliis, è quibus à mortali homine jus dici mortalibus persentiscerent. Quod si enim Humanitati suæ authoritatem illam Christus reseruasset, humana licet sit eius natura nostræque persimilis, adeoque perquàm humana & in omnem commiserationem peccatori exhibendam summoperè inflexa; glorioſa tamen est, & extra vicissitudines omnes naturæ posita; præterquam quod nullâ vmquam peccati labe fuerit implicata. Sic ergo, hominem tam glorioſum & longè supra majestatem omnem dignitate euectum, præ humanâ fragilitate, adire puduisset forsitan peccatorem gratiæ petendæ caussâ, cuius Patrem à se meminerit per summam impudentiam violatum. Hominis igitur fragilitati vt succurreret *Jesus Christus è terris ascensurus ad cælos*, jurisdictionis suæ exercitio statuit abstinere, illudque in Vicarios à se destinatos transfundere. Vicarios autem noluit aut ex Angelis, aut ex Beatorum mentium cœtu assumere; *primò* quidem, quòd corpore omni cùm careant, humanis oculis cœlestes illæ mentes peruestigari non possint: atque adeo judices ejusmodi humanis vsibus & commercio non fuissent accommodi. *Deinde*, etiamsi Diuinâ quâdam potentiâ facti fuissent aspectabiles, tamen majestate hominibus prorsus inusitatâ, cælestique quâ eas condecorari decet gloriâ, perculissent homines; & quos spe gratiæ obtinendæ debuissent ad se allicere, proculdubio dignitatis splendore nimio, à subselliis suis arcuissent. *Tertiò* denique, multum de præstandâ miseris hominibus misericordiâ detractum fuisset, si ea ab Angelis miseriarum omnium inexpertis, purisque scelerum fuerat obtinenda. Aliæ itaque creaturæ ratione præditæ cùm non sint super, ad meros homines deuoluta est ea jurisdictio: vt & facilior esset paratiorque, ab homine homini præstanda gratia, & ad eam petendam aditus peccatori procliuior. En quàm humanè Christus egerit. Tantam rem, quanta est peccatoris cum Deo reconciliatio, homini concredidit, vt peccatori fiduciam faciat judicis similitudo, humanoque commercio inita familiaritas. An autem de gratiâ obtinendâ desperandum est, vbi sanguis noster est qui judicat?

Cur Christus Humanitati suæ, aut Angelis aut Sanctis potestatem eam non reseruarit?

Ratio prima

Secunda

Tertia

Adeamus

Adeamus ergo cum fiduciâ thronum gratiæ, in quo miseriæ humanæ dominantur, vt miseriis nostris finem faciant.

5. Quid, quòd destinato consilio non innocenti homini, sed summo nuper peccatori jurisdictionem suam Christus tradiderit, tantùm vt fiduciam adeundi judicem, peccatori præstaret peccandi similitudo; & rursus, vt Judicis seueritatem, ad misericordiam emolliret peccati à se commissi memoria? Quid enim? an non Petro commissæ sunt claues regni cœlorum? an non ei tradita potestas ligandi atque soluendi, quæ deinde in Ecclesiam per eius successores, filo non interrupto, felicissimè demanauit? Atqui perfidus fuit Petrus, benignissimum Dominum per summam infamiam ejurauit: & huic tam perjuro & infideli, jurisdictionem suam Christus credit? Hoc verò facere si mente jam statuerat, cur eum tam turpiter labi Christus est passus? Dicam. Vt peccatorem se Petrus dum meminit, misericordiæ sibi tam de facili præstitæ recordetur; eamque discat gratiam præstare miseris, quam ipse in beneficentissimo Domino fuerat expertus. Hæc sanè D. Augustini mens est. *Ideò*, inquit, *Beatum Petrum paululùm Dominus subdeserüit ..... vt Ecclesiæ rectori futuro, ignoscendi quædam regula poneretur. Credendæ enim erant Petro claues Ecclesiæ, imò creditæ sunt ei claues regni cœlorum. Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quæ esset pro suæ naturæ vitijs passionibusque, culpis inuoluta atque peccatis.* Quid tum? tradenda igitur ei est regula. Sed quæ? Audi Augustinum: *Videlicet vt in clauibus fidelis janitor, in sententijs esset clementissimus dispensator.* Optimè. At quo pacto clementiam à Petro, homine austero & rigido, extorquebimus? Non alio sanè, quàm si & ipse peccato, & quidem turpissimo obnoxius, clementiam discat, dum experitur. Ita agendum sentit Augustinus. *Erat enim*, inquit, *reuerâ hic Petrus paullò durior & seuerior, sicut eius austeritatem truncata ob Christi injuriam serui Principis Sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus tamque seuerus, si donum non peccandi à Domino fuisset adeptus, quæ venia commissis populis donaretur? Sed idcirco Diuinæ Prouidentiæ secretum ita temperauit, atque permisit vt primus ipse laberetur ac rueret in peccatum, quò erga peccatores duriorem sententiam, proprij casûs intuitu, temperaret.*

Neque innocentem hominem huic throno præficit, sed Petrũ peccatorem aliquando, magno sanè consilio.

D. Aug. ser. 1. fer. 4. post Domin. Palm.

6. Temperatam igitur cùm noueris Judicis in te ferendam sententiam ô Peccator! suæque infirmitatis conscios, tuæ imprimis

Collectio argumentorum.

mis misereri scias eos qui Vicariam Christi jurisdictionem obtinent; nouerisque præterea, vt jam ostendimus, idcirco eos ad hoc munus præcipuè præ Angelis esse electos, & quidem destinato consilio optimi Saluatoris ex hisce terris ad cœlos ascendentis, vt commodissimum obtinendæ gratiæ peccatori judicem designaret, eumque quem adire minimus subiret pudor; quis enim Angeli vultus ferret? sanè *adeamus thronum gratiæ*, tam gratiosè hominibus contraditum, & sine dubio *misericordiam consequemur in auxilio opportuno.*

§. II.

Hoc verò majores peccatori animos dabit, quòd in hoc throno non detur nuda scelerum impunitas; sed quòd & gratia sanctificans infundatur; & perfecta ineatur cum Deo amicitia.

Gratia scelerum quæ à Senatu politico præstatur, reo nihil dat præter impunitatem scelerũ.

ALterum tamen est quod non pigeat meminisse, quodque fiduciam nihilominùs adeundi throni tam benigni vehementer acuet. Nimirum, sacrum hoc gratiæ tribunal, non esse forensibus & ciuilibus omnino persimile, in quibus tamen etiam gratia criminibus aut datur, aut à Principe data declaratur. Longè profectò altioris nostrum est ordinis. In illis enim gratia quæ reo præstatur, aliud nihil est, quàm criminis commissi impunitas. Nihil verò præterea reo datur, quô Principi à se offenso fiat gratiosus; nihil quidquam ei decoris additur, quô in amicitiam Regis mereatur admitti. Initur quidem aliqua cum offenso reconciliatio, sed quæ negatiua, vt summum, dicenda sit; id est eiusmodi, vt pœnas de commissâ in se perfidiâ Princeps posthac sumpturus non sit. At quòd ad familiaritatem intimam cum Rege ineundam admittendus sit; quòd ad amicitiæ adita adhibendus; quòd ad secretiora, vt inter amicos fit, beneuolentiæ signa admouendus; quòd diuitiis cumulandus; quòd nouis condecorandus sit honoribus, is qui rebellis nuper, perduellionis gratiam accipit, quis id speret? Quis id nisi demens sibi præstandum esse persuadeat? Sanè hæc quæ conceditur vitæ gratia, bona tanta 7.

non

non accumulat: multùm est scelerato quod detur viuere, licèt ei amicitiæ honorumúe gratia denegetur.

8. Deinde, istud etiam video in humanâ, quæ à Senatu datur, scelerum impunitate potiùs quàm gratiâ, contingere; vt quamuis ea reo obueniat, pœnæque meritæ condonentur, labes tamen commissi criminis non penitus eradatur. Vt enim condonata sit rebelli perduellionis injuria; id est, vt eam puniri non velit Rex; manet id tamen hominum memoriæ altè impressum, rebellem aliquando fuisse te: vnde nescio quæ, non in auctorem tantùm, sed & in eius posteros infamiæ deriuantur reliquiæ. Quid, quòd & Rex ipse, etiamsi reo perquàm familiaris ante commissum scelus fuerit, non æquis adeò vt ante oculis aspecturus sit hominem, cui perfidiâ condonatâ vitæ gratiam fecit; neque nouis eum euecturus sit honoribus, neque ad secretiora adhibiturus consilia, neque sua cum ipso tam fidenter vti solebat diuisurus sit imperia? Et hæc quidem pro humanâ prudentiâ Reges agunt; & sæpè meritò & consultò: totaque quam præstant reo gratia, sceleris impunitate & supplicii meriti condonatione circumscribitur. Ad hanc solùm extenditur Senatûs politici jurisdictio.

Nec tollit commissi sceleris infamiã, nec Principi facit gratiosum.

9. At verò longè alia est sacri tribunalis auctoritas. Numquam enim in eo scelerum, quantumuis immanium, impunitatem reus consequitur, quin & in amicitiam cum Deo intimam, tenerrimoque offensi Patris admittatur amplexus: & sic non vitæ tantùm sed & familiaritatis eximiæ, amorisque cujusdam sinceri gratia tribuitur. Non condonantur itaque scelera, nisi & noua peccatori infundatur Gratia; quæ quia gratum Deo, dignumque qui à tanto Numine diligatur hominem facit, Gratia dicitur sanctificans: quâ tandem pro sacro hoc Tribunali imbutus, in eam subitò miserrimus peccator assurgit dignitatem, animæque speciem, vt qui mox fuerat odium Dei, nunc is sit qui à Patre indulgentissimo, tenerrimè, & tamen jure optimo diligatur. Ita diserte justificationem omnem institui docet Tridentinum; quam docet, Trid. sess. 6. c. 6. *non esse solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem & renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Vnde homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ.* Quid clarius? Vtramque autem hanc Gratiam in hoc throno exhiberi solitam, expressisse videtur Paulus, cùm tam amicè inuitat, *vt adeamus thronum gratiæ* Ad Hebr. 4. v. 16.

In sacro Tribunali non datur scelerum gratia, quin & detur gratia amicitia seu sanctificãs.

Probatur ex D. Paulo.

gratiæ vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Vt quid enim misericordiam à gratiâ distinguit? An fortè aliud est misericordiam consequi, aliud verò gratiam inuenire? Est prorsus. Neque differentia hæc Benedicto Justiniano displicet. Inuenire enim gratiam, inquit, Hebræâ phrasi, nihil aliud est quàm apud aliquem gratiosum aut esse, aut fieri, & ab eo præcipuâ quâdam beneuolentiâ diligi: misericordia verò, est quædam mali miseriarumque subleuatio. Vtrumque autem quia in hoc throno profusissimè præstatur, idcirco à peccatoribus, tantis animis adiri eum vult Paulus, vtpotè non tantùm impunitatem scelerum, id est misericordiam consecuturis sed & inuenturis gratiam, id est sanctificantem Animæ formam & speciem; quâ fiet vt in intimos offensi Patris deducenda sit complexus, ejusque familiaritati intimæ, & amicitiæ prorsus sinceræ minimeque fucatæ sit adhibenda posthac. Iustinianus in hunc locũ Pauli.

Obliuiscitur penitus iniuriæ condonatæ Deus.

Etenim, an non istud beneuolentiæ amorisque signum est euidentissimum, quòd cùm scelerum facta est gratia, ita penitus ea obliterentur, quasi si eorum memoriam Deus ipse amisisset? En vt id apud Ezechielem de se testetur. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est.... vitâ viuet, & non morietur.* Ecce scelerum factam gratiam. Eorumdem autem extinctam penitus memoriam nunc accipe. Illico enim subjungit: *Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor; in justitiâ suâ quam operatus est viuet:* & quasi si rationem obliuionis suæ dare vellet Deus, mox subjicit: *Numquid voluntatis meæ est mors impij dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis & viuat?* Quid ergo? an esset mors impijs, si scelerum recordaretur Deus? esset sanè. Neque verò quisquam mihi negauerit, aulico & nobili viro, Regisque fauoribus assueto, si fortè crimine aliquo justam Principis indignationem incurrerit, à quâ tandem ei facta sit impunitas, vitaque precariò sit concessa; morte ipsâ crudeliorem futuram vitam, si subiratos Principis vultus quotidiè cogatur aspicere; si se notari oculis; neque consilijs adhiberi persenserit; factique condonati, videat in offenso quondam Principe adhuc perstare memoriam. Sceleris hæc est perennis exprobratio, omnique supplicio durior, quia numquam finienda. Et hic quidem inter homines vulgatus est mos. Idque exinde video prouenire, quòd cùm inter eos sceleris datur gratia, 10. Ezech. 18. v. 21. v. 22. v. 23.

tia, amicitiæ tamen gratia non præstatur, nisi admodum superficietenùs & suspectæ. Procul hoc à Deo, Diuinisque est moribus: ita gratiam peccati concedit peccatori, *vt omnium iniquitatum eius non recordetur.* An ergo memoriâ excidêre? aut Deus cujusquam potest obliuisci? Minimè verò: physica in Deo non potest dari rerum obliuio, sed moralis. Quæ quidem in hoc est posita, vti rectè Theologi id explanant, quòd ita posthac cum hoc peccatore, quem gratiæ suæ restituit, acturus sit Deus, acsi nullo vmquam scelere fuisset implicitus: eaque amoris & beneuolentiæ signa præbiturus, acsi numquam amicitiæ jura fuissent violata. Sic non recordari dicimur injuriæ, cùm eius memoria amoribus pristinis non officit, & officiis amico debitis amicitiæque consuetis non intercedit. Non recordatur modò scelerum à Petro & Magdalenâ quondam commissorum Deus: non quòd ea nesciat, sed quòd amori, quô eos nunc complectitur, ne minimum quidem faciant vitium, neque minùs cælesti gloriâ recreentur, quàm si numquam Diuinam erga se beneuolentiam, peccando interrupissent.

Quid sit scelerum obliuisci Deum.

II. Hæc cum ita sint, talisque cùm sit scelerum impunitas quæ hîc conceditur, vt & amicitiam offensi Numinis inuoluat; neque fieri possit vt scelerum fiamus immunes, nisi & ad intimam Dei amicitiam admittamur, supremosque in aulâ cælesti honores consequamur; vnde & id fit consequens, vt memoria etiam ipsa commissorum scelerum obliteranda sit penitus, neque vllâ ex parte vertendum sit vitio, aut ab ipsis Angelis sit exprobrandum id quod amicitiæ diuinæ & honoribus cælestibus viderint non obesse; profectò animis assurgite peccatores, agamus rem nostram vbi agenda est. *Adeamus* inquam imperterritè *thronum gratiæ vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* In hoc throno jurisdictio est amplissima; gratia præstatur maxima; & qui ei præsident, homines sunt, peccatis obnoxii. Atque adeo sunt judices admodum humani; vt qui nihil humani à se alienum censeant, quia sentiunt.

Collectio argumentorum.

§. III.

Modus procedendi in hoc tribunali est, non defendere se, sed accusare.

Diuersitas styli in hoc throno obseruandi exponitur.

VErùm antequam tam sancta subeamus adita; istud adhuc generatim admonendus es peccator, alium pro hoc tribunali obseruari agendi ordinem; & stylum prorsus diuersum esse ab eo, qui passim in Senatibus politicis vsurpatur. Contentiosum enim non est quod adimus forum: ad gratiæ thronum prosternimur. In illo vt sis innocens, omnibus viribus annitendum est, vt obiectum crimen aut neges aut diluas: innocentiam oportet vt comprobes, accusationesque omnes à te vt amoliaris necesse est, vt innocens declareris. At verò in throno gratiæ sic non agitur. Certè non contenditur de innocentiâ, sed gratia exquiritur; vbi autem scelerís gratia petitur, fatendum est ipsum scelus ingenuè; neque innocentiæ sententiam feres, nisi te nocentem & quidem tuâmet confessione comprobaueris: nullumque Confessionis factæ pretium feres, nisi quæcumque caussam tuam aggrauare potuerint, planè & sine fuco deprompseris. *Nouum profectò iudicij genus* inquit D. Zeno, *in quo reus si excusauerit crimen, damnabitur; absoluitur, si fatetur. O magna potestas, magna peritia, magna pietas Iudicis nostri, à quo vniuersi generis peccatores vt possint beatè viuere, puniri festinant.* Quis enim non credat velle puniri reum qui commissa à se crimina Judici fatetur? Atqui si puniri non vis, tu partes actoris præoccupa, actionem contra te institue, eamque si ritè peregeris, salua est res: tantò promptiùs innocentiam consequeris, quò te euidentiùs nocentem ostenderis; tantò vberior gratia præstabitur, quantò eâ te comprobaueris magis indignum, Omnium hæc SS. Patrum concors est sententia. Unum, ne in re vulgatissimâ, si plures asseram sim fastidio, Chrysostomum do hæc luculentius explicantem. *Iustus* vt sacræ tradunt paginæ, *prior accusator est sui. Prior*, inquit Sanctus Doctor, *hoc est ne expectes arguentem te, ne præstoleris actorem: ipse præueni & rape sermonis principium, vt accusatoris linguam obmutescere facias. In humanis*

Non defenditur hic crimen, sed accusatur ab ipso reo.

12.

D. Zeno serm. 2. ad Neophytos.

D. Chrysost. ho. 4. in Gen.

humanis quidem judiciis, si quis hoc faceret, vt ante accusationem crimina confiteretur, quamuis apud humanissimum judicem, capitalem sententiam omnino in caput suum accerseret. At misericordis Dei major est ineffabilis bonitas & clementia. Nam si aduersarium nostrum præuertimus, Diabolum dico qui in die illâ ob faciem nostram stabit, & jam in præsenti vitâ, antequam ad tribunal (nempe justitiæ) *ingrediamur, facinora confessi fuerimus, dicendique principium rapuerimus nostri ipsorum facti accusatores, in tantam misericordiam prouocabimus Dominum, vt non solùm nobis donet liberari à peccatis, sed etiam in justorum catalogo numerari,*

13. En rursum ex Chrysostomo misericordiam, & simul amicitiæ gratiam conferri solitam in throno gratiæ, sed fatentibus sua crimina, non excusantibus aut propugnantibus. Neque verò stylum huius Curiæ tam ab aliis diuersum ego miror, cùm sit thronus in quo gratia conceditur. Non datur autem gratia nisi quæ petitur; nec peti censetur alia, quam illius criminis quod confiteris, & Principi exponis. Non igitur magis mirum est, exponenda & fatenda si dicam esse crimina vt gratiam obtineas, quàm si asseram petendam esse gratiam quam satagis obtinere; cum ipsa criminum confessio, sit desideratæ gratiæ postulatio, neque gratia vmquam præstetur nisi gratiam flagitanti. *Datur ratio cur reo prodendum sit crimen.*

§. IV.

Quâ corporis & mentis compositione instituenda sit peccatorum Confessio. Caluinus eam dicit esse impossibilem sed ex falsis hypothesibus.

14. HAc igitur officij à nobis præstandi memoriâ muniti, edoctique nobis non defensoris, sed actoris potius, aut vt meliùs dicam, fatentis rei partes incumbere, adeamus tandem ad thronum gratiæ, sed eâ mentis corporisque compositione, quæ seriò pœnitentem deceat. Et quidem si de corporis constitutione quæritur, quæ qualisúe sit adhibenda, facilis sanè est responsio. Certè oculi desultorij, elata supercilia, vultus projecti & nescio quam spirantes arrogantiam, pœnitentis non sunt habi- *Corporis compositio sit humilis, qualis pœnitentem decet.*

tus. Sceleris conuictus es ô peccator, hostis Dei, supplicii æterni reus: & in ipso judicii instituendi articulo insolesces? Neque verò attendum est quem apud homines dignitatis locum obtineas, sed quem apud Deum habere te, tu te ipse fatearis. Rex vt sis, aut Princeps, aut reipublicæ moderator; certè non hic aut Regem, aut Principem, aut virum dignitate excellentem acturus es, sed reum & quidem supplicem. Absint igitur nobilitatis auitæ fastus, titulorum cesset memoria, dignitatum subsidat tumor: ad pedes Iudicis accidisti, age itaque quod est supplicis, eaque sit oris totiusque corporis compositio, quæ te reum arguat, verèque pœnitentem. Pectus tundere ne te pudeat: antiquus iste est in Ecclesiâ mos, D. Augustino teste, peccatoris sua scelera detestantis. *Tundere autem pectus*, inquit, *quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum?* Rursus oculos modestè demissos tantisper contine, dum reus es. Certè eos ad cœlum attollere præ verecundiâ non audebat Publicanus, cœlosque dum non aspicit, ad sui misericordiam penitus inflexit. Neque si corpori molesta sit tam humilis compositio, quidquam curandum est magnopere. Certè non abs re est, quin & rationi maximè est consonum, carnem & sanguinem, quæ criminum fuêre non fomenta tantùm sed & instrumenta, insolentiæ suæ præmium ferre, humilemque vultum corpus gerere, vbi tota sese conquirendæ gratiæ prosternet Anima. Anima se Iudici subiiciet, Domina inquam fiet supplex, & supplicem fieri pudebit ancillam? Hæc igitur sit corporis compositio, quæ pœnitentem deceat: non quidem in suspiria gestusue heteroclytos, & à communi hominum vsu abhorrentes contorta; sed grauis, sed modesta, sed verecunda, eaque quæ pœnitudinis seriæ præferat argumenta. Mentis verò ea debet esse constitutio, vt istud ratum planèque sibi propositum habeat, totam Conscientiæ suæ rationem Judici porrigere fide sincerâ & optimâ, nihilque ei subtrahere, quod ad legitimam criminis manifestationem à Christo requiri judicauerit. Hâc mente si accesseris, euicta causa est, & plana sunt omnia, imò & si ritè peraguntur, admodum facilia.

D. Aug. serm 8. de Verb. Dom.

Luc. 18. v. 13.

Mentis compositio qualis esse debeat.

Hæretici dicunt Cõfessionem

Rideo enim ego hæreticorum insanas voces, quibus Pœnitentiæ Sacramentum, in quo scelerum facienda est aperta declaratio, in inuidiam vocare conantur: & vt perfidiæ suæ adulentur, vitiisque, 15.

vitiisque, quibus immersi sunt, palpum faciant, throno gratiæ faciunt conuitium. Carnificinam dicunt esse animæ, ea exigi quæ præstari non possunt. Etenim caussantur omnia prorsus enarranda esse peccata: quis autem inquiunt ea ingenio aut memoriâ humanâ possit complecti, quæ ad singula momenta committimus; & quæ indies ita agglomerantur & excrescunt, vt tandem euoluto necdum anno, scientiam omnem & memoriam humanam longè exsuperent? Quis itaque ea enumeret, quæ multitudine penè sunt infinita? Et vt exponere ea quis velit seriò, quod tamen ei tempus, enarrandæ tam prolixæ anni elapsi historiæ, sufficiet? Deinde quàm id pudendum est, & honestis auribus execrabile, occulta quæque prodere, eaque apud hominem proferre, quæ reuelare prohibet ingenitus homini pudor? Audio quidem ista hæreticæ contumaciæ obuelamenta: quæ sanè eò prorumpit audaciæ, vt aut Christo, de Sacramento malè & præter rationem instituto, litem moueat & diem dicat; aut certè institutum à Christo neget. Nolo huic argumento diutius immorari, neque Sacramenti veritatem, quam tota amplectitur Ecclesia, rationibus propugnare: hoc nunc instituti mei non est. Istud, quod ad rem meam facit, Tridentini essatum veneror, quo liquidò insolentiam hominum, sacra omnia pro libitu arrodentium, condemnat. Ita ait. *Sed & impium est Confessionem, quæ hâc ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam Conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud in Ecclesiâ à pœnitentibus exigi, quàm vt postquam quisque diligentiùs se excusserit, & Conscientiæ suæ sinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum, eâdem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Prophetâ dicimus, ab occultis meis munda me Domine.*

esse carnificinam & impossibilem. Et quare.

Impia in Christum sunt hæc dicteria.

Trid. sess. 14. c. 5.

Condemnantur à Tridentino

16. Videamus porrò quam bonâ fide heterodoxi garriant, impossibilem cùm dicunt Confessionem ex hoc imprimis capite, quòd dari non possit peccatorum omnium distincta recordatio: ita enim caussatur Caluinus. *Hic cogitent lectores*, inquit, *quam possibile sit ad rationem vocare totius anni acta, & quid singulis diebus peccarint, colligere: quando experientia vnumquemque conuincit, vbi ad vesperam excutienda sunt vnius tantùm diei delicta, memoriam con-*

Caluin. l. 3. Inst. c. 4. n. 17.

Ostenditur falsum esse tot esse hominum peccata, vt eorum impossibile sit recordari.

confundi: tanta se turba & varietas ingerit. Hinc eâdem impudentiâ concludit; *Dicam in summâ qualis lex illa fuerit,* confitendi nempe peccata omnia: *Primùm simpliciter est impossibilis. Itaque non nisi perdere, damnare, confundere, in ruinam & desperationem conjicere potest* Ita ille. Quid facies homini perdito, & in omnem audaciam projectissimo? errorem ex errore trahit, & tenebris quas sibi miser facit, miserè obuoluitur. Quid enim? nec vnius quidem diei peccata, humanâ memoriâ vult posse comprehendi; & quidem, vt sibi fidem faciat, experientiam vniuscujusque conuenit, & fidem obtestatur. Credo ego hominem suo pede metiri velle vniuersos. Atqui fidenter asseuerant quotquot sobriè sapiunt, homines esse infinitos planè, eâ sanctitate conspicuos, qui non dies tantùm, sed annos integros traducunt tam innocuos, vt ne vno quidem peccato se contaminent, quod necessaria Confessionis sit materia. Testantur hoc homines grauissimi, sæculis terrarumque spatijs maximè distincti: testatur id proborum, ad quam insulsè Caluinus appellat experientia, quæ ipsum pleno ore, fronteque non perfrictâ, sed innocenter explicatâ, mendacij arguit & conuincit: testatur id denique Ecclesia vniuersa. Et sibi fidem præstari vult vir vnus, contra torrentem proborum omnium toto obnixus mentis impetu, tantùm ne non insigniter sit peruicax, & Ecclesiæ orthodoxæ rebellis? Ibid. n. 18.

Error hic ex eo prouenit, quòd falsò statuat Caluinus nulla dari peccata venialia.

17. Scio ego vnde ei tanta oborta sit insolentia. Errorem vti dixi ex errore elicuit. Infinita dicit esse peccata Confessioni subjicienda quæ sint; quia nihil quidquam Caluino peccatum non est, & quidem mortale; cujus si merita expendantur non nisi inferni ignibus expiandum quod sit. Audi hæresiarcham. Primùm l. 2. Instit. c. 9. de peccatis statuit. *Habeant filij Dei, omne peccatum mortale esse; quia est aduersus Dei legem rebellio, quæ ejus iram necessariò prouocat; quia est legis præuaricatio, in quâ edictum est sine exceptione judicium. Sanctorum delicta venialia esse, non ex suâpte naturâ, sed quia ex Dei misericordiâ veniam consequuntur.* Ita ille. Itaque eam si non consequuntur, æternis ignibus ob mendacium etiam minimum sunt condemnandi. Ita est inquit Caluinus. Jam verò si quid peccatum sit quæris, docet secundò, non peccari tantùm liberi arbitrij consensu & in peccatum prolapsu, sed ipsis primò-primis peccati motibus, id est, tentationibus, & titillationibus, quas persentiscere tantummodò, etiamsi fortiter iis resistas, Caluin. l. 2 Inst. c. 9. n. 59.

Secundò quod velit omnes tentationes, & motus primò-primos esse peccata.

Caluin. Instit. l. 2. c. 3 n. 10. sistas, peccare est. Ita habet Instit. l. 2. c. 3. n. 10. Fatetur quidem D. Augustinum alia sentire omnia, suam tamen sententiam Augustino disertè vult anteponi. En verba. *Augustinus*, inquit, *tum demum fieri peccatum docet, vbi vel opus, vel consensus ad conceptionem vel apprehensionem accedit; hoc est quando primæ appetitioni cedit voluntas. Nos autem.* Assurgite hîc quotquot estis toto orbe Christiani; & oraculum, pro quo Augustini sententia nugæ sunt, ex ore Caluini excipite. *Nos autem*, inquit, *illud ipsum pro peccato habemus, quod aliquâ omninò cupiditate contra legem Dei homo titillatur. Imo ipsam prauitatem quæ ejusmodi cupiditates nobis generat* (id est, concupiscentiam atque animi affectiones) *asserimus esse peccatum. Docemus itaque in Sanctis, donec mortali corpore exuantur, semper esse peccatum; quia in illorum carne residet illa concupiscendi prauitas, quæ cum rectitudine pugnat.* Quis ad hæc non exhorrescat? itaque appetitiones omnes peccata sunt, & quidem mortalia: minimam sentire carnis petulantiam, aut in praua declinantem appetitum, etiamsi validissimè te opponas, mortale est: & Diuus ipse Paulus, cùm ei datus est stimulus carnis, peccato lethali inuolutus est; falsumque fuit Dei oraculum, cùm ad eos euadendos ter Dominum rogauit, eique responsum est, *sufficit tibi gratia mea.* Non enim suffecit gratia, vt ne Paulus stimulos carnis persentisceret: non suffecit igitur, vt ne mortaliter peccaret, cùm stimulis ejusmodi titillari tantùm, ne dicam *colaphizari*, id est, vrgeri & perurgeri, mortale admodùm sit scelus. Verùm refellendis his ineptiis non immoremur, huc enim non tendit instituta oratio: aliud habeo præ manibus. Inquiro enim multitudinem illam peccatorum infinitam, quâ optimum quemque Caluinus vult inuolui, etiam quotidie. Atque vt hanc plenè conficiat, eò tandem venit dementiæ, vt omnia omnino etiam proborum hominum opera, statuat esse mortalia. Ita disertè l. 3. Instit. c. 14. n. 9. *Habemus, nec vnum à Sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur justam opprobrij mercedem.* Et ne non satis clarè mentem suam explicuisse videatur, mox subjungit num. 10. *His fortiter insistendum, nullum vmquam fuisse pij hominis opus, quod si severo Dei judicio examinaretur, non esset damnabile.* Impietatem harum sententiarum non examino, nec ostendo: ipsa sese falsitas manifestat

Refutatur breuiter hic error.

Caluinus statuit omnia proborum hominum opera esse peccata.

Calu. Inst. l. 3. c. 14. n. 9.

n. 10.

18. Hoc nunc ago. Quis, inquam, miretur modò, Caluinum Confessio-

Ex his falsis hypothesibus Confessio omnium peccatorum impossibilis

fessionem impossibilem esse adstruere, infinita quòd sit scelerum multitudo, quæ pœnitentis memoriam longè excedat? At infinitudinem illam quis inuexit, nisi mera fingendi libido? Profectò si verum est, omnes omnino concupiscentiæ titillationes & impetigines peccata esse, & quidem mortalia; rursus omnia omnino proborum opera, hoc est actiones etiam naturales, affectiones, desideria, cogitationes denique omnes, scelera esse & rursus mortalia, cum naturâ suâ non dentur venialia; fateor Confessionem institui non posse quæ peccata omnia complectatur. At quis orthodoxus docuit hæc omnia passim esse scelera? & quis omnia sic docuit explicanda, vt ne vnum quidem integritati Confessionis materiali detrahatur? Hæreticorum commenta hæc sunt, errorem alterum ex altero trahentium vt sic catenam conficiant quâ sese irretiant, & ignorantium mentes sibi deuinciant. Falsa affingunt saluberrimo Sacramento, vt in inuidiam trahant à Christo instituta peccatorum remedia, ab iisque peccatores deterreant, dum persuadent esse adynata. Ablegatis itaque ad Geneuæ stagna & paludes hisce figmentis, quid ab Ecclesiâ ad instituendam legitimè Confessionem requiratur, videamus porrò: istud illicò perspecturi, quàm facilis, & humanæ infirmitati quàm accommoda sit hæc medicina, quam sola aut animi peruersitas, aut certè ignorantia facit esse difficilem.

§. V.

Exponitur quid ad substantiam bonæ Confessionis requiratur. eamque impossibilem non esse, eâdem operâ contra hæreticos demonstratur.

Omnia mortalia peccata in Confessione aperienda esse probatur primò.

ATque istud imprimis statuendum est, omnium prorsus quorum sibi mens est conscia, peccatorum mortalium faciendam esse integram in hoc tribunali Confessionem, neque quidquam prudenter reticeri posse. *Primò* quidem, quia thronus gratiæ est, vti dixisse me memini: gratia autem aut impunitas sceleri non datur, nisi quæ petitur: non petitur verò gratia crimini, quod à reo non exponitur. *Secundò*, quia tota tribunalis hujus jurisdictio, hominibus tamquam Christi Vicariis demandata cùm sit, manifestum est id illis incumbere, vt non pro suo libitu, 191. Hic §. 1.

Secundò.

sed

sed pro rei grauitate & justitiâ, gratiam reo impertiant. Ac pro-
Trid. sess. 14. c. 5. inde statuit Tridentinum, necessariò *omnia ad eos mortalia crimina esse deferenda. Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognitâ caussâ exercere non potuisse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent*, vnde legitimè constare possit, cujus rei, reo facta sit gratia, & quantum à Deo
Hic n. 9. beneficium acceperit. *Tertio*, cùm, vt paullò antè dixi, numquam *Tertiò.* vlli peccato fiat gratia impunitatis, quin & gratia sanctificans, & perfecta, non reconciliatio tantùm, sed & amicitia cum Deo ineatur; euidens nunc est, omnia omnino peccatori condonanda esse scelera, vnum dum remittitur: ne vno eodemque tempore amicus sit atque hostis Dei. Omnia itaque remitti cùm debeant scelera, vt condonentur singula; non condonentur autem quæ non exponuntur, euidens sit exponenda omnia. *Quartò* denique, cùm non judicialis tantùm, sed & medicinalis sit tota hæc actio, liquidò rursus constat, omnia penitus animæ vul-
Trid. ibi. nera, morbos atque vlcera apertè esse detegenda. *Qui verò secùs faxint*, inquit Tridentinum, *& scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati remittendum proponunt*, quantumuis reliqua proponant omnia. *Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.* Neque etiam censendus est animæ suæ sanitatem, & vitam multùm exoptare, qui non vult integram. Omnia itaque, & quidem occultissima vulnera detegenda sunt, vt sincera fiat animæ medicina. *Quartò.*

20. Verùm, quamuis accuratissimam scelerum Confessionem requirat institutus à Christo thronus gratiæ, non tamen multitudinem criminum reus exhorreat, neque sibi persuadeat eâ obruendum se. Multò autem minùs impossibilem dicat eiusmodi Confessionem, aut carnificinam appellet, inquit
Trid ibi. Concilium: *Constat enim nihil aliud in Ecclesiâ à pœnitentibus exigi, quàm vt postquam diligentiùs se excussserit, & Conscientiæ suæ sinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum, eâdem Confessione inclusa esse intelligantur.* En legis, quam atrocem & crudelem vociferantur hæretici, diuinum, humanæque imbecillitati accommodum temperamentum. *Decretum Concilij Tridentini Confessionē spectans.*

cui nihil admodum est quòd se humana ratio proteruè opponat, aut peccatorum exponendorum multitudine obruendum sese pœnitens ex vano suspicetur.

Venialia non sunt necessaria materia Confessionis.

Exinde enim constat, nulla peccata venialia, necessariam esse Sacramenti hujus materiam. Quòd etiam disertè Concilium hisce verbis docet. *Nam venialia quibus à gratiâ Dei non excludimur* (en apertam Caluiniani dogmatis condemnationem) *& in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & vtiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* 21. Trid. ibid.

Quomodo examinanda sint venialia in ordine ad Confessionem.

Ex quibus istud nunc patet, non admodum sollicite in venialia peccata inquirendum esse, neque anxiè, ne elabantur, infigenda memoriæ. Nam si ea non tenemur lege vllâ in Confessione exponere, nulla etiam incúmbit ea inuestigandi necessitas. *Deinde* quamuis piè de iis se accuset reus, non tamen multum insumat operæ, vt exponat omnia: nam præterquam quòd id fieri omnino non possit, nihil tamen de Confessionis sinceritate discedet, si non confiteatur singula. *Tertiò*, denique si dum in venialia inquirit, animum sibi perturbari persentiscit, aut sollicitudine nimiâ peruestigandi singula, aut anxietate judicij ferendi, aut aliâ quâcumque capitis defatigatione fatiscere, tum sanè vtilissimum est curam hanc deponere, examen abrumpere, eaque patefacere tantummodò, quæ citra omnem molestiam memoriæ occurrerint. Sic rectè stabit Confessioni debitus valor, & fructus exoptatus Sacramento.

Non examinanda venialia, si animus iis perturbetur, aut defatigetur caput.

Qui teneram habent conscientiam, facilè mortalium scelerum recordantur.

De mortalibus autem peccatis si agamus, tum verò peto ego, an homines frugi, pietatisque vtcumque amantes (his enim præcipuè hæc scribimus) tam frequentia passim committant scelera, vt eorum numero, ea dum indagant, obruantur? Certè hæc nemo mihi, nisi insanire libeat, vmquam persuaserit: nimis alta, tanti ponderis res, in tam teneris mentibus infigit vestigia, quàm vt tam facilè queant obliuione obliterari. Ostendent ea se, etiam inuitis, factumque dissimulantibus. Iis igitur non erit admodum difficile omnia, quibus mortaliter Deum offenderint, explicare. Nimis fidelem habent Conscientiam, quàm vt sibi quidquam per incuriam, in tanti momenti re patiantur elabi. Non igitur hâc in parte sint anxij; aperiet se aut suâ sponte, aut 22.

minimo

minimo appoſito ſtudio, quod latet vlcus, vbi tanta eſt aperiendi lubentia.

Qui diu peccatis aſſueuit, confiteatur ea quorum tum recordatur.

23. Quod ſi tamen quis in omnia projectus ſcelera vitam egerit, omnique ſalutis abjectâ curâ, per multos jam annos vitiis inſenuerit, & nullâ aut recti, aut pudoris, aut Dei reuerentiâ in omne per ſummam impudentiam ſeſe neſas dederit; fateor huic homini tam projecto & perdito, difficile fore admodum ſingulorum meminiſſe, quorum tanta eſt copia, & quæ, quia ſic quaſi per contemptum ſunt patrata, nullam omnino aut certè valde tenuem ſui memoriam reliquere. Ne tamen de integritate Confeſſionis deſperet, ſi bonâ fide agat, omniaque, prout poteſt explicare ſtatuerit: nam ſi Confeſſionem materialiter integram inſtituere non poteſt, poteſt tamen formaliter abſolutam. Hoc eſt, quamuis ob ingentem peccatorum longo vſu & tempore aggeſtorum multitudinem, fieri fortaſſe non poſſit, vt omnem ſcelerum materiam exhauriat, ſic vt nullum prorſus ſit quod non explicet; poteſt tamen ea patefacere, quæ in præſentiarum, dum ſacer gratiæ adeundus eſt thronus, poſt diligentem excuſſionem memoriæ occurrerint. Atqui nihil vlterius requiri diſertè docet Tridentinum, vti jam vidimus n. 20. Quid ergo cauillos hîc quærunt haretici? quid nobis impoſſibilem legem obtrudi putide criminantur? An quiſquam ſanæ mentis dixerit, ea exponere verbis me non poſſe, quæ reipsâ occurrunt memoriæ? quid igitur garriunt, quid inuidiam Sacramento creant meris falſimoniis?

Et reliqua quæ bonâ fide omiſit peccata, etiam condonantur.

24. Adde, quòd, vti rurſus clarè tradit Concilium, *reliqua peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum, eâdem confeſſione incluſa eſſe intelligantur*; ac proinde cum iis quæ rite ſunt expoſita, etiam virtute clauium condonata. An benignior reo potuit offerri conditio? Atqui exinde conſequitur, Confeſſione rite peractâ, nullum prorſus pœnitenti, in præteritam vitam inquirendi vlterius onus incumbere. Non enim aut quæſtor vllus, aut etiam debitor, poſtquam aut ille Reipublicæ & Principi, aut hic creditori rationes accepti & expenſi æris expoſuit fide ſincerâ & optimâ, eæque à Principe aut creditore ſubſcriptæ fuerint, ſic vt exinde conſtet datis rationibus eos penitus acquieuiſſe; non inquam vlla iis ſupereſt obligatio, rem omnem ordiri ab ouo, ſyngraphas rurſus diſcutere, ſingula debita ad calculos reuocare.

Neque amplius ea ſunt inueſtiganda. Exponitur ſimili.

reuocare. Intolerabile id esset profectò onus, neque humano commercio vllatenus accommodum. Deponat sanè curam inutilem, & quæ non exigitur; sufficit quæ data est ratio & transacta legitimè; neque enim aliam, quàm quæ adhibita est, diligentiam requirit Princeps, aut ratione bonâ potest exigere. Si quid interim imprudenter erratum est, condonatur vtrimque. Et hæc quidem transactionis natura est; hoc certè est rationes concludere iisque finem facere, ne numquam rerum agendarum finis sit. An igitur accepti expensique commentaria numquam tenetur posthac inspicere, vt errorem fortè commissum inuestiget? Minimè gentium. Occludat ea sanè, occlusisque placidè indormiat. Quòd si tamen sine vllo studio rem indaganti, syngrapha aliqua debitumúe occurrerit in rationes datas deductum quod non sit, vnde tamen in ære Principis sese adhuc esse certò liquidòque cognouerit, sanè eam in rationes primo tempore dandas, coniiciat; neque, cùm fide bonâ rem agi perspexerit, Princeps aut creditor humanus errori commisso quidquam succensebit. Ita age peccator, & pacata sunt omnia. Si quidquam à te scelerum bonâ fide omissum fuit, eâdem quam sincerâ mente instituisti Confessione inclusum & condonatum esse intelli*Sed si forte occurrerint, non statim, sed proximâ confessione exponenda.*
lige. Humanissimum habemus & Principem & creditorem. Nil vltra exigit, neque nouum à te peccatorum examen vult institui, ne durissimum tibi iugum incutiat, qui non nisi suaue admodum sese hominum ceruicibus imposuisse gloriatur. Igitur præteritis eruderandis, & ad nouum calculum reuocandis prorsus abstine: modò eâ sis mente, vt si casu aliquo, nulloque adhibito studio quidquam in mentem venerit, quod certò & non dubiè à te commissum sit nec tamen expositum, proximâ istud Confessione sis aperturus. Viue interim securus bene peractâ re; & cùm indirectè condonatum id jam sit, non est quod illico rursus ad Confessionis tribunal præter consuetum ordinem accurras: sufficiet peccatum istud confiteri, tùm cùm aliorum scelerum, aut voluntaria, aut præcepta fiet Confessio. Quid hîc rursus est impossibile? imò quid ex diuerso non est omnino placidum, & rationi humanisque moribus prorsus consentaneum? poteratne benignior exigi scelerum Confessio?

Diligentia moralis ad
Neque quisquam hîc mihi importunus oggerat, diligentem quam Tridentinum exigit criminum discussionem & examen, 25.

carnificinam

carnificinam esse; diligentiam hanc esse prorsus intolerabilem, vtpote de quâ præstitâ, nemo sibi possit fidem facere, reique bene transactæ præstare fiduciam: hæc enim à me Tract. 11. §. 2. & §. 6. regulâ 1. & 2. complanata sunt: ostensumque moralem, id est humanis moribus *vsitatam* & *accommodam* inquisitionem requiri tantummodo. Eam autem *vsitatam* dicimus, quam viri prudentes, in aliis rebus alicuius momenti indagandis, solent impendere: humanis autem moribus *accommodam* appellamus, quæ sine ingenti capitis perturbatione, atque animæ totius delatigatione, placidè fit & tranquillè: denique si ea sit, cui meritò prudens debeat acquiescere. Cardinalis Lugo eam solummodo docet adhibendam esse discussioni diligentiam, quæ Pœnitentiæ Sacramentum in inuidiam non trahat, illudque Pœnitenti seriò agenti non reddat odiosum. Moralis hic inquirendi modus in quo consistat, rectè id exponit Melchior Canus. *Verbi gratia*, inquit, *si ego adhibui aliquam diligentiam, & per paruam vlteriorem probabiliter existimo aliqua mortalia fore in memoriam reuocanda, teneor vlteriùs inquirere. Quòd si putem nullum aliud peccatum venturum in mentem, nisi forte ingenti quâdam discussione, & magni temporis inquisitione, non oportet esse sollicitum: satis nempe est illa mediocris, & humana diligentia.* Ita ille. Vnde istud rectè arguas, multò minus de diligentiâ adhibitâ debere esse sollicitum eum, qui postquam animæ sinus omnes est rimatus, ita secum statuit, nihil admodum ei venturum in mentem, quantumcumque tum de rebus à se peractis cogitet. Quæso an isthæc diligentia humanas vires superat, aut pœnitentis carnificina vllo jure est appellanda?

examen peccatorum sufficit.

Qua diligentia dicatur moralis.

Lugo. de Pœnit. disp. 16. sect. 14.

Canus Relectione de pœnit. parte 6.

26. Quòd si verò, carnificinæ huic stabiliendæ afferas incertitudinem quâ sæpe distinetur animus, dum firmum fixumque de rebus à se peractis judicium nequit ferre, & sic dubitationibus miserè intricatur; huic sanè incommodo jam à nobis obuiam itum est satis. Juuerit tamen dicta compendio repetere, & Confessioni faciendæ applicare.

1. Atque imprimis istud statuimus, inter id quod Probabile est & Dubium, magnum omnino esse, quin & immane discrimen: quod quidem Tract. 6 num. 2. & seq. rursus Tract. 11. num. 51. luculentè satis explicuimus. Unde istud planum fecimus ibidem num. 52. eum qui probabili ratione potest decernere, sese aut

Qui probabiliter statuit se non peccasse, non potest ea confiteri.

Hic Trac. 6. n. 2. & seq. Trac. 11. n. 51.

aut non egisse id quod peccatum sit; aut in eo quod egit, non peccasse; aut si certus de actione & scelere fuerit, tamen probabili ratione statuit, crimen aliquando se fuisse confessum; hæc inquam si potest eo modo decernere, etiam debere se ab omni crimine innocentem declarare. Fusè id ostensum est superiùs. Unde id consequitur neque debere neque posse, in Exomologesi, sese criminis nocentem accusare.

Quod si verò nullum, ne probabile quidem, pro parte alterutrâ judicium ferre possit, sed dubia vtrimque mens hæserit, tum rursus discriminanda est dubitatio. Nam aut certus esse potes de perpetrato à te scelere, dubius verò an id aliquando in Confessione exposueris; aut sanè de ipso crimine potest esse dubitatio, an id verè commissum sit. 2.

Certus de peccato, dubius an confessus sit, tenetur id confiteri.

Et si de scelere quidem constet, dubitas autem an Exomologesi factâ fuerit expiatum, tum sanè diximus Tract. 6. num. 38. Confessionem sine vllo dubio instituendam. Certum enim cùm sit debitum, satis constat illi dubiâ solutione minimè satisfieri. 3. Hic Trac. 6. n. 38.

Dubius an fecerit id cui certò annexum est peccatum, debet deponere dubium, & statuere non fecisse.

Si autem de peccato ipso dubitatur, id quidem iterum distinguendum est. Nam aut dubium incidit, an actio illa à te fuerit aliquando exercita, cui, si sit præstita, dubium non est annexum esse peccatum; v. g. perjurium; quod quidem constat si ne scelere numquam præstari; dubitas autem an id præstiteris. Et tunc quidem dictum est ibidem num. 53. & seq. non tantùm posse, sed & debere Conscientiam, criminis se absoluere. Unde istud sequitur ne quidem posse dubitantem, se de sic dubio scelere accusare, cùm ostensum sit debere sese absoluere, & pro innocentiâ suâ dicere sententiam. Ad hoc ergo conniti debet, & dubitationem animo eximat. 4. Ibid. n. 53. & seq.

Qui solet tentationibus resistere si dubitat an certa cuidam non consenserit non potest illud confiteri.

Sin verò constat sese actionem aliquam exhibuisse, quæ & sine scelere & cum scelere potest committi, dubitat autem animus an scelere sese implicuerit, tum tandem ad præsumptionis regulam recurrendum esse statuimus ibidem num. 51. & seq. & si quidem is sis, qui peccata actionibus eiuscemodi intercurrentia solitus es euitare, liquidò statue sine dubio non peccasse te. Hinc qui solitus impudicitiam omnem exhorrescere, eiusque primis instigationibus validè resistere, dubitat an cuidam obortæ impetigini consenserit, statuat certò, consensum omnem fuisse denegatum: præsumptio enim habetur ex consuetis, & sese à Confessionis 5. Ibid. n. 51. & seq.

fessionis onere liquidò absoluat.

6. Ex aduerso autem, si quis facilè sese abripi, & passim videat sceleribus implicari; neque adeo peccandi pericula solitus sit euitare, vt ea quinimo studiosè quærere communis ei sit mos, tum sanè statuat se peccasse actione eâ de quâ dubitat, actumque confiteatur. *Qui solet tentationibus consentire, & dubitat an consenserit, statuat se consensisse, & confiteatur.*

7. Tandem, quòd si præ mentis imbecillitate & judicij impotentiâ, ex regulis jam traditis dubitationem animus non potest deponere, tum certè dubia peccata judicarem esse aperienda vt dubia; non aliâ inductus ratione, quàm quòd ita ferat communis praxis & piorum hominum consuetudo. Atque hæc quidem de dubiis. *Qui dubitè non potest deponere confiteatur dubium.*

27. Certa verò & in comperto cùm sunt scelera, tum quidem sic statuit Tridentinum, *non in genere dumtaxat, sed in specie ac sigillatim peccata declaranda.* Sed neque hîc quidquam est molestiæ, quæ facilè superari non possit. Nam quamuis subtilior videatur peccatorum ea distinctio, quâ singula ad suas species reuocantur, quàm vt ea ab ignaris hominibus in sua membra metaphysicè possit dispesci; istud satis constat, tam exactam specierum omnium scientiam pro exomologesi ritè instituendâ minimè requiri; vulgarem sufficere notamq; passim omnibus criminum differentiam. Qualis ea sit, & vnde desumenda, exactè à P. Francisco Suarez exponitur. *Rursus*, inquit, *non obstat difficultas quæ esse solet in discernendis speciebus mortalibus: nam etiam sufficit quòd regulariter notæ sint, saltem vulgari quodam modo per diuersitatem præceptorum, & rerum seu materiarum circa quas peccatur, vel etiam virtutum quibus peccata opponuntur. Et deinde Confessoris scientia & diligentia debet in hoc supplere ignorantiam pœnitentis. Ac denique si factâ morali diligentiâ, aliquid ignoratum fuerit, & eâ ratione prætermissum, illud non obstabit valori Confessionis & Sacramenti.* En totam quæ hâc in parte occurrere poterat difficultatem, à summo Theologo clarè detersam. *Qualis scientia requiratur, vt peccata in suas species distinguantur.*

Trid. sess. 14. c. 5.

Suar. in 3. Part. to. 3. Disp. 22. sect. 2. assert. 1.

28. Minorem habet peccatorum numerus sigillatim explicandus. Nam si in comperto sit pœnitenti quoties peccarit, facile est numerum exponere. Si verò id tam exactè non recordetur, sufficit vt eum dicat nnmerum, qui ad verum proximè accedat, dicatque v. g. vigesies plus minùsue sacro per meram ignauiam non interfui. Neque si deinde certò compererit vigesies bis aut *Quomodo peccatorum numerus sit exponendus.*

ter peccasse se, quidquam necesse est, vt certum hunc numerum, quem vt incertum anteà fuerat confessus, rursus proximâ exomologesi fateatur, cùm sufficienter Confessione primâ fuerit expositus. Ita visum est grauissimis Theologis. Denique si tanta sit scelerum in eâdem specie multitudo, vt ne dubio quidem modo ea possit enumerare; tum sanè tempus quo sic sceleribus operam dedit, eorumque numerum per dies, septimanas, aut menses exerceri solitum, confuso saltem modo fateatur. Sic nempè prostibulum, si aliàs impudicitiarum numerum inire nequiuerit, satisfaciet, si dicat per quinque v. g. annos omnibus omnium ordinum hominibus fuisse expositum, animumque habuisse peccandi cum omnibus passim occurrentibus, eosque per septimanas singulas, haud multò secus fuisse v. g. decem aut duodecim. Nam vt rectè Cano, *ex eo tantam accipit Confessor notitiam, quantâ opus est ad quemcumque finem Confessionis consequendum; imò quantam potest pœnitens dare, etiamsi exprimat sexies millies peccasse. Non ergo debet Confessor vexare pœnitentem punctim interrogando de numero, per anxiam & puerilem superstitionem, faciens eos vel mentiri, vel certè falsum dicere.* Ita ille. Diutiùs hisce, vtpote passim notis, non immoror. Sufficit mihi singula quæ in Confessione occurrere possent molesta delibanti, demonstrasse, ex vano esse difficultates illas quas heterodoxi sibi fingunt, eas Confessioni vt affingant; nullamque carnificinam pro sacro hoc tribunali exerceri, nisi pro malè sentientium ingenio. Nouimus eorum artes & fallacias: jugum calumniantur esse intolerabile, vt istud tantò liberiùs & perùicaciùs excutiant. Atque hæc sunt quæ Confessionis substantiam spectant, quæque ab Ecclesiâ requiruntur.

Cano. Relec. de Pœnit. par. 6.

§. VI.

Explicantur errores aliqui qui in modo confitendi pœnitentium vitio aut ignorantiâ intercurrunt, confessionemque faciunt difficilem.

29. ALiæ nonnumquam obuoluuntur pœnitentibus, in singulari criminum enarratione molestiæ, quæ non quidem ex Sacramenti

Errores quidam Confitentium.

menti institutione, sed ex hominm ignorantiâ enascuntur. Operæ pretium erit rem exponere. Plurimi enim nesciunt quis stylus, aut quis dicendi tenor in his subsellijs obseruandus sit. Alij enim dum accusare se volunt criminis, omnia exaggerant: alij dum suam rem agere sese credunt, extenuant omnia: alij vt clarè causam crimenque exponant, infinitis circumstantiis, & narrationibus parergis, ad rem quæ faciant nihil, inuoluunt & se & crimina: alij denique aliis se vexant modis, nec satis sciunt in quam sese vertant partem, vt officio suo legitimè defungantur. *Vnde hi nascantur.*

30. Paucis rem omnem absoluero, si istud in mentem reuocauero, thronum gratiæ esse quem adiuimus, neque pro foro contentioso stare nos, in quo causa vtrimque discutienda sit, & pro rationibus hinc atque hinc allegatis expendenda. Minimè gentium; non is seruandus est agendi tenor, vbi nuda & aperta solum requiritur Confessio, neque alia, quàm, quâ quid factum sit, Judici constet simpliciter & sine fuco. Hoc rectè si perceperis, plana sunt deinceps omnia.

31. Ac *primò* quidem, errare mihi magnopere videntur ij qui vt pœnitudinem animi verbis exprimant, criminis sui indignitatem multis describere allaborant: quin & in immensum augent rei fæditatem, neque aliàs sese pœnitentis officio rectè defunctos existimant. Erras vir minimè male. Non Rhetorem acturus huc accessisti, aut eloquentiæ daturus specimen. Neque si accusanda sint scelera, id ita credas intelligi, quasi si actoris partes agendæ sint tibi, cuius sit fæditatem criminis Judici exponere. Hæc omnia pro tribunali Conscientiæ peracta jam sunt; isthic exhibetur facti peruersitas, isthic exaggeratur rei indignitas, isthic peccator criminis conuincitur. At postquam in Domestico Conscientiæ tribunali ritè transacta hæc sunt, in throno gratiæ tota criminis accusatio, est nuda facti enarratio. Cessent itaque exclamationes, cessent hyperbolæ, cessent declamatorum figuræ, & Oratorum exaggerationes acerbæ. Legantur tabulæ prout sunt, merum recitatorem age tu: discernet Judex quid sit dere; quantum sit scelus, ipsius est statuere, tuum tantummodo est rem confiteri. Ne igitur tibi molestus sis, dum videri vis nequidquam eloquens. Neque Conscientiæ sese exonerantis has voces crede, sed vt Tract. 11. num. 42. dicebam *Abyssus*, id est *Pœnitẽs nõ agat Rhetorem, nec crimina sua exaggeret.*

Conscientia *dedit vocem suam, ab altitudine phantasiæ suæ*, non verò ex rei peractæ veritate.

Non agat etiam Causidicum, nec peccata excuset.

Alter ex aduerso est error, & præ jam dicto cauendus haud paullò magis: nam si exaggeranda non sint crimina, multò minùs sunt excusanda. Sic sanè sunt nonnuli, qui dum fatentur scelus, istud magno studio conantur extenuare verbis. Et quidem modò adolescentiæ efferuescentis impetiginem, modò allicientium & ad facinus instigantium illecebras, modò naturæ corruptæ infirmitatem, modò injuriarum quibus abrepti sunt atrocitatem, modò necessitatem rei domesticæ, modò nescio quæ afferunt quibus aut impudicitiæ, aut iræ, aut gulæ, aut injustitiæ aliquod præstent patrocinium, labore magno, fructu prorsus nullo. Nam non causidici, non patroni partes exiguntur à te; neque si pro te aut domo tuâ peroraueris, quidquam egeris ad rem tuam quod sit. Parce itaque labori superuacaneo: neque caussas crimini commisso prætende, sed factum expone; quòd cùm difficillimum sit defendere, imò ne defendi quidem possit, facillimum est simpliciter confiteri. 32.

Non alios accuset, sed se.

Quid, quòd non paucos inuenias, qui dum quod peccatum est à se magnâ animi submissione deberent exponere, in alienos humeros sarcinam coniiciunt, quam à suis conantur amoliri? Irâ abreptos totâ sese fatentur tumultuatos domo, totam clamoribus exagitasse familiam, quin & viciniam perturbasse; at intolerabiles vxoris mores, aut prolis petulantiam, aut vicini ineptias turbarum omnium esse semina; & ne Angelum quidem eiusmodi ingeniis sine fastidio posse conuiuere, adeò esse rancida, adeò turbulenta. Audio quidem ista, sed in quam rem dicuntur? an enim aliena confessurus accessisti mala, an verò tua? Alius quid peccauerit, dicet alius: neque maritus vxoris confessionem instituat, nec mariti vxor, nec prolis pater, nec ancilla heræ, nec hera ancillæ. *Vnusquisque onus suum portabit* ait Paulus, ac proinde *Opus suum probet vnusquisque*, & quod probare non potest, fateatur; de alienis autem malis nulla tibi modò sit curatio; agent ipsi dum videbitur res suas, tu tuam age: non enim alienis criminibus gratiam postulas, sed tuis: quid ergo alienis exponendis nequidquam intricaris? Certè nulla ab vxore si maritus es, nec à marito si vxor es, gratiæ sibi obtinendæ mandata accepisti; neque si illi gratiam expetieris, quidquam bonæ gratiæ retuleris. 33. ad Gal. 6. v. 4. 5.

retuleris. Vt quid igitur enarrandis eorum criminibus tantopere allaboras? Itaque vt rectè D. Chrysostomus, *accusa tua vestigia non aliena*, dum tibi gratiam dari postulas, & dum alienæ caussæ non potes suffragari, quantumcumque aliena scelera exposueris.

D. Chrys. ho. 43. in Matth.

34. Tertiò denique, istud etiam memineris, Historicum hîc non agere te, sed merum criminis commissi recitatorem. Incredibile est enim quàm fastidiosum sit hominum genus quoddam, qui cùm verbis pauciſſimis possunt rem omnem absoluere, v. g. conuitium se feciſſe, aut injuriam impegiſſe procaciter, totam narrationem, jam inde à primis vt ita loquar instituunt rei gestæ incunabulis; causſam, exordium, progressum dissentionum; locum, tempus disignant accuratione improbâ, non secùs ac is qui *bellum Trojanum orditur ab ouo*. Atqui historici hæ sunt partes, eas autem quid assumis, quas nemo tibi imposuit, nisi aut tuamet ignorantia, aut nimia fortasse garrulitas, & loquendi prurigo, tibi Confessorique oppidò importuna? Equidem fateor in euentibus qui justitiam concernunt, & vbi restitutionis aut contractuum agitur negotium, validine an sint, an inualidi, pluribus exponendam esse rei gestæ seriem; quandoquidem à minimâ sæpè circumstantiâ totius controuersiæ pendeat justa decisio. At in aliis sceleribus explicandis, nihil admodùm requiritur, quàm vt factum exponas, neque alias narres circumstantias, quàm quæ speciem aliam crimini inducunt. Sic si conjugatæ vitium obtuleris, id sanè est explicandum; cùm per conjugii circumstantiam, fornicatio aliàs futura simplex, in adulterium degenerarit. Cæterùm peccata eiusmodi quibus natura ipsa, ob rei fœditatem, verecundiam induxit, verbis claris quidem, sed modestissimis explicanda sunt; & quæ pudicè non sunt admissa, minimè recitanda sunt impudicè. Atque hæ demùm sunt difficultates, quæ modo confitendi solent intercurrere, Confessionemque reddunt odiosam. At non id ex Confessionis institutione rursus, sed ex pœnitentis aut ignorantiâ, aut vitio exortum ducere, nemo jam non videt.

Denique nō agat historicum, nec fusè narret peccata, sed breuibus,

& claris sed pudicis verbis.

§. VII.

Occurritur difficultati, quæ ex verecundiâ pœnitentis crimina fatentis petitur. Ostenditur quanta sit secreti ex Confessione exsurgentis obligatio. Denique injustum esse pudorem, & ferè phantasticum, qui à Confessione peccatorem deterret.

Objicitur verecundia confessionis.

VLtimùm quod obuoluebatur caput, ex quo clarè constaret Confessionem non nisi ingentem esse animi carnificinam, erat verecundia, ex criminum, præsertim occultorum declaratione, necessariò peccatori subeunda: quam quidem ita exaggerant aliqui, vt nullâ ratione ab homine modesti oris, eam asserant posse superari. Quid facies huic hominum generi, omnia per calumnias & conuitia agere solito: neque tam quid ferat ratio, quàm quæ grata sint improbis, temerè declamanti? 35.

Si vlla, exigua est Cõfessio erubescẽdi materia, quia vni fit & secretò.

Etenim si ratione rem discutimus, Verecundia est aut Timor ingloriationis, vt rectè D. Thomas cum Philosopho statuit, aut ex eô saltem trahit originem. Quanta igitur obsecro debet esse verecundia, si justa sit, vbi aut nullius, aut certè exiguæ admodùm infamiæ subeundus est timor? An enim grauem quis dicet aditi infamiam, vni omnino homini si scelus patefiat, & cui haustâ ex Confessione scientiâ nullo penitus euentu, nisi per summum sacrilegium, datum est vti? ne tum quidem, cùm aliàs solus cum solo sermones misces, nisi fortè tu id volueris? 36. D.T. 2.2. q 144. a. 1. in c. & a. 2. ad 2.

Ostenditur quanta sigilli Confessionis sit obligatio

Et vt hac in parte pœnitenti penitus satisfiat, juuabit fortasse dicere, quanta ex sigillo Confessionis oriatur tacendi obligatio. Quæ quidem tanta est, prout disertè Suarez docet, *vt nullo casu, & propter nullum finem, etiam pro tuendâ totâ Republicâ ab ingenti malo temporali aut spirituali, violare illud liceat*: & hanc dicit Theologorum omnium sententiam, contra vnum Altisiodorensem, qui solus docuit Confessionem reuelari posse, *si reuelatio sit utilis ipsi pœnitenti, & credatur ei non fore ingratam, neque* 37. Suar. to 3. in 3. p. disp 33. n. 2.

Con-

Confessionem propterea ei reddendam onerosam. Verùm vt rectè Suarez, *moraliter est impossibile quod assumitur; videlicet reuelationem Confessionis non esse onerosam pœnitenti. Tum etiam, quia licèt demus ita contingere in peculiari casu, hoc est per accidens; & cessante in particulari fine legis, non cessat eius obligatio: præsertim, quia hîc non tam attenditur bonum pœnitentis, quàm ipsius Sacramenti.* Ita ille. Maximè autem officit bono Sacramenti, si Pœnitens sibi persuadeat, vllo in euentu Confessionem posse reuelari. Atque ex hoc capite etiam consequitur, ne ad euadendam quidem mortem posse Confessionis secreta detegi: non quòd cum tanto incommodo debeat quis pœnitentis famam tueri, vt quidam existimant; sed quòd Sacramenti à Christo instituti jura, etiam vitæ suæ impendio debeat Sacerdos propugnare. Sacramenti, inquam, bona atque integra fama, non tantùm priuati hominis vitæ, sed & Reipublicæ totius indemnitati longè debet anteferri. Unde fit vt etiam objecto morti corpore, omnibus enitendum sit, ne quidquam res tam sacrosancta in opinione hominum detrimenti patiatur. Pateretur autem quàm plurimum, si vllo in euentu crederent homines, ea quę Confessioni commissa sunt, à Sacerdotibus posse reuelari.

Ibid. n. 17.

Ibid. n. 18.

nullus datur casus in quo possit fieri Confessionis aliena reuelatio.

38. Quòd si autem legis tam rigidæ latorem inquiris; præterquàm quòd juris naturæ eam doceant esse Theologi, Suarez statuit hanc tacendi obligationem, ipsius Sacramenti institutioni à Christo fuisse conjunctam. Institutionem verò, *talem fuisse*, inquit, *consensus & tradito Ecclesiæ satis docent.* Vnde & istud clarè pronuntiat, *non posse Ecclesiam, hanc legem abrogare, neque in illâ dispensare; imò etiamsi Summus Pontifex per impossibile præciperet hoc secretum reuelare, non esset illi parendum: quia præciperet contra jus Diuinum. Et hæc omnia constant ex sensu, & vsu Ecclesiæ.* Ita Doctor ille celeberrimus. Alterum ex quo constare potest quàm hoc secretum Confessioni sit intrinsecum, est, quòd si quis non nisi per interpretem Sacerdoti confiteri possit, ab omni confessionis onere liber sit, & datis generatim pœnitentiæ signis, à Sacerdote nihilominùs sit absoluendus. Ex quibus istud constare jam existimo, quàm exigua sit quæ per Confessionem subeunda est infamia; cùm tota facinoris commissi fama, ex Christi institutione, vnius hominis scientiâ circumscribatur; quæ rursum talis est, vt etiamsi per sacrilegam impudentiam ea Sacerdos reuelauerit,

Ibid. n. 10.

Ibid. n. 9.

Obligatio secreti venit ab institutione Christi.

Nemo tenetur confiteri per interpretem.

lauerit, nullam tamen ejus teſtimonium in foro exteriori faciat fidem. Et verò (quod euidentiſsimum eſt Diuinæ prouidentiæ argumentum inſtitutioni ſuæ præcauentis Dei) quamuis infiniti fuerint Sacerdotes apoſtatæ, qui Sacramenta omnia, Eccleſiaſticaſque conſuetudines per ſummam impudentiam exagitarunt, nullum tamen audiuimus Confeſsiones à ſe auditas reuelaſſe, aut ex reuelatis per ejuſmodi apoſtatas confeſsionibus, cuiquam pœnitenti allatum incommodum, aut ſcandalum Eccleſiæ obortum. Adeò nimirum altè, etiam dum in hæreſim ſunt prolapſi, infixa eſt eorum animis obligatio tacendi ea, quæ dum Catholici eſſent à pœnitentibus audiêre: & rurſus, tanta eſt Chriſti à Sacramento, ejus auctoritate inſtituto inuidiam omnem amolientis induſtria & prouidentia.

Chriſti prouidentia in cauendo ſecreto Confeſſionũ ne reuelentur ab Apoſtatis ſacerdotibus.

c. dilectus de Exceſſ. Prælatorum.

Conſulendo pudori licèt Confeſſariũ adire cui reus ignotus ſit.

Quòd ſi autem ne hæc quidem præcautio, verecundiam omnem auferat; pudeatque nihilominùs pœnitentem, etiam penes vnicum hominem diffamari; certè in manu eius eſt Confeſſarium adire, cui minimè ſit cognitus. Nullâ enim lege cautum eſt, vt reus, quis ſit, in hoc foro à Judice agnoſcatur; modò præſentis hominis, quiſquis is ſit, Rex an mancipium nihil refert, ſciantur ſcelera. Ignoti autem apud ignotum quæ demum poteſt eſſe infamia? infamiæ verò vbi timor non eſt, quæ demum poteſt eſſe verecundia? Ad incognitum autem Confeſſarium accedere, adeò non eſt illicitum, vt Suarez & Cardinalis Lugo clarè doceant, *ſi quis habeat ordinarium Confeſſarium, cui communia leuia peccata confiteatur, quoties verò aliquid graue occurrit, alteri confiteatur vt ordinario Confeſſori id occultet*, ſolitamque apud eum virtutis non interruptæ famam obtineat, contra integritatem huius Sacramenti minimè peccare, quantumuis Sylueſter crudè admodum docuerit peccari mortaliter. Vtitur enim pœnitens jure ſuo; judex ex hypotheſi eſt legitimus; & peccata prout oportet exponit pœnitens; neque dum ad ordinarium redit, reticet peccata vlla, quæ non in foro pœnitentiæ ritè ſint explicata: nihil autem ad legitimam Confeſſionem, præter hæc, requiritur. Atque hæc quidem ita intelligenda ſunt, ſi tantùm ad euadendum verecundiam hæc fiant, & non vt diutiùs in occaſionibus proximis peccandi mortaliter perſeueret pœnitens: ex eo enim capite poſſet ea occultatio lethale crimen eſſe; non tamen adeò quòd ſcientia ordinarii Confeſſoris declinetur, quàm quòd non ſit vera commiſſi

39.

Suar. ibid. diſp. 22. ſect. 1. n. 15. Lugo de Pœn. diſp. 16. n. 57.

missi criminis pœnitudo, cujus emendationem planè necessariam, tam anxiè subterfugiat; & tanto artificio detrectet. Atque hoc modo omnem penè difficultatem, quæ ex subeundâ per Confessionem occulti criminis verecundiâ petebatur, autumo esse detersam.

40. Cæterùm etiamsi faterer ita ingenitam esse homini verecundiam, vt eam quiuis ratione non possit penitus superare, tum sanè grauissimum istud Concilii Tridentini Oraculum in mentem est reuocandum. Ita habet. *Ipsa verò huiusmodi Confessionis difficultas, grauis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur.*

Verecundia ex Confessione orta, per confessionis commoda compensatur.

Trid. sess. 14. c. 5.

41. Etenim istud primum interrogo, an quidquam difficile videri possit perpeti, ei qui æterna sese supplicia promeruisse sine dubio confitetur? An vlla reconciliationi scelerum, & gratiæ certissimò obtinendæ, potest verecundia quantumuis magna comparari? Deinde si reticendo scelera, ea hominum oculis, judiciisque sententiæ in te aliquando ferendæ posses subducere, esset fortasse quo pudorem humanum aliquousque excusarem. At verò si pudori subeundo consulis, cur vni tantùm homini peccata non confiteris, aliàs pro totius orbis theatro per sũmum dedecus, & quidem à teipso propalanda? Audi D. Augustinum rem hanc grauissimè perpendentem. *Si non confessus latues, non confitendo damnaberis. Times confiteri, qui non cõfitendo, esse non potes occultus. Damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus.* Perpende hæc tecum seriò ô peccator! illudque apud te statue, quâ fronte infamiam occulti sceleris, in celeberrimo orbis vniuersi consessu laturus sis, qui jam ad vnius hominis vultum erubescis, nec tui persimilis conspectum fers. O præposteram mortalium verecundiam! ô curas peruersas! Quantam eheu inter homines stragem edidit humanus pudor! libet profectò exclamare cum Bernardo, insanumque famæ conseruandæ studium detestari. *Etenim*, inquit, *Peccatores esse volumus, & nolumus æstimari; & ne ab vno quidem. Inuerecundi ad obscœnitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ est: malè proni ad vulnera, peiùs in remedia verecundi.*

Declarãtur in Confessione scelera vt aternitate totã occultẽtur.

D. Aug. in Ps. 66.

D. Bern. ser. 1. de circumcis.

42. Et verò, non possum satis admirari quæ hîc satis apta sit verecundiæ materia, si, vt Tridentinum rectè statuit, commoda & consolationes

Erubescẽdæ res non est per quam

peccator fit justus & amicus Dei.

solationes quas hoc Sacramentum certissimè confert, non humanâ ratiocinatione, sed fidei lumine perpendamus. An non enim id liquidò ostensumest, in hoc throno non indemnitatem tantùm scelerum, sed & innocentiam ipsam præstari? an non est demonstratum, præstitâ in hoc foro gratiâ, eo te posthac apud Deum loco esse, quasi si nullo vmquam scelere Diuina tecum amicitia fuisset interrupta; adeò vt ne ab ipsis quidem Angelis, peccatorem te fuisse, vllo tibi possit tempore exprobrari? Hoc autem profectò quid est, nisi criminis non declarari tantùm, sed fieri innocentem? Hæc verò si ita sint, quis mihi erubescendam rem esse persuaserit, per quam ipsius innocentiæ redditur gratia? Et hæc quidem D. Chrysostomi est oratio. *Oportebat*, inquit, *quinimò cum alacritate hæc ipsa facere: non enim confusio accusare peccata sua, sed justitia & virtus. Quis autem confunditur de opere quo fit justus? quis confunditur confiteri peccata sua, vt soluat peccata sua? Num propter hoc jubet (Deus) confiteri peccata vt puniat? Non vt puniat, sed vt ignoscat: nam in externis judicijs post Confessionem pœna.* Ita Chrysostomus. At in hoc miseri decipimur, quòd ab humano foro, consuetam nobis judicii formam, ad sacrum gratiæ tribunal trahimus. Alia certè hîc sunt omnia. In illis, etiam cùm condonantur scelera, tamen vt publicè ea constent, exigitur facti confessio: in hoc verò ideò declarantur, vt perpetuò posthac silentio innoluantur. In illis sola datur facti impunitas: in hoc autem ipsamet amicitia Diuina restituitur. In illis reus solummodo justitiæ exercendæ eripitur; in hoc pœnitens justus fit. *Quis autem confunditur de opere quo fit justus?* quis centum millia æris debere se fateri erubescat, si ipsa debiti confessio, apud creditorem habenda sit æris soluti, & sic expuncti præstatio? Quis pudendam rem esse dicet, infirmitatis suæ confessionem humilem, si ea ipsa sit dignitatis eximiæ, amicitiæque Regiæ acquisitio?

D. Chrys. serm. de Pœnit. & remissione.

Adhortatio ad peccatorem, vt ne vereatur vultum hominis optimam de ipso existimationem habituri.

Erige itaque mentem Peccator: maleferiatum pudorem excute; non enim erubescendum est fateri quod es, vt posthac non sis, quem te fuisse pœnitet: neque hominis, ad cujus genua supplex fis, vultum metue, aut de te ferenda judicia expauesce. Quid enim? an alio apud hominem hunc te futurum loco existimas, quàm quô scit apud Deum esse te? Quid igitur te vano metu torques? quid puerilibus terriculamentis nequid-

43.

quam

quam te exagitas ? Sanè Sacerdos te esse sentiet, non quem tu te peccando feciſti, sed quem ipse te absoluendo refecit: non attendet qualis veneris, sed qualis abeas; abibis innocens, abibis sanctus, abibis denique amicus Dei: de quo testatur Dauid, quòd *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus: sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus.* Quæ quidem verba sic exponit D. Augustinus: *Pulchritudinem amas? confitere. Fœdus eras? confitere vt sis pulcher. Peccator eras? confitere vt sis justus . . . . . Si confessio & pulchritudo in conspectu ejus, sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus.* Summa enim Dei magnificentia est, gratiam reo præstitisse; supplicem, in veterem gratiam benignissimè admisisse; vno verbo, vt absoluam omnia, Dei summa gloria est, reconciliatio peccatoris.

Psal. 95. D. Aug. in illud psal.

SEPTIMVM CONSCIENTIÆ OFFICIVM

Pro pœnis peccato debitis satisfacere.

TRACTATVS XVI.

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI ET VLTRONEA.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo semper. *Psal.* 37. *v.* 18. 19.

Quo jure imponantur à Sacerdote mulctæ pœnitentibus, & quantùm obligent. An semper graues injungendæ, vti volunt nonnulli, & an hæc fuerit praxis veteris Ecclesiæ, & mens SS. Patrum. Commendantur pœnitentiæ sponte susceptæ; earumque fructus multiplex, & vsus varius ostenditur.

PROOEMIVM.

QVod in foro externo, etiam vbi criminum præstanda est gratia, à Principibus rectè exigitur, id etiam in Diuino Misericordiæ tribunali video obseruari. Etenim quamuis isthic, reo sua crimina fide bonâ jam confesso, vitæ concedenda sit gratia; tamen seueritatem misericordiæ admiscet Princeps, mulctamque aliquam reo imponit: tum quòd ita exigat criminis condonandi enormitas; tum quòd mulctæ persoluendæ

uendæ obligatio, beneficij præstiti memoriam refricabit reo, majore nque inducet legum reuerentiam & obseruationem. Non aliter sanè nobiscum agit, misericors sit quantumuis Deus. Culpam omnem, pœnasque æternas, peccatori crimina sua ritè exponenti, liberalissimè concedit; mulctas tamen exigit, imo imponit; quo jure, mox videbimus. Satisfactiones hæ vocantur, & sunt: quas quidem vltroneas esse patitur: & sponte oblatas, refert in computus, debitique solutionem. Alias tamen legitimè à Sacerdotibus imponi vult, & à pœnitentibus acceptari: & sunt eæ, quas Sacramentales dicimus. Magna inter has est differentia; quam quia nonnulli non obseruant, aut sanè dissimulant, turbant omnia, clamore magno, fructu nullo. Itaque in duas partes diuidenda est oratio. Et primò quidem exponendum est quod pœnas in Sacramento injunctas spectat; quo jure exigantur; quantùm obligent; paruæne an magnæ passim imponendæ. Deinde quid de pœnis vltroneis & afflictationibus corporis dicendum sit; quantùm his placetur Deus; quanta ex iis ad peccatorem emolumenta obueniant; & tandem quâ ratione sanctum hoc carnis suæ odium sit exercendum.

§. I.

Vnde post remissam culpam, satisfactionis existat obligatio. Satisfactio duplex est: voluntaria, & Sacramentalis. Declaratur quid hæc possit, vtramque reiciunt hæretici, sed malè, & contra sacræ paginæ mentem.

1. VT rebus dicendis fundamentum substernamus firmum & solidum, illud ante omnia statuendum est; non ita semper aut Contritioni, aut Sacramento Pœnitentiæ per Sacerdotis indulgentiam, criminum culpam condonari, vt etiam omnis omnino pœna iis debita, præter æternam, pœnitenti illico remittatur, sic vt nihil quidquam luendum restet. Pluribus hoc nunc agere non est animus, quod aliàs fortasse fusiùs prosequemur. Instituto meo sufficit, Tridentini Concilij decreto id esse sancitum. Ita habet. *Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & à verbo*

Condonatâ culpâ, non semper condonatur omnis pœna peccato debita.

Trid. sess. 14. c. 8.

Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin vniuersa etiam pœna condonetur: perspicua enim & illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus, præter Diuinam traditionem, hic error manifestissimè reuincitur. Certè scelerum gratiam, culpæ inquam condonationem obtinuerat regius Psaltes: & tamen pœnam omnem crimini debitam, ne efflictim quidem eam deprecando, à se potuit auertere. Ita sacræ testantur litteræ. *Et dixit Dauid ad Nathan, peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid; Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur:* nequidquam nisus est Dauid jeiunio obstinato, corporisque afflictionibus, pœnam ex dolore morituri pueri orituram à se amoliri, *accidit enim die septimâ vt moreretur infans.* Condonatâ culpâ, pœnas tamen remissi sceleris exigit justus Deus: non est ergo disputandum vlteriùs, an peccati obtentâ gratiâ, culpâque jam remissâ, pœnæ tamen à reo possint exigi; nisi injustum fortasse velimus Numen dicere, quòd has à Dauide sibi per pœnitentiam reconciliato exegerit: exegit nihilominus tam seuerè. Indubitatum hoc & Sacro-sanctum Ecclesiæ orthodoxæ dogma, instituti mei jam non est pluribus demonstrare; neque quod exinde consequitur, satisfactionem meritò postulari, vbi justum est quod debetur. 2. Reg. c. 12. v. 13. 14

Hinc pœnitentia voluntaria ortum habent.

Ex hoc principio ritè stabilito, & ab ipsis jam inde Ecclesiæ sanctæ incunabulis, ab omnibus Christi fidelibus legitimè percepto, ortum duxit, *primò* quidem pœnarum corporisque afflictationum voluntaria liberaque susceptio; vigiliarum jejuniorumque, vti & cilicinarum vestium, quin & verberum sibi inflictorum sanctus vsus; quô pœnis à se Deo debitis, & aut hîc incussis flagellis, aut purgatorij igne expiandis satisfacerent, easque persoluerent in antecessum. *Secundò* ex hoc nata est satisfactio quam Sacerdos pœnitentibus, dum culpæ gratiam concedit, nihilominus imponit. Quæ quidem quamuis ad essentiam Sacramenti non requiratur (verum enim esset, absolutionisque virtutem omnem in condonandâ culpâ reo conferret, etiamsi nulla prorsus à Sacerdote pœnitenti imponeretur mulcta aut pœna) pars tamen integralis est, vt aiunt Theologi, & sine quâ Sacramentum non esset partibus requisitis omnimodè absolutum. Sic vir captus brachiis, quamuis ei adsint omnia quæ hominem 2.

item Sacramentales satisfactiones:

quæ sunt pars integralis Sacramenti.

hominem componunt, partibusque constet quæ humanam naturam constituunt, corpore inquam, atque animâ ratione præditâ, quorum gratiâ perfectus homo & est & dicitur; tamen quòd partibus careat, quæ à corpore humano exiguntur, rectè negatur homo integer, cùm tamen nemo possit ire inficias, quin homo sit perfectus.

3. Hoc verò pœnæ quæ à Sacerdote imponuntur habent eximij, & quod pœnitentibus stimulos dabit ad eas non acceptandas tantùm facilè, sed & ad persoluendas etiam animo libenti & prompto; quòd longè majorem ad satisfaciendum virtutem habeant, præ ijs quas sponte suâ reus suscipit. Adeò vt eadem prorsus abstinentia, aut oratio, aut eleëmosyna, quam ex præcepto Confessionis quis exequitur, longè plura pœnarum debita expungat, quàm si proprio pœnitentis exhibeantur arbitrio. In his enim totus actionis præstitæ valor ex operantis est opere; in illo autem præter operantis merita, feruorem agentis, actionisque bonitatem, accedit summa præstantia ex opere operato, id est, ex meritis Christi, quæ per Sacramentum, Sacerdotisque jurisdictionem pœnitentis satisfactioni legitimè applicantur.

Sacramentales pœnitentiæ magis satisfaciunt quàm voluntariæ.

4. Neque parum attendendum est, quòd satisfactionem sic præscriptam, Confessionis præceptum esse dixerim. Ab eâ enim à Sacerdote impositâ, & à pœnitente acceptatâ, nascitur in pœnitente parendi obligatio: quandoquidem tota hæc caussa virtute Clauium, & jurisdictione legitimâ peragitur; cui competit, non tantùm *soluere*, sed *ligare*. Neque ab hâc mulctæ impositæ obligatione quisquam ritè absoluitur, nisi à legitimo judice; id est aut ab eodem, aut certè ab alio, qui juridicundo legitimam etiam habeat potestatem.

Obligant sub peccato.

Matt. 16. v. 19.

5. Quòd si tandem istud quæritur, quanta sit quæ pœnitenti incumbit parendi obligatio: respondeo, peruulgatissimam esse Theologorum sententiam, id pro pœnæ impositæ grauitate dijudicandum esse. Et quidem si mulctæ leues sunt (v.g. quina orationis Dominicæ salutationisque Angelicæ recitatio) non nisi sub venialis peccati interminatione esse persoluendas. Quòd si verò magnæ fuerint, eæ inquam quæ communi prudentique hominum judicio vulgares non censentur (has autem non pauci Theologi ad rosarium quinque decadum limitant) tum sanè mortalis incurrendi sceleris, si negligantur, noxam induci. Quòd sine dubitatione vllâ,

Et quidem sub mortali si graues sunt, & impositæ pro peccato graui.

vllâ, si pro mortali crimine, & non pro venialibus solum fuerint injunctæ, judicandum est; cùm & grauis sit materia quæ omittitur, & grauis sit causſa quæ justo præcepto dedit occasionem. Atquæ hæc de Sacramentali satisfactione pro instituti mei breuitate, communique hominum praxi, dicta videntur sufficere: cætera quæ dici possent, Scholis relinquo.

Hæretici negant vllam satisfactionem esse vtilem.

6. Istud tamen prætermittendum non est, non deesse, qui pro suo genio arrodere vti solent omnia, ita & satisfactionem ab Ecclesiâ sanctissimè vsurpatam, conuellere, & insectari non cessant. Duplex est id hominum genus. Hæretici enim satisfactionem penitus omnem, contendunt, persoluendis peccatorum pœnis, prorsus esse inutilem; non eas tantùm quas Sacerdotis imperium, sed & quas pœnitentis animus pro piâ affectione, liberoque assumit arbitrio. Etenim garriunt à Christo persoluta omnia, justum ab ejus Sanguine pro peccatorum debitis pretium appensum esse. Ac propterea per satisfactiones hominum, merita patientis Dei, vel obscurari, vel aliquâ ex parte saltem imminui. Pœnas itaque satisfactioni necessarias, vt euadant Nouatores hi, prout Concilium Tridentinum atteſtatur, *optimam pœnitentiam, nouam vitam esse docent, vt omnem satisfactionis vim, & vsum tollant.* Nullâ itaque, ex eorum placitis, peccatorum pœnitudine aut deteſtatione opus est, peccata vt condonentur; neque vllis afflictationibus impetenda est caro sceleribus vindicandis, eluendisque eorum reliquiis: tantùm à peccatis abstinendum est deinceps, vitaque in melius efformanda, & salua sunt omnia. Placidum enimuerò hominum genus, charitatisque & pacis imprimis studiosum. Adeò enim actiones omnes amoris trutinâ expendunt, & charitate dimetiuntur quidquid agunt, vt nec sibi quidem, præ charitatis studio, irasci libeat, nec corpori proprio bellum indicere. Nescio sanè quid D. Paulo in mentem venerit, dum seuerus sui judex, *castigabat corpus suum & in seruitutem redigebat*: aut quo pacto id contigerit, vt qui viscеribus charitatis complectebatur omnes, corpus proprium à tam benigno amoris amplexu excluserit. Nescio etiam cur in *flagella se paratum*, exclamet Dauid: nec cur *iniquitatem suam pronuntiet*, nec rursus cur *cogitet* id est sollicitus sit *pro peccatis suis semper*: vitam enim in melius commutauerat; neque antiquis implicata criminibus, sed noua prorsus ei ducebatur & innocens: vt quid ergo flagella cogitat, qui nulli crimini,

Trid. sess. 14. c. 8.

Refutantur.

1. Cor. 9. v. 27.

Psal 37. v. 18. 19.

ni, propter nouam vitam, est obnoxius? Nolo hæreticorum ineptiis refutandis diutiùs immorari. Plenæ sunt Sacræ paginæ, plenæ Patrum lucubrationes, testimonijs, quibus sanctum hoc corporis petulantis odium commendatur, imò & præscribitur: plenæ sunt denique Sanctorum historię, castigationum & pœnarum, quas viri innocentissimi pro leuibus etiam noxis vindicandis, seuerissimè, & si carni accommodè loqui libeat, crudelissimè de se sumpserunt. Apage igitur hæreticorum sese palpantium, carnique suæ molliter abblandientium teneras voces, imò & temerarias. Patiatur sanè nunc caro quæ justè meruit sufferre, vt non Spiritui tantùm, hoc est animæ, sed & corpori benè sit.

§. II.

Graues & ingentes pœnitentias in Confessione passim imponendas esse, asseritur præter mentem Tridentini, à quo salutares & conuenientes dandæ præscribuntur.

7. A Liud genus est hominum, in diuersa omnino abeuntium. Catholici hi sunt, sed nimio, Ecclesiasticos mores & instituta reformandi, vti præ se ferunt, studio abrepti, satisfactionem Sacramentalem non rectè in Ecclesiâ passim administrari contendunt. De voluntariis pœnis rarus ipsis est sermo: sed circa Sacramentales mulctas à Sacerdotibus pœnitenti irrogandas, omnis penes illos sollicitudo est & cura; quasi si à rectâ Sacramenti Pœnitentiæ administratione, hâc in parte passim à Sacerdotibus aberretur. Caussantur enim exiles esse mulctas, seu, vt jam vulgò loquimur, pœnitentias, quas Confessarij passim peccata confitentibus imponunt; neque eas esse, quæ scelerum grauitati respondeant: aliam fuisse olim Ecclesiæ veteris praxim, Patrumque sententiam: satis enim constare, grauissimas olim pœnas sceleratis impositas, quæ non vnum tantùm tenerent diem, sed & annos integros. Plenos esse Canones Ecclesiasticos, quibus & temporis diuturnitas, & jeiuniorum frequentia, & genuflexionum modus, atque alia longè grauissima, sceleribus designantur supplicia; quæ quidem omnia exactè primitiua obseruabat Ecclesia. Nunc autem quid fit? preces aliquot peccatori grauissimo, sic quasi cursim recitandæ imponuntur,

Satisfactiones, non nisi graues, in Confessione imponēdas, contendunt aliqui.

Proponuntur eorum rationes.

nuntur, neque quidquam vltra præcipitur: certè, longè aliter Pœnitentiam procurasse Sanctos Patres; quos nihil adeò constat in ore habuisse, quàm vt ad graues à se exigendas pœnas, adhortarentur populum. Hæc & alia, per hosce annos, passim pro concionibus declamata sunt in pulpitis: & quidem nonnullorum eò prouecta est oratio aut licentia, vt Confessarios tam molli manu pœnitentem demulcentes, errare grauissimè, satis seuerè pronuntiarent; Sacramento vitium facere; ac à viris pietatem spirantibus eiusmodi Confessarios omnino esse fugiendos; non enim eos pœnitentium saluti, sed frequentiæ consulere. Hæc magnis animis, sed nescio an mente optimâ, publicè priuatimque diuendita, & multa alia in hanc rem. Vnde id saltem consecuti sunt operæ suæ pretium, vt & grauiores peccatores, vti mihi constat, à Confessionis Sacramento absterruerint; tenerioresque mentes admodùm perturbarint, dum sibi persuasêre (quod etiam non obscurè pro pulpitis dicebatur) non bonas fuisse admodùm exomologeses illas, quas præter Christi mentem, eius Vicarius Sacerdos frigidus & Judex imbellis, pro jurisdictione sibi traditâ non administrabat. Ita illi. Quibus antequam respondeam, occurrendum est ante omnia perturbationibus & scrupulis, quos pœnitens sibi posset efformare ex Confessione, post quam criminibus par sibi à Confessario pœnitentia aut mulcta non sit imposita.

Sacramentum pœnitentiæ constat & validum est, etiãsi nulla satisfactio imponatur.

Dico igitur, siue magna sit, siue parua, quæ à Judice Absolutioni subnectitur mulcta; imò & si nulla imponatur, pœnitentem tamen de gratiâ impertitâ & à se perceptâ, minimè debere ambigere. Nam quamuis nulla injuncta sit pœna, nihil tamen Sacramenti essentiæ defuit; cujus, vti dixi num. 2. satisfactio essentialis pars non est, sed tantùm integralis: non est itaque dubitandum, quin quod verum est Sacramentum, verum etiam effectum produxerit essentiæ Sacramentali debitum: hîc autem est, culparum omnium condonatio, esto quòd de pœnis peccato debitis nihil admodùm sit remissum. Si autem leuis imposita sit mulcta, minùs est quòd de Sacramenti valore dubitetur; quandoquidem etiam constet parte integrante, licèt fortassis ad eluendas pœnas non adeò robustâ & validâ. 8.

Et verò, vt satisfactionis Sacramentalis natura declaretur impensius 9.

pensùs, istud accuratè perpendendum est; in Sacramento Pœnitentiæ, non ex æquo pœnas exigi, sceleribus nimirum pares & commensuratas: quasi verò à pœnitente postulari debeant tantæ pœnæ, quantæ præter æternas, quæ proculdubio cum culpâ ipsâ condonatæ jam sunt, adhuc debentur. Frustràneum enim esset iterum imponere pœnitenti debitum, quo jam tenetur ex scelere: quapropter nulla omnino à Sacerdote imponenda esset satisfactio, si eandem ipsi deberet pœnam injungere, quam ex naturâ grauitateque sceleris, pœnitens debuisset exhibere. In eo itaque stat Sacramentalis satisfactionis virtus & efficacia, vt minori mulctâ, sed juridicè impositâ, & liberè acceptatâ, pro grauioribus pœnis legitimè satisfiat, suusque interim & Deo offenso & reconciliationi factæ stet honos; cujus nonnumquam interest, sceleris commissi gratiam ita pœnitenti conferre, vt tamen mulcta aliqua, reparandi honoris ergò, non summa quidem, aut honori Diuino per peccatum ablato ex æquo correspondens, aliqua nihilominus exigatur. Aliqua, quia Dei offensi reuerentia id postulat: non summa tamen, quia gratia quæ in Pœnitentiæ Sacramento conceditur, vti eleganter asserit D. Thomas, *reconciliatio est amicitiæ*. Non solet autem inter amicos offensæ satisfactio, rigori justitiæ commensurari, sed offensi voluntati; cujus est maximam mulctæ jure imponendæ partem, amicitiæ condonare. Itaque, vti rectè D. Thomas, debita datur Deo violati honoris satisfactio, *dum offendens recompensat secundum voluntatem eius quem offendit. Sic igitur*, inquit, *requiritur ex parte pœnitentis, primò quidem voluntas recompensandi; quod fit per contritionem. Secundò quòd se subjiciat arbitrio Sacerdotis loco Dei, quod fit in Confessione. Tertiò quòd recompenset, secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione.* Ita disertè D. Thomas. Ex quibus omnibus id conficitur, pœnitentem cuicumque demum satisfactioni, & quantumcumque exili, debere acquiescere; officioque suo in Pœnitentiæ Sacramento, & gratiâ postulandâ fecisse satis, cùm câ mente tribunal hoc accesserit, vt quodcumque satisfactionis genus paratus fuerit acceptare, diuinæque voluntati, prout sibi innotuerit, morem gerere. Diuinam autem voluntatem, satisfactionemque ab eo exigendam, non aliâ ratione potuit percipere, quàm ex Sacerdotis, Dei vicarias partes gerentis, voce & indicio. Nihil itaque præterea à pœnitente potuit jure exigi, cùm ipsi nihil quid-

Non debet in Confessione imponi mulcta quantam ferre meretur pœnitens,

sed longè minor:

quia non fit hic reconciliatio ad rigorem iustitiæ, sed ex amicitiæ legibus.

D.T.3.p. q.90.a.2.

Hinc pœnitens planè satisfecit suo muneri, qui quantùis paruam pœnitentiam in Confessione acceptauit.

quidquam jure constet, aut constare possit, præter id quod à Dei personam repræsentante, & pro tribunali jus dicente, legitimè præscribitur. Cessent igitur Neotericorum plus nimio efferuescentium voces; neque Absolutioni conquerantur per minores pœnas impositas quidquam detractum: neque pœnitentibus, cum quibus actum est blandiùs, de præteritis Confessionibus metus faciant: fanatici enim sunt qui ingeruntur timores; legitima fuit Absolutio: neque in pœnitentiâ acceptatâ quidquam peccauit pœnitens. Si quid erratum est, Confessarij error fuit, qui tamen Confessioni non officit, sed solum inficit Sacerdotem.

Objecto. Saltè Confessarios nimiu languidè agere.

Hoc est inquies quod volumus; non adeò pœnitentes accusamus, quàm Judices ipsos erroris arguimus. Non enim rem Dei agunt, exigua qui pro grauissimis sceleribus imponunt supplicia, nec auctoritatem offensi Numinis, tam facilè indulgendo, tuentur. Imò nec pœnitentibus ipsis sic rectè consulitur; vtpotè quibus inertes nimiùm, curandis sceleribus adhibentur medicinæ. Magnæ imponendæ sunt peccatoribus mulctæ; rigida ingerenda sunt supplicia; vt malo suo edoctus reus, sciat quid sit offendere tantum Deum, & à tormentis, quæ nunc ex Sacerdotis præscripto patitur, aliquando tandem sapiat, & à criminibus resipiscat. 10.

Non est priuati hominis legem Confessarijs præscribere.

Ain verò tu, pœnarum arbiter seueriſſime? ingentes tu pœnas pœnitentibus irrogandas adstruis, blandioresque Confessarios ignauiæ accusas, imò & condemnas? At, quid si illi te interrogent *Quis te constituit judicem super nos*, qui jurisdictionem nostram à Deo accepimus, nostro, non autem alieno arbitrio moderandam? Hæc, inquam, si respondeant, quid quæso tu illis, ratione bonâ poteris reponere? Clamabis illico sat scio, jurisdictionem nihilominùs ex mente Dei exercendam, ne illi sit injuria. At tum illi jure rursus ex te quærent, à quo tandem debeant de mente Dei hâc in parte edoceri? An à te homine prorsus priuato; an verò ab ipsâ vniuersali Ecclesiâ, Diuinæ mentis legitimâ interprete, & cuius, vti Diuina, ita & indubitata est auctoritas? Sanè ab hâc petenda esse responsa, Sacramentorumque rectam administrationem edocendam; eaque quæ profert oracula, priuati cujusdam viri placitis, infinito interuallo esse præferenda, sanus nemo, nemo orthodoxus, rectè negauerit. Videamus ergo quid vniuersa in Concilio Tridentino congregata 11.

gregata Ecclesia Confessariis de satisfactione à pœnitentibus expetendâ, præscribat. Ita habet sanctum decretum.

Decretum Tridentini de injungendis pœnitentiis.

12. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones injungere: ne, si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Trid sess. 14. c. 8. Adde & rationem alteram, quam eodem capite præmiserat Sancta Synodus, *ne* pœnitentes *occasione acceptâ ex mulctæ impositæ leuitate, peccata leuiora putantes, velut injurij & contumelioſi Spiritui Sancto, in grauiora labantur, thesaurizantes sibi iram Dei.* Hæc Ecclesiæ, Sacerdotes suos instruentis, sola est, & tota institutio. Expendamus porrò singula.

Qualitas criminum in pœnitentiis injungendis spectanda.

13. Atque istud illico interrogo: vbinam in hoc decreto, grauium atque ingentium mulctarum, vel specie saltem tenus, facta sit mentio? Certè neque grauium neque etiam leuium satisfactionum, sed *salutarium & conuenientium* Synodus meminit, easque prudenter docet, non pro quantitate, sed pro *qualitate* criminum esse exigendas. Aliis enim aliisque morbis, aliæ atque aliæ adhibendæ sunt medicinæ. Cùm autem injunctæ mulctæ, non satisfactionis tantùm, sed & medicinæ, curandis animi morbis rationem habeant, rectè præscribitur *pro qualitate criminum, salutares & conuenientes* satisfactiones esse injungendas. Sic sanè eleëmosyna injustitiæ, jejunium gulæ, aliæ afflictationes corporis luxuriæ deinceps curandæ conuenient, salubriterque illis vitiis infecto præscribentur: oratio denique, morborum animi vniuersalis medicina, rectè ex mente Tridentini injungetur, *pro qualitate criminum & pœnitentium facultate* nihilominus imponenda. Ast de quantitate criminum, quid obsecro hîc edicitur? Nihil prorsus. An enim, vt pro qualitate morbi alia atque alia medicina est conuenientior, ita etiam pro quantitate, grauitate inquam mali majori aut minori, major etiam medicina semper est aptior? Sanè vti tam attritæ nonnumquam sunt stomachi corporisque vires, vt etiam in morbis acutissimis, non nisi debilia admodum præscribenda sint pharmaca; ne nimiâ potionis vi, quod reliquum est caloris naturalis suffocetur: ita non rarò contingit, vt tam altum sit malum, virtusque pœnitentis tam

non vtro semper quantitas.

Datur ratio.

exigua, vt satisfactione ingenti, medicina inquam valida, debilitandum potius sit quod reliquum virtutis est, imo extinguendum penitus, quàm ad debitum vigorem nouamque vitam reuocandum. Minoribus itaque medicinis prudenter admodum foueatur, & paullatim suscitatur is qui pene extinctus est calor; donec per alia atque alia virtutum exercitia, sensim excitatus, in majora tandem assurgat, atque ad heroica satisfactionis opera, suâ sponte enitatur. Non ergo, quamuis pro diuersâ qualitate criminum, diuersa etiam pensanda esse remedia, rectè statuat Tridentinum, hinc tamen ad criminum quantitatem rectè argumentabere; quasi pro majoribus, majores etiam sint pœnæ imponendæ pœnitentibus. Non inquam rectè sic argues: Major hîc est culpa, ergo major est requirenda satisfactio. Minimè vero; ex mente Tridentini non est hæc consecutio. Salubrem & criminis qualitati conuenientem satisfactionem & medicinam exigit. Aliquando autem grauior, longè est aptior; aliquando autem minor est salubrior, & pœnitentis facultati (quod etiam prudenter attendi vult Tridentinum) id est ægrotantis virtuti, magis attemperata & accommoda. Quid autem, & cui pœnitenti magis conueniat, id quidem Sancta Synodus Sacerdotum judicio prudentiæque commisit; quos disertè asserit satisfactiones pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate debere injungere, sed vti disertè subnectit, *prout spiritus & prudentia suggesserit.*

14. Jam verò sic mecum rationem instituo. Concilium Tridentinum, Patres è toto orbe congregati sapientissimi & celeberrimi, Ecclesia inquam ipsa, & sponsa Christi mysteriorum omnium interpres fidelissima, Sacerdotibus satisfactionis in Confessionibus exigendæ negotium commisit, pœnarum taxationem eorum prudentiæ concredidit. Quâ ergo fronte priuatus quis, absque auctoritate vllâ, legitimis judicibus audet metas figere, legemque præscribere, quam ei Ecclesia non imposuit? Quis inquam, vni homini auctoritatem dedit conscendendi cathedram, vt declamabundè coram populo admordeat Confessarij legitimè Jus dicentis sententias, mulctasque pro suo arbitrio taxet & constituat, quas Ecclesia vniuersa, nullius, nisi Sacerdotis reipsa judicantis, submisit arbitrio? Ego sanè non capio, Christianæ submissioni hæc qui conueniunt. Et cum charitatem ore semper crepent, Charitati hæc qui competant, prorsus

Temerarium est quod priuatus homo, Confessariis omnibus velit leges dare.

sus non intelligo. An ergo existimant omnem adeo in Theologis omnibus extinctam esse prudentiam, vt discernere nequeant, quid cuique pœnitentium præscribendum sit medicinæ, nisi quam suâ ipsi trutinâ appenderint? Aut Confessarios passim omnes tam profligatæ censent esse conscientiæ, vt quamuis sciant quæ satisfactio sit imponenda, eam tamen nolint exigere? Alterutrum ab ipsis sanè dicendum est, illudque tum addendum, solos sese sapere; solos esse à quibus Sacramentorum rectè administrandorum petenda sit institutio; & ne quid tantæ rei desit, istud denique edicendum, non obscurè, sed clare admodum, ita vt omnes intelligant, Concilium ipsum Tridentinum nimis molli manu egisse hanc rem, neque materiam hanc pro dignitate ossensi Numinis pertractasse, neque Christi sciuisse mentem, cuius Vicariis in diuinâ iurisdictione exercendâ, non alia, Deoque magis honorifica dederit imperia. Hæc autem ita esse, orthodoxis cùm demonstrauerint, non erit quod opponam. Sin autem pro dicendi lubentiâ tantùm hæc & similia declamauerint, non erit etiam quod his dictis magnopere perturber, iisque quidquam credam.

& quidem præter mentem Tridentini.

15. Cæterum, quòd toties ingerant, Sacerdotes debere meminisse Christi Vicarias sese vices gerere, ac proinde & eius honori debere consulere; commodè id quidem monent. Ast vbi demum in Sacris paginis traditum inuenêre, honorem Deo maiorem castigando peccatores comparari, quàm eorum flagitiis indulgendo; vbi contraria omnia Deus ipse, vt superiùs vidimus, infinitis propemodum locis attestatur? Vicariam fateor personam Christi Sacerdos gerit, sed misericordis & miseriis hominum indulgentis Dei: personam inquam, non ex rigore iustitiæ irrogantis supplicia, sed ea etiam quæ sunt debita, minori multæ condonantis. Etenim vt ex D. Thomâ nunc retuli; *amicitiæ est hæc reconciliatio*; non est autem amicorum, dum redintegratio infractæ amicitiæ initur, summa exigere. Aliquid tamen exigitur, vt iustitiæ satisfiat; minus autem ab eo, qui maioris redditi amoris titulo, maiori etiam amore est dignus. Hinc fit, vt qui maiori pœnitudine, ad sacrum hoc tribunal supplex Deo sit, maiori etiam gratiâ habituali perfundatur; atque hinc maiori etiam eum benevolentiâ Deus complectitur; vnde tandem id consequitur, vt minor ab eo exigenda sit satisfactio.

Sacerdotes Vicarij Christi sunt, sed misericordis, non verò castigantis.

Quanta

Spiritus Domini est Spiritus lenitatis & misericordiæ.

Quanta vero in hâc *amicitiæ reconciliatione* pœnitenti taxanda sit, id quidem statuet, totius causſæ pacisque sanciendæ arbiter Confessarius. Statuat autem, vti Tridentinum docet, *quam Spiritus & prudentia suggerit*, & muneri suo, Deoque, cuius partes gerit, fecit satis. At quis Spiritus? sanè Spiritus lenitatis, spiritus misericordiæ, spiritus charitatis, cuius secunda apud Apostolum laus est, esse *benignam*; denique Spiritus Domini; non verò spiritus acrimoniæ, spiritus perturbationis, spiritus vindictæ; multò minùs spiritus arrogantiæ & elationis. Profectò genio suo Diuinum spiritum commensurans Elias naturâ vtcumque asperior, & castigandis sceleribus assuetus, ingentem ventorum turbinem emolientem omnia inaudiit, & Dei spiritum esse credidit. Ecce inquit Sacer textus, *spiritus* id est ventus *grandis & fortis, subuertens montes & conterens petras ante Dominum, & non in spiritu*, illo nimirum, *Dominus*. rursus *neque in commotione Dominus*, denique *neque in igne Dominus*. Et qui in turbulentis hisce, & cuncta discerpentibus elementis non erat Dominus, erat tandem *in sibilo auræ*, & quidem *tenuis*. Ita sanè est. Non omnis qui flammas & vindictam spirat, Dei spiritus est; nec is qui tumultus excitat, perturbationesque animorum ciet, nec qui magno latus impetu cuncta subuertit & proruit, is est spiritus qui Confessariis debeat suggere, quantis sint pœnis peccatores Deo supplices castigandi; suggeret id spiritus *auræ tenuis*, spiritus prudentiæ, spiritus misericordiæ & lenitatis, spiritus denique humanæ fragilitati indolentis, amicèque pœnitentem miserum complectentis Dei. Hunc tu spiritum Sacerdos sequere, & Dei partes agis.

1. ad Cor. 13. v. 4.

3. Reg 14. v. 11. 12.

Demonstratur imprudentia eorum qui dicunt semper graues pœnitentias injungendas.

16. Magnus hîc se mihi aperit dicendi campus, si imprudentiam quorumdam, Satisfactiones magnas ore vbilibet crepantium, ingentesque & præter rationem omnem exorbitantes pœnas, etiam pro exiguis & venialibus peccatis seueriſſimè impositas luberet enumerare, & prudentium hominum judiciis condemnandas exponere: neminem tamen lædere nunc est animus. Amicè verò hos tam seueros judices interrogo, an magnæ prudentiæ id sit, ingentes pro venialibus peccatis mulctas injungere, cùm magnorum Theologorum, Henriquesij imprimis, Fabri, Nunezij, & Cardinalis de Lugo sit sententia, omnem grauem pœnitentiam in Sacramento impositam & acceptatam, etiam per veniale

Heuriq. Faber. Nunez. Lugo de

Pœn.disp. 25.sect.5. veniale peccatum promeritam, grauiter & sub mortali vt ajunt scelere incurrendo obligare. Quis autem id credet, prudentis esse pro veniali maculâ expiandâ, præcipere medicinam quæ mortem ipsam neglecta inferat? Cùm verò passim Theologi omnes statuant, saltem de tantâ satisfactionis exhibendæ obligatione non esse dubitandum, dum mulctæ graues pro mortalibus peccatis pœnitenti præcipiuntur; rursus quæro, an id prudentis Sacerdotis sit, tam vrgentis præcepti materiam homini objicere, quem aut infirmitatis & inconstantiæ vitio, & virtutis non satis obsirmatæ defectu, aut negotiorum rerumque agendarum mole in alia omnia actum, ingentes illas mulctas contempturum, & deinceps habiturum suspicaris? Quid enim id est aliud, quàm in certissimum peccati mortalis periculum, pœnitentem sponte & destinatò conjicere, & quidem sine necessitate prorsus vllâ? Sanè salubres satisfactiones imponi cùm velit Tridentinum, cauendum est omnino ab ijs quæ prudenter judicantur nocituræ.

17. Hoc itaque prudens Sacerdos sibi præstitutum habeat, non quidem aut magnas semper, aut semper exiguas pœnas imponere, sed conuenientes & profuturas. Eadem quæ hunc ægrum curat medicina, alteri est exitio. Prudentis id est medici, profuturum quid sit discernere. Tantùm id caueat Confessarius, quod prudentissimè monet Tridentinum, *ne alienis peccatis conniueat, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis injungendo.* Vbi diligenter expendendum est, non leuia opera grauibus delictis, sed leuissima grauissimis opponi. Leuissima autem cùm pro grauissimis injungi prohibentur, non illicò grauia pro leuibus, neque grauissima pro grauibus delictis passim & omnibus imponenda imperantur. Certè tanta potest esse peccatoris pœnitudo, tantus dolor animi per suspiria vberesque lachrymas sese explicantis, vt Sanctissimorum virorum exemplo, etiam leuissima pro grauissimis delictis satisfactionis opera, prudenter omnino, & ex mente Tridentini, imponi possint & quandoque debeant: tum nempè, cùm judicant sese *peccatis non conniuere*, neque *occasionem dare in grauiora relabendi* homini, qui à se commissa tam amarè deplorat, & tam seriò detestatur. Quid, quòd & non rarò contigerit, vt leuissima mulcta imposita peccatori scelestissimo, occasionem dederit, amarissimè deflendi scelera, eaque

Non paruâ semper nec semper graues imponẽdæ pœnitentiæ, sed semper salubres.

Trid. sess. 14. c.8.

Aliquando leuiores pœnitẽtia maximo pœnitentis fructu fuêre impositæ.

eaque ingentibus exinde pœnis à se sponte exactis vindicandi ? pudebat enim hominem vehementiùs suæ impudentiæ, quòd eum tam indignis modis Deum offendisset, quem post tot atroces injurias, experiebatur in Vicarijs tam facilem & benignum. Contigerunt ista sæpissimè. Certè Spiritus Dei vbi vult agit, & sicut vult. Huic modum aut metam ponere, non est hominis; & in hac materiâ, non est prudentis. Extrema tantùm sunt cauenda. In medio residet, quæ virtutum moralium prima est, prudentia: hanc satisfactionibus erogandis & taxandis, adhibendam esse docet Tridentinum. Valeant igitur, certa & quidem acria semper medicamenta præscribentium voces: illudque ipsimet, dum alijs dant consilia, sedulò obseruent, ne dum vitant vitia, in contraria currant incauti, & nimio efferuescentis animi œstro perciti.

§. III.

Graues pœnitentias pœnitentibus semper imponere, est contrà praxim veteris Ecclesiæ, cujus vsus malè ex Canonibus petitur. Fallacia est, quòd contraria suadentes non distinguant inter pœnitentiam publicam, & priuatam: item inter voluntariam, & Sacramentalem. Hinc etiam perperàm pro se afferunt antiquos Patres.

Obiiciuntur veteris vsus Ecclesiæ,

DUo adhuc restant argumenta, quæ feruori suo acriores illi pœnitentium Judices prætendebant; antiquus videlicet Ecclesiæ primitiuæ vsus, & Sanctorum Patrum placita. Etenim, inquiunt, satis constat non tam molli pœnitentes olim tractatos manu; vtpote quibus non vnius tantùm diei jejunia, humicubationes, genuflexiones, & publicæ scelerum deprecationes imponebantur, sed & quadraginta diebus, imò & septem etiam annis, per dies statutos & interpolatos protrahenda præcipiebantur: prout passim videre est in sacris Canonibus constitutum, & in Ecclesiasticis historijs quotidiano vsu confirmatum. Nunc autem quid fit? ne vnius quidem diei jejunium imponitur; cæterarum verò 18.

verò mulctarum, nulla est mentio. An non hoc est à pristinâ,& antiquâ Ecclesiæ praxi turpiter desciuisse ? cur autem ea in praxim iterum non reuocetur ? Quòd verò ad Patres attinet; quid quæso in eorum commentariis occurrit frequentiùs, quàm pœnarum corpori infligendarum commendatio? quid adeò clamant, quàm carni indicendum acriter bellum, pœnitentiam agendam esse in cinere & cilicio, carnem denique omni impetu edomandam, vt spiritus saluus fiat ? *& sancti Patres.*

19. Magno hæc animi studio, quin & ingenti laterum nisu, clamoribusque per hæc tempora fuêre jactitata. Et quidem fidem non modicam apud non paucos reperêre, quòd sanctitatis non vulgaris speciem hæc dicta præ se ferrent; auctoritatemque conciliaret non exiguam, vulgò credi hæc à præconibus ipsis in proprium corpus exerceri supplicia, ad quæ aliena membra tam feruidè condemnabant. Vt vt sit, respondeo egregiam esse fallaciam, id quod de veteri Ecclesiæ vsu Sacris Canonibus expresso, contentiosè quidem, sed incautè satis, effutiunt. Populo certè imponitur, dum nullum inter publicas pœnitentias & priuatas discrimen faciunt, mulctasque promiscuè easdem, ab Ecclesiâ exactas fingunt. Et vt fallacia detegatur, istud quidem dicendum est, olim, prout & nunc in vsu est, præter Confessarios, quos eo tempore Pœnitentiarios vocabant, & priuatim in Confessione peccata confitentibus jus dicebant, prout fusè hæc docentur à Baronio; etiam externum tribunal viguisse, in quo de sceleribus publicis, & Ecclesiæ famam decoremque infestantibus, cognoscebatur pro caussæ meritis admodum acriter: puta de adulteriis publicis, veneficiis, sacrilegiis, homicidiis, apostasiâ, hæresi, cæterisque id genus sceleribus. Neque nunc jurisdictio hæc extincta est, quàm ad Officiales suos seu Judices, Episcopi solent deferre. Scelerum ejusmodi conuictis, fateor, pœnitentias, quas rigidiores illi Censores enumerant, imponi solitas, & seueriss. mè exactas. Verùm, an à publicis illis mulctis, ad priuatas recta est consecutio? Et quæ in foro externo, in quo, ex justitiæ rigore & ad exempla populo facienda, pœnæ imponuntur; ad forum gratiæ trahendæ sunt illico? Sanè, & nunc quoq; adulteri conuicti, concubinarii & ganeones publici, asinis imponuntur, virgis coronantur, & sic totius plebis exponuntur deludibrio, vt cunctis fidelibus innotescat, quàm pudenda sint hæc scelera, quorum auctores Ecclesia tam rigidè castigat An idcirco prudentis esset Confessarii, hæc aut

Pœnitentiæ aliæ sunt publicæ pro publicis sceleribus in foro externo injungendæ : aliæ Sacramentales.

Baron. an. Christ. 56. n. 24. 25.

Ab illis ad has non est argumentandum.

his similia, adulteris sese clanculũ accusantibus commendare, imò præcipere? Quòd si autem eæ quæ nunc ab Ecclesiâ exiguntur à publicis peccatoribus mulctæ, ad priuatas Confessiones trahendæ non sint; cur veteres illas, publicis etiam & scelerum conuictis reis olim inflictas, in vsum priuatæ confessionis volunt reuocari? Sanè hodiernis Officialibus vsurpatæ pœnæ, exomologesi nostræ adhibendæ si non sunt, neque etiam veterum illarum facienda erat mentio: aut si hæ sanctæ, quia rigidæ, quia seueræ; etiam hodiernæ seueritate suâ non carent, quas tamen nemo prudens, Confessionibus priuatis rectè dixerit applicari.

Pœnitentiæ Sacramentales olim Sacerdotis prudentiæ sunt commissæ.

20. Dicamus ergo quod res est; à publicis pœnitentiis ad priuatas ineptè trahi exempla, eaque ineptiùs populo proponi. Interim vti rectè Ægidius Coninck, *nulla jam lex est humana aut diuina, præscribens certam aliquam pœnitentiam, quam Sacerdos pro his vel illis peccatis debeat injungere; sed hoc relinquitur ipsius arbitrio. Non quidem ita, vt pro libitu possit pro quibusuis peccatis grauem vel leuem pœnitentiam injungere; sed quia ipsius est judicare, quæ, omnibus perspectis, hîc & nunc pœnitentia sit injungenda. Est communis Doctorum, & eam apertè docet Innocent. III. c. Deus qui. 8. de pœnitentiis.* De veteris autem Ecclesiæ confessariis, ita pergit dicere sententiam. *Imò etiam olim simili modo fuisse permissum Sacerdoti, vt in hoc foro eam pœnitentiam injungeret, quam crederet hîc & nunc maximè expedire injungi, colligitur ex c. Mensuram 85. de pœnitentia d. 1. Quare Canones pœnitentiales, qui habentur in quibusdam Concilijs, aut solùm erant pro foro externo (quamuis etiam in hoc, multum permittebatur judicio Episcopi) vel non continebant præceptum, sed tantùm quasdam regulas, quibus Confessarij possent instrui, vt eas quantùm judicabant commodè fieri posse, sequerentur.* Ita ille, & benè. Certum est enim scelera quædam esse tam enormia, vt & prudenter, iis curandis, ingentes etiam pœnæ præscribantur. Quando id fieri debeat, Confessarij id est despicere. Prudentis verò non est, grauia semper applicanda esse remedia indiscriminatim edicere; neque satis sinceri Ecclesiastæ est, id Ecclesiæ veteris exemplo velle confirmare.

Coninc de Sacram. disp. 10. dub. 8. concl. 6.

Quid in Canonibus pœnitentialibus spectandum sit Confessarijs.

Probatur ex antiquissimis Theologis.

21. Quòd si verò doctissimus Coninck recentior cuiquam videatur esse, quàm vt de veterum Canonum vsu rectam possit ferre sententiam, veteres sanè dabo Theologos. *Primò*, Albertum Magnum, D. Thomæ Magistrum celeberrimum. *Dicendum*, inquit, *quod*

D. Albert. in 4. dist. 20. a. 14.

quod numquam apertè præscribitur regula pœnitentiæ, in Confessione scilicet obseruanda. *Sed tamen tria ad minùs attendenda sunt; scilicet peccati qualitas, Contritionis quantitas, & status pœnitentis. Canon autem non attendit nisi vnum* (nempè peccati qualitatem) *& ideò quod dicit, non est nisi quasi exemplare ad dirigendum in alijs, ad minorandum ab illo, vel illi addendum, secundùm arbitrium discreti Sacerdotis, hæc tria solenniter obseruantis. Secundò*, huic accedit D. Bonauentura. Ita ait; *Canones instruunt in generali qualiter imponenda est pœnitentia. Sed dum descendendum ad singularia, relinquunt Sacerdotibus discretis qui considerent personarum circumstantias, accedentes ad Canones, sicut ad regulas directiuas. Tertiò*, si circumstantias personarum accuratiùs inquiris, quas attendendas esse vult D. Bonauentura, eas ejus sententiæ subscribens, describit S. Raymundus his coæuus. Ita loquitur in Summâ. *Videtur dicendum quòd arbitrio Sacerdotis pœnæ omnes taxantur, consideratis circumstantijs criminis, quantitate, & dignitate, & qualitate. Item, personæ dignitate, officio, paupertate, infirmitate seu debilitate complexionis, consuetudine, societate, lachrymis & deuotione; item regionis & temporis qualitate. Quartò*, Alensis fatetur, *suo tempore omnes ferè Confessores tenuisse, quòd omnes pœnitentiæ sunt arbitrariæ*, id est inquit, *in voluntate Sacerdotis positæ.* Ex quibus omnibus nunc patère existimo quid Theologorum antiquissimi de veteris Ecclesiæ Canonicis pœnitentijs senserint, & quo pacto eas in occulto Pœnitentiæ foro confitentibus judicauerint applicandas.

D. Bonau. in 4. dist. 20. parte 2. dub. 3.

S. Raym. l. 3. summæ c. de Pœnit.

Alensis 4. part. summæ q. 31. membr. 3. a. 1.

22. Non minor subest fallacia alteri, quod ex SS. Patrum auctoritate petebatur, argumento. Seriam inquiunt, pœnitentiam commendabant hi; corporis macerationes magnas, frequentia jejunia, & his similia populo proponebant, & ad ea fideles omnes hortabantur impensiùs: quin ergo adhortemur & nos? Perplacet profectò consilium; & mox eò connitar non frigidè. Verùm despiciendum id est priùs, de quibus pœnitentijs Patres egerint. Id quidem frequentissimè in sacris eorum homilijs inuenio, quòd peccatores ad vindictam criminum de se sumendam sint adhortati; iisque stimulos indiderint, vt non vulgaria tantùm supplicia exercerent, sed & insigniter etiam pieque in se sæuirent. Neque verbis modò, verùm etiam exemplo fidelibus in tam sanctæ crudelitatis exercitio, eos præluxisse, innumeræ

Patres voluntarias pœnitentias populo commendarũt.

de grauibus in Sacramento semper injungendis, numquam egére.

testantur historiæ. At suasisse Sanctos Patres Confessariis, vt passim & generatim ingentes atrocesque pœnas imponerent, eosque ad seuerè cum pœnitentibus agendum fuisse adhortatos, hoc sanè nusquam legi: & quàm contrarius fuerit hâc in parte Patrum sensus, mox videbimus. Quâ igitur rursus mente ea quæ à Patribus, de pœnis mulctisque voluntariis seu sponte suâ à peccatore assumendis dicta sunt, ad pœnitentias à Sacerdotibus imponendas, perperàm & falsò distorquentur? hoc certè non est bonâ fide agere.

Sacramentalis pœnitentia obligat sub peccato.

An ergo inquies perinde habendæ non sunt pœnitentiæ, siue 23.
in Sacramento præscribantur, siue vindicandis sceleribus sponte assumantur? Minimè gentium. Nam vt antè dixi, pœnitentiæ graues à Sacerdote impositæ, præcepti vim habent, obligationemque secum trahunt, cui sine noxâ lethali non satisfit. Hinc quamuis non prudenter tantùm, sed & sanctè, hominum torpor, ad insignem corporis sui contemptum & odium, castigationes, & verbera quinimo rebelli carni infligenda, à Diuini verbi præconibus excitetur: imprudenter tamen, hæc à Sacerdotibus passim injungenda esse, nullo habito sexûs, ætatis, personarumque discrimine, in pulpitis declamatur. Illæ enim vti liberè assumuntur, ita & omittuntur sine vllo peccato, etiam minimo. Hæ verò quia legitimè sunt præscriptæ, præcepti vim obtinent: & quia graues sunt, sine mortali peccato non negliguntur. Quantæ autem id esset imprudentiæ, vbi mihi tam perspecta est humana infirmitas, & vbi me inter homines aut agrestes, aut classiarios, aut milites, aut inter eos versari video, quibus non tantus est pietatis, rerumque diuinarum sensus, iis nouum præcepti genus imponere, cui prudenter, imò ferè certò metuere debeo, obedientiam non esse præstandam? quasi verò præcepto meo, in re sibi difficillimâ, morem gesturi sint ij, quibus de Diuinis legibus obseruandis, non diuturna est curatio. Essetne hoc hominem peccatis eripere, & non potiùs noui criminis ansam dare?

Hinc imprudentis esset promiscuè graues imponere.

Imponendo leuiores consulitur ipsi Sacramento.

Dicam igitur cur grauioribus pœnis generatim abstinendum 24.
sit, nec sine magnâ prudentiâ, pro pœnitentium facultate, vti ait Tridentinum, & dispositione, denique tantùm vbi profuturæ sunt, irrogandæ; moderatæ verò cur passim adhibendæ. *Primò* quidem vt hominum imbecillitati succuratur. *Secundò*, vt

vt ipsi Sacramento consulatur ; neque ab immodico Judicis, illud, jurisdictionemque suam administrantis exercitio, quidquam detrimenti patiatur : patietur autem indubitatim, & ex rigore odium feret : odiosa enim semper hominibus est austeritas. Quis autem bono animo rem complectitur, cui non afficitur ? & quis afficitur rei odiosæ ? Deterrebuntur itaque passim homines, & à medicinâ auertent animum, quam sibi præstituunt tam amaram. Huic incommodo cauet Confessarij benigna moderatio; cujus est, non pœnitenti tantùm, sed & Sacramento à Christo instituto, ejusque bono nomini & famæ consulere. Christi autem præcipua fama semper fuit, *quia hic peccatores recipit* ; infringitur autem hæc fama vehementer, imò tandem euanesceet, vbi Christi Vicarius peccatores sic recipit, vt à Sacramento deterreat, & tandem fuget. Neque dicas hæc fieri pœnitentium vitio : nam vt ita sit, vitiis etiam occurrendum est ne ingraueſcant : maximè cùm id saluo Sacramento, seruatâque Christi auctoritate & jurisdictione potest fieri, vti in hoc euentu prorsus potest ; ac proinde cùm possit, debet.

Luc. 15. v. 2.

25. *Tertiò*, scin cur moderatæ mulctæ pœnitentibus sint passim imponendæ, & ab exorbitantibus communemque modum excedentibus abstinendum ? Dicam. Ne fortè malè mulctatus à te pœnitens, oculos erigat, eosque in Judicem suum coniiciens, miretur hominem erga seipsum tam benignum & moderatum, alienæ infirmitati tam parum indolescere. Rursus ne & tibi dictum sit id, quod Christus hypocritis olim, legisque Diuinæ seueris nimiùm assertoribus apud Matthæum ingerebat, *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt super humeros hominum; ipsi autem digito suo nolunt ea mouere.* Quam quidem sententiam nullo modo auderem ego, rigidis illis pœnarum infligendarum arbitris applicare, nisi eandem iis jam dudum admouisset D. Chrysostomus, in opere imperfecto in Matthæum. Et quamuis is commentarius incerti dicatur auctoris, tamen eum Chrysostomo attribuunt Sixtus Senensis aliique quàm plurimi. Quidquid sit, antiquissimus est hic auctor, & celeberrimus, & cui quid suo tempore, id est in veteri Ecclesiâ mos ferebat, proculdubio erat satis superque perspectum. Sententiam, quòd materiæ nostræ sit admodum opportuna, totam, licet longam, eius verbis do. Expendat Lector singula. Cum itaque exposuisset

Scandalizantur fideles sæpe ex nimio Confessarij rigore.

Matth. 23. v. 4.

Veteris Ecclesiæ in Sacramentalibus pœnitentiis injungendis mos à D. Chrysostomo declaratur.

suisset Scribarum & Pharisæorum subdolam in exponendâ lege vafritiem, ore nimirum pleniſque buccis magna quædam & arduа concrepantium, & dura mandata interpretatione suâ populo deferentium, quæ ipsi *ne modicâ quidem ex parte* implerent: tum ad rem nostram ita progreditur eleganter Chrysostomus. *Secundùm consequentiam autem, tales sunt etiam nunc Sacerdotes, qui omnem justitiam populo mandant, & ipsi nec modicè seruant: videlicet non vt facientes sint justi, sed vt docentes appareant justi. Tales sunt & qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt; qui dicunt, & non faciunt: & sic, dum pœna pœnitentiæ præsentis fugitur, contemnitur pœna peccati futuri. Si enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris; necesse habet vt aut fascem reiiciat, aut sub pondere confringatur. Sic & homini cui graue pondus pœnitentiæ ponis, necesse est vt aut pœnitentiam tuam reiiciat; aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet.* D. Chrysost. in opere imperf. in Matt. homil. 43.

Vbi Deus benignus, Sacerdos non sit crudelis in alios, sed in se.

Deinde, etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes; nonne melius est propter misericordiam rationem dare, quam propter crudelitatem? Vbi enim Pater-familias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, vt quid Sacerdos eius austerus? 26.

Vis apparere sanctus? circa tuam vitam esto austerus, circa alienam autem benignus. Audiant te homines parua mandantem, & grandia videant facientem. Talis est autem Sacerdos qui sibi indulget, & ab aliis grauia exigit, quemadmodum malus descriptor tributi in ciuitate, qui se releuat & onerat impotentes. Ita auctor hic grauissimus. Vlcus tetigit, & prodiit quod intus latebat pus. Utinam hoc cultro perstrictus abeat quorundam tumor! 27.

Exemplo S. Xauerij.

Sanè si ex charitatis quâ flagrant lege, satisfactionem offenso Numini à pœnitentibus præstari appetant tantopere, ad manum est S. Francisci Xauerij, magni admodum juris Diuini propugnatoris exemplum. Cùm enim sceleratissimus quidam è classiariorum fœce pœnitens ad pedes eius accessisset, & enormium, longoque vsu inueteratorum criminum sese fecisset reum; homini cæteroquin perdito, Pater & Aue recitandum injunxit pater optimus: & debitæ à reo satisfactionis onere in humeros suos sublato, in nemus proximum secedens, flagris tam immaniter eos proscidit, vt sanguine totus difflueret. Ita nimirum alienæ infirmitati indolebat, vt pœnâ scelerum in se translatâ, satisfa- 28. Turscl. in vita S. Xauer. l. 3. c. 15.

ctionis

ctionis flagrorumque suo corpori inflictorum fructum, pœnitenti penitus transcriberet : sic nempe, & justitiæ Deo debitæ, & misericordiæ pœnitentibus impendendæ, factum est satis. Habent hîc quod imitentur in Xauerio rigidi diuinæ justitiæ exactores ; seueritatem nempe & benignitatem. Hanc, humano, id est, misero & miserando præstent generi ; illam, strenuè alacresque in se exerceant : & non apparebunt tantùm, sed erunt verè sancti, cùm sancta hæc facient. Aliis interim Sacerdotibus legem ne importunè dicant ; liberum, & prout ipsis à Christo est concreditum, jurisdictionis suæ exercitium relinquant : neque de eorum prudentiâ multùm sint solliciti ; aut se præ iis sapere existiment. Et si sapientes videri volunt, *sapiant* sanè sed vt D. Paulus monet, *ad sobrietatem.*

Ad Rom. 12. v. 3.

§. IV.

Pœnitentiæ vltroneâ commendantur. Ac imprimis ostenditur, prorsus rationi conforme esse, vt corpus criminum complex, etiam sit consors satisfactionis, & pœnas meritas luat.

29. NEque verò hæc eò à me dicta sunt, quasi si carnis corporisque in sua commoda nimiùm inhiantis, statutum mihi sit patronum agere, illudque pœnis peccato debitis penitus eximere. Aliud enim prorsus est, quid à Judice in Sacramento pœnitenti præcipiendum sit, aliud verò quid sponte suâ peccatorem agere conueniat. Neque dum benignitatem Sacerdotibus commendamus, odium sanctum quò se pœnitens persequatur exercendum esse, imus inficias. Quin ex aduerso, id nunc contendimus, seueritatem peccatoris, judicis misericordiâ debere exacui; & tantò majora à se exigenda esse supplicia, quantò plura, infirmitati humanæ, per meram misericordiam, videt condonari, aut ab eâ non exposci. Et hæc quidem Sanctorum hominum fuit antiquissima consuetudo ; corpus seueriſſimè affligere, carnem macerare, eiusque petulantiam, ne rursus lasciuiat, flagris etiam lorisque, asininum in modum, penitus affli-

Pœnitentiæ eò graviores sponte assumendæ, quò minores imponuntur.

Non religiosis tantùm sed & sæcularibus conueniunt corporis castigationes.

gere. Quod si autem innocentissimis viris hæc ad virtutem retinendam, animæque negotium procurandum, præclarissima fuerunt adjumenta; certè non video quâ ratione bonâ, nos qui tam indignis modis Numen offendimus, ea possimus excutere, aut ab iis corpori admouendis, carnem excusare. Enimuerò ad eremos solas & religiosa claustra amandanda sunt cilicia & jejunia: isthic scilicet sunt lasciuiæ incitamenta, isthic sunt illecebræ, isthic sunt homines ex carne compacti & sanguine, reliquum verò orbis virtus inhabitat; spiritu viuitur; caro prorsus subacta est, imò extincta; neque quidquam in mortales hosce, sanguis aut corporis impetigo habet dominij. Aërij prorsus sunt; & sic credo non *castigant* cum D. Paulo *corpus suum*, ne fortasse cùm istud impetunt *verberent aërem*. Certè non satis percipio, ex quo capite, major aut D. Paulo aut religiosis hominibus, quàm commune genus vitæ ducentibus, incumbat corporis edomandi obligatio. 1. Cor. 9. v. 26.

Probatur ex statu in quo omnes sumus.

Scio equidem multa pro se corpus opponere; jam enim adolescentiam & necdum satis confirmatas vires; jam verò morbis afflictas; jam senectutem & deuexam ætatem; jam molem negotiorum; jam hominum obloquia, & dicteria; jam statum dignitatemque obuoluet; & sese, cùm hæc dixerit, credet egregiè pro suâ caussâ peroraſſe. Reliqua quidem nunc prætereo; ast istud quod de statu insusurratur, non dissimulo. Enimuerò quisquis es, seu Princeps in republicâ seu vile mendicabulum; an statum peccatoris reipsâ non obtines, aut non obtinuisti aliquando, aut certè in eo nonne es loco, vnde ad eum statum possis turpissimè facillimèque deuolui? Hoc autem si fateris, quâ fronte satisfactioni te pœnisque exemptum vis, cùm in eo sis statu cui pœnæ illæ prorsus conueniunt? Satisfactionem inquis Deo non denego; meritas à me pœnas esse, lubens confiteor. At quandoquidem tota, non culpæ modò, sed & omnis pœnæ peccatis debitæ, per pœnitudinem animi, actusque Contritionis sæpius iteratos, condonatio auferri possit; vt quid jam de exterioribus afflictationibus corpori admouendis sermo instituitur, quasi priora non sufficerent satisfactioni integræ adminicula? Rectè mones: rationem dabo quantocius. Istud interim clarè video, profectò te corporis tui patronum esse egregium, & in malâ caussâ propugnandâ, caussidicum non indisertum. Animæ 30.

Contra omnem rationem est carnem satisfactioni eximere totamque animæ committere.

itaque

itaque totum satisfactionis pondus vis imponere; corpus verò penitus eximere: mœroribus opplenda est anima, corpus verò desuauiandum est tenerrimè: & ita demulcendum, vt ne in fletus abeat, & emarcescat. Ita tu agendum censes: at videamus quàm perperàm.

31. Etenim dic amabo, si fors ita tulerit aut malè agendi libido, vt duo in idem facinus latrociniumúe conspirarint, herus exempli gratiâ & seruus, atque vnus alteri subsidio fuerit: exinde verò à Prætore comprehensi, ad supplicium à Regio actore postulentur: an eo in euentu, Justitiæ factum fuerit satis, si herus meritas pœnas soluat, seruus interim absoluatur? Deinde, quid si bona pars prædæ ex latrocinio abactæ seruo obtigerit, an non indignior erit castigato Domino serui impunitas? Magis rem vrgeo. Quid si longè maxima spoliorum portio seruo obuenisset, & non nisi exiguæ, heri vsibus, cessissent reliquiæ: quis non justitiæ plurimum detractum diceret, quantumuis heri supplicio vindicatæ? Nec hîc adhuc hæreo; vlterius promouenda est res. Quid si herus tam atrox facinus designasset, tantùm importunis serui precibus imò & expostulationibus adactus; conquerentis nimirum, nihil sibi dari pro obsequiis impensis stipendii; atque adeò postulantis, vt suâ gratiâ latrociniis tantisper operam det, cujus fructus pro tot laboribus impensis sibi totus cederet. His, inquam, alijsque instigationibus compulsus herus, manus si dedisset & seruo & sceleri: nónne indignam esse planè rem clamarent omnes recta sentientes, si hero in furcam abacto, seruus interim malorum omnium & origo & complex, & vsurarius prædarum, non tantùm nihil luat, sed & viuat opiparè, bonis incubans malè partis: iisque, malè mulctato domino, perfruatur interim bellè & suauiter? Sanè si peccatum est vtrimque, non distinguantur pœnâ rei; & si rectè & ex æquo statuendum est aliquid, & pœnæ eximendus alteruter, absoluatur herus, puniatur seruus; vt qui ex scelere plus retulit commodi, acerbiores etiam à judice pœnas ferat. *Probatur exemplo.*

32. Nunc vos appello, judiciumque vestrum exquiro. Fertè sententiam sed rationi, quâ vos præditos esse non ineptè gloriamini, & conscientiæ rectæ non disformem. Plerumque dum patramus scelera, Deique mandata dum excutimus, honoris Majestati tantæ debiti inuasores injusti & prædones; corporis adminiculo *Applicatur comparatio.*

Corpus ferè scelerum omnium est complex

id aggredimur & exequimur: carnem habemus criminum complicem: neque exigua ei de confecto scelere cedunt lucra. Quid ergo tibi in mentem venit, vt cùm facienda est injuriæ Deo illatæ restitutio, velis præfractè tu, miseram animam malè parta gaudia pœnitudine & tristitiâ eluere; corpus interim nihil quidquam persoluere; imò & voluptatibus, per summam injuriam comparatis, quietè admodùm delectari? An non id æquitas exigit, pœnas non minùs infligi corpori, quibus furtiuæ voluptates amarescant, quàm animæ dolorem inuri, quô malè comparata gaudia tandem desipiant? Quæ demum lex, in eâdem culpâ, complicem eripit supplicio? & cui priuilegio aut fundamento causſam corporis superstruis quam temerè propugnas? Carnis fortasse nobilitatem & præstantiam afferes, eique aliquid condonandum dices? Quasi verò nescirемus nos, ex quâ fæce, ex quibus sordibus stirpem trahat: quasi verò terræ pondus vile & inutile, ex quo erutam jam olim nouimus, omnem memoriam effugisset. Nouimus sanè luteam originem. Et tu terræ massam nobilissimæ cœlestique animæ audes anteferre, mancipium Domino, lutum spiritui, terram cœlo? Etiam conferre, quæ conditione tam sunt disparata, manifestum est piaculum, intoleranda animæ injuria.

corpori cedunt præcipua scelerũ emolumenta.

Deinde si benè facinus attendis, non complex tantùm latrocinii fuit caro, sed ejus ferè causſâ commissum est; & præcipua ex perpetrato crimine, ad ipsam deuoluta sunt emolumenta. Quid enim? Sanè vt corporis curet cuticulam, faucibusque & abdomini vt sit non malè, crapulæ totos dies indulget porator strenuè. Corpori vt sit suauiter, libidinibus miscentur omnia. Corpori alendo & exornando ne quidquam desit, per summam injustitiam, fas omne & justum habetur despicatui, perjurijs & rapinis datur opera, nec quidquam inhonestum censetur quod est vtile. Corpori comendo & exornando, bona pars vitæ impenditur, vt lasciuiat nimirum tantò impudentiùs, quantò sibi videtur elegantius. Denique corpori cedunt omnia; & huic vt complaceat, abjicit sese anima, & se in omne scelus projicit, neque veretur Deo bellum indicere, eius honori manus injicere, & diuinas gazas quodammodo deprædari. Interim committitur scelus. Peracto latrocinio, ius suum prosequitur Deus, iniuriæque commissæ satisfactionem expetit. Ita sit inquis tu, facinus deprecetur anima; lugeat illa, & quod debetur, sanè persoluat. Itanè verò? Et nulla illati 33.

illati damni à corpore reparatio exhibebitur ? commodè viuet caro & deliciis quinimo diffluet, eo ipso temporis articulo, quo pœnitens facti anima dolore dissoluitur, & res suas cum offenso componit Deo ? Quis tantam inæqualitatem æquus ferat ? Et tamen humana iniustitiam tam enormen tolerat ratio, eamque sibi semper indulgens natura, excusat.

Corpus animam ad peccandum infligat.

34. Verùm quantumcumque corpori tuo patrocineris, eiusque causam mordicus tuearis ; quâ tandem ratione id pœnis persoluendis eximes, si legitimè constet, pleraque scelera, ex eo promanare, eoque incentore committi ? Quid si ostendero, carnis effrænes appetitus esse, qui voluntatem instigant, verecundiam peccatis adimunt, reuerentiam Diuinis legibus debitam infringunt, mentem denique agunt in transuersa, animosque faciunt per summum nefas audendi omnia ? Sanè disertè id testatur D. Jacobus. *Vnde*, inquit, *bella & lites in vobis ? Nónne hinc ? ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris ?* & clariùs, hominis corrupti personam præferens D. Paulus ; *condelector*, inquit quidem, *legi Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Tantam itaque carnis insolentiam in humanâ naturâ dum agnoscit Diuinus Paulus, non abs re exclamat, sortemque tam miseram deplorat ; *infelix*, inquit, *ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Expediri se à tam rebelli corpore efflictim postulat Apostolus ; infelicem se conqueritur tam petulanti carni quòd inhæreat : ab hâc bella, ab hâc lites omnes exsurgunt, quibus & Deus impetitur, & infelix anima irretitur : & tamen dum de placando irato Numine agitur, excusatur caro, mulctis eximitur ; & quidem, quod est prorsus intolerabile, ab ipsâmet animâ corpus defenditur. In ipsam tota reconciliationis faciendæ, expiandorumque scelerum moles conjicitur à corpore ; & imbellis mens, præ merâ ignauiâ, factum probat, desidemque carnis mollitiem, quam corpori exprobrare debuerat, rationibus etiam tuetur vt pœnæ eximat.

Iacob. 4. v. 1.

Ad Rom. 7. v. 22. 23.

Ibid. n. 24.

Vt quid ergo pœnæ criminibus debitæ eximitur, & quidem ab ipsâmet animâ ?

Malè prætexitur carnis imbecillitas.

35. Sit ergo prout vis : ingemiscat offensis anima ; illam scelerum pœniteat ; doloris illa pondus ferat, & sic demum pro illatis Deo injurijs satisfaciat : verùm de pœnis corpori admouendis,

dis, non fiat posthac mentio, nimis enim tenera est caro, quàm vt jejuniis eneruetur; vires non sufficiunt abstinentiæ, quæ tamen ad explendam libidinem nimiô plus suppetunt: genuflexiones sunt incommodæ: flagra, & cilicia nec nominanda quidem sunt; ne vel ad solam tanti supplicii memoriam contremiscat caro tenellula. Neque de vigiliis quidem aut humicubationibus, frigore aut æstu perferendis, cogitandum quidquam: nimis aspera hæc sunt & immania, nec ea quæ corporis imbecillitati commensurentur. Interim vt Deo rebellet, corpori nec vires desunt, nec audacia: vt libidinibus vacet, & lasciuiat; neque noctes insomnes ducere, nec pro fornicibus, aëris inclementiæ expositum pernoctare, admodùm est difficile; jucundum quinimò censetur & lepidum. Sic viuimus; ad scelera fortes & projecti; ad virtutis exercitia imbelles & teneri. Atque hic quidem carnis corruptæ est genius, omnia ad se jucunda trahere, omnia verò aspera à se amoliri; peccati fructum ad se deriuare, satisfactionem verò, cum Animâ nequidem partiri, sed totam ei committere. Age nunc corporis patrone haud impiger; si ratione metiris omnia; edic tandem an hæc rationi consona sit agendi ratio. Et tamen sic passim agimus; corpori abblandimur, corpus desuauiamur, corpus defendimus; & contra animam, id est contra seipsam, pro corpore pugnat ratio. An non hæc demum insignis est dementia? Ex quibus omnibus id tandem conficio, complicem sceleris, satisfactioni nullo modo debere eximi; quinimò adigendum vile mancipium vt pœnas det, satisfactionisque sit consors caro, vtpote quæ ad inferendam injuriam, operam contulerit ex condicto.

quæ ad peccandum satis est robusta.

§. V.

§. V.

Pœnæ corporeæ, securissima sunt satisfactionis via: nihilque iis præstantius ad auertenda irati Numinis flagella, alioquin infligenda etiam in hâc vitâ.

36. VErùm inquies, cùm Contrititio seu dolor animi tam eximius esse possit, vt non culpæ tantummodò, sed & pœnarum omnium gratiam à Deo referat; cur præter dolorem animi, pœnam quoque corpori inurimus? Sanè contritioni incumbendum esset impensiùs; & quod domandæ exercendæque carni studium insumitur, vtiliori longè operâ in actus illos egregios animæ conferetur. Ita quidem tu. Et vt video, constitutum tibi est, corporis caussam agere, illudque omni prorsus eximere incommodo. Hoc verò si agis, en alteram tibi corporis liberandi pando viam, imprimis facilem & jucundam. De satisfactione in hâc mortali vitâ Deo exhibendâ, nulla tibi sit curatio; viue hilariter, & placidi tibi fluant dies; tantùm tecum statue, te, quidquid à te pœnarum pro peccatis commissis jure exigitur, in alterâ demum vitâ, purgatorios inter ignes, subiturum, debitaque omnia expuncturum isthic fidelissimè. In purgatoriis ignibus sanè nihil quidquam patietur corpus; & sic, carnem omni pœnæ subtraxeris, & tamen satisfactio plena, eaque quæ jure rigidissimo potest exigi, Numini exhibebitur. Ecquid arridet hic tam placidus cuticulæ curandæ modus? quin ergo eum rebus tuis admoues? facilior enim hæc longè est satisfaciendi via sine corporis incommodo, quàm si contritionis actibus ciendis vaces, quorum reliquiæ satis asperæ, non rarò in corpus ipsum solent redundare, non sine carnis incommodo. Ut quid igitur tantillo etiam doloris sustinendi periculo, tam teneram carnem committere, vbi tutior est pœnas omnes corporeas euadendi via?

Contritione potest deleri omnis pœna reatus.

Potest etiam peccator omnem satisfactionem differre vsque ad alteram vitam in purgatorio.

37. Ne tamen adhuc quidquam præceps statue. An enim, si vel Contritionem, vel per ignes purgatorios, pœnis debitis vis satisfacere, non vides illico te argumentis omnibus premi, quibus præcedenti paragrapho, ineptiam tuam demonstraui? Istud enim rursus vrgeo, quâ fronte aut quâ mente tu carnem satisfactioni

Sed iniquum est nihil ad satisfactionem conferri à corpore.

ctioni subtrahis, sociam criminis; totumque reconciliationis negotium à solâ mente vis confici, cùm corpus etiam, vt mox dicam, non exiguos possit, dissoluendis debitis, sumptus in commune conferre? Certè symbolam quam potest adferat, & pro ratâ portione, vbi debita sunt communia, partem soluat: quod imprimis æquum est, & rationi consonum. Ut quid enim ab animâ exigitur, vt ipsa aut mentis aciem ita intendat, vt vnum Contritionis actum, aut certè iteratis vicibus plures excitet, per quos pro pœnis debitis satisfiat, cùm nec anima sola in ære alieno sit, vt jam sæpius dixi, & cùm præterea non ita constare possit, ecquando interiores illi animi actus ritè efformentur; ac proinde non adeo certus sit pœnitens, an aliquam debitorum partem expunxerit? contrà verò pœnæ corporeæ manifestæ sint & sensu ipso percipiantur, neque vllam dum à corpore sunt exactæ, satisfactionis, alicujus saltem, Deo datæ, relinquant dubitationem? Deinde si multiplicatis internis virtutum actibus, tota debitæ pœnæ moles aliquando tandem potest exhauriri; sanè multò id fiet citiùs, si duabus ex partibus fiat offensæ illatæ restitutio; dolore scilicet interno animi, & corporis præterea externo cruciatu.

Neque tam certa est satisfactio per actus internos data, quam per actus externos pœnitentia.

Quòd verò de satisfactione totâ omnino differendâ, & purgatorij flammis committendâ dicebatur; fateor quidem iis tandem debitorum omnium, quorum post hanc miseram vitam erimus rei, summam expiandam, & quidem vsque ad nouissimum quadrantem. Itaque ad hanc tam acerbam, omnibusque quas nobis animo possumus effingere, grauiorem pœnam, si tibi creditorem Deum procrastinare libeat, eôque animam vt debitis satisfaciat amandare; per me id quidem licet. Sed vnde id tibi constat, acceptandam à creditore comperendinationem debiti? Quis tibi fideiussor fidem fecit, flagra dum adhuc in viuis es, non expediturum Deum, factæque sibi injuriæ pœnas, suâ manu de te non sumpturum, quas tu, tam parum de placando Numine sollicitus, in aliâ vitâ tantùm persoluendas, temerariè comperendinas? Differs quidem solutionem tu; sed Deus fortè nolet differri. Etenim id nemo negauerit, plurimorum quæ quotidie nobis ingeruntur malorum caussam, è peccatis non de integro quoad pœnam condonatis, ortum ducere. Hæc morbis modò, modò fortunarum jacturâ; modò charorum pignorum, vt in Dauide vidimus, morte, aliis modò atque aliis immissis cladibus, seuerum

Licet peccator satisfactionem differat dandam in purgatorio, Deus id non tenetur acceptare: 38.

& sic sæpe in hoc mũdo peccata condonata castigat.

seuerum Numen juriſque ſui imprimis tenax, ſæpe vlciſcitur: neque ſi in purgatoriis ignibus integra præſtanda eſt ſolutio, ſemper ei collibitum eſt expectare: & ſic in præſenti vitâ, per vim quodammodo ſolutionem extorquet, quam ſibi videt ſponte non offerri. Quæ cùm ita ſint, debitoreſque nos agnoſcamus; vt quid debiti præſtationi intercedimus? Et ſi corporis commoda amamus tantopere, cur iratam Dei manum non auertimus, dum præuertimus? Neſcis interim quâ te parte ſit aggreſſurus Deus; fortè eâ te impetet, quâ maximè dolebit. Quantæ igitur inſaniæ eſt, voluntarias, & quas tu tibi ſeligere potes, pœnas auerſari; & ſe interim offenſi Numinis vindictæ committere, cui nihil adeo perſpectum eſt, quàm quâ parte feriendus ſis, vt pœna ſit acerbior, tibique doleat non perfunctoriè. Itaque tu pœnas tuâ ſponte tibi ſtatue: Dei manum præoccupa; & corporis commodo ſi ſtudes, corpus tu ipſe volens caſtiga, ne caſtigetur nolente te.

Itaque tu Deum præueni caſtigando corpus.

39. Et vt languorem omnem excutiam, ſtimuloſque ſubdam tam ſancto odio; iſtud non verebor ſubnectere, quod fortaſſis alicui nouum videbitur; non eſſe alium ad ſatisfaciendum Deo, juſtamque eius manum à nobis amoliendi modum tam expeditum & opportunum, quàm quæ à corporibus voluntariè expetuntur, iiſque inuruntur pœnæ. Sic vt neque orationes profuſæ, nec eleëmoſynæ effuſæ, neque miſericordiæ præſtita opera, adeo tantùmque ſatisfactionem promoueant & debitas pœnas expungant, quantùm hæc, quæ tantopere commendamus, pœnitentiæ externa exercitia. Neque aliam dictis rationem affero, quàm Concilij Tridentini indubitatam auctoritatem, & verba manifeſta. Ita habet, dum pœnitentiæ externa opera Eccleſiæ commendat: *neque verò ſecurior vlla via in Eccleſiâ Dei vmquam exiſtimata fuit ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quàm vt hæc pœnitentiæ opera, homines cum verò animi dolore frequentent.* Ubi autem nulla via eſt ſecurior, ſanè omnes huic neceſſe eſt cedere, & hanc, extra dubitationem eſt eſſe ſecuriſſimam. Egregiam enimuerò amicæ in ſe crudelitatis commendationem, ingens encomium! quod quidem peccatores miſeri, multiſque per totam vitam contractis debitis irretiti, ob oculos habere par eſt, ſi aliqua perſoluendi ipſis eſt cura; non aliud eſſe ſecurum magis ſatisfactionis genus, quàm quòd è corporis afflictatione

Securiſſima hæc eſt ad placandum Deum via.

Trid. ſeſſ. 14. c. 8.

petitur. Adeoque non aliàs magis tibi es pius, quàm dum naturæ vidêris impius.

§. VI.

Etiamsi nullæ pœnæ pro peccatis persoluendæ restarent, caro tamen afflictationibus exercenda, ob multiplices fructus quos ea seueritas secum fert. Fructus hi exponuntur.

Animus, peractis bene cum Deo rebus, debet nihilominus corpori subiraci, illudque castigare.

HActenus de satisfactione exhibendâ, eâque pro ratâ portione cum corpore diuidendâ, fuimus solliciti. Altiùs nunc promoueo, actionemque corpori indîco vlterius. Demus inquam sanè, animam ita cum Deo rationes suas instituisse, tantâque pœnitudine detestatum fuisse patrata crimina, vt non culpa modò condonata jam sit, sed pro pœnis omnibus sic satisfactum, vt nullis prorsus sit in debitis, nihilque pœnarum persoluendum restet: an ideo censes tu, animam debere corpori acquiescere, quod bellorum omnium & litium incentor fuit & origo? Fateor, pax cum offenso Deo jam coaluit, res acta est bene & sanè feliciter: verùm, an quæ componendis omnibus tantam defatigationem sustinuit anima, cum carne aget pacificè, per cuius petulantiam turbatum fuit & domi & foris? Periculosa profectò, atque admodum temeraria est hæc dissimulatio: malè agetur ab animâ, si agat flaccidè. 40.

Exponitur id per exemplum.

Etenim si per seruorum ancillarumque inter se debacchantium & pergræcantium petulantiam & proteruiam, flammam temerè per jocum circumductam, ædes conceperint; quæ tandem patris-familias industriâ & accurrentium labore sint sopitæ: an, licet damni periculum discussum jam sit, intempestiuam seruorum ancillarumque procaciam dissimulabit herus, & incendio extincto, cum incendiariis amicè aget & placidè? profectò si sapit, composità domo, flammis superatis, tum demum iratos vultus induet, ancillarumque licentiam meritis pœnis refræna-bit, ne rursus per inertem indulgentiam, lasciuiendi detur occasio. 41.

Alioquin corpus iterum insolesceret.

Peccator, quisquis es, satis tibi conscius es, quantis ignibus arserit animus; ignibus inquam, qui æternas flammas prouocabant; discrimini vix ereptus es, lachrymisque quas ex animo 42.

expressas

expreſſas tempeſtiuè adduxiſti, ſopitum eſt æternitate totâ duraturum incendium: gratulor imprimis tibi de benè peractâ re. Verùm an incendiarios non aggrederis? impunè illi totâ domo vagabuntur, videnté & injuriam diſſimulante te? Vnde enim tam ingens ortum eſt incendium, niſi ex carnis petulantiâ, & ſeruorum ancillarumque plus æquo in tuis ædibus inſoleſcentium, projectâ audaciâ? certè quotquot carni inſident affectiones aut paſſiones, animæ mancipia ſunt & ancillæ: hæ totam incendunt animam, impuriſque conſumunt flammis. Et hoc tu pateris? Conſurge in iras aliquando tandem dignas te: ancillarum procaciam, etiam flagris, ſi neceſſe eſt, doma; & diſcant tandem dominum pati. Sciat caro mancipium eſſe ſe, mancipiorum pœnis dum afficitur; non facilè reditura in ſcelus, quod in ſe ſentit non diſſimulanter, ſed pro meritis caſtigari. Neque alio modo magis accommodo, mancipium eſſe ſe corpus ſciet, quàm ſi ſeruitutis notas, vibices verberum, tergus ferat. Diſcet profectò tandem caro modeſtè agere, neque dominæ, animæ inquam, de tam facili inſultare.

43. Ne tamen, ſic agendo ſuſpiceris agere te crudeliter: miſericordiam Dei imitaris; quæ, vt grauiſſimè docet Tridentinum, poſt condonatam culpam, pœnas tamen exigit. Eccur inquies? ne nimia indulgentia, relabendi cauſſam det. *Et Diuinam decet clementiam*, inquit Synodus, *ne ita nobis abſque vllâ ſatisfactione peccata dimittantur, vt, occaſione acceptâ, peccata leuiora putantes, velut injurij & contumelioſi Spiritui Sancto, in grauiora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ.* Tanta eſt enim naturæ corruptæ peruerſitas, & placidis rebus in omnem inſolentiam tam eſt projecta, vt Diuinam quoque clementiam deceat, non omnimodis eſſe clementem: quinimò miſericordiæ quoddam genus ſit, Deum condonatâ culpâ, remiſſiſque æternis ignibus, peccatori adhuc aliquantulum ſubiraſci. Ne tamen iram nomines: cautela eſt. Hanc tu, Dei peccata caſtigantis amicam inclementiam imitâre; ſubigendum eſt corpus; domandi, quos altos nimiùm gerit ſpiritus, pœniſque inflictis continendum in officio, ne per antiquam petulantiam jugum excutiat, & per omnia præceps inſaniat. Nam vt rectè Tridentinum: *Proculdubio magnoperè à peccato reuocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum, pœnitentes efficiunt.*

Seueritas illa clemẽtia eſt.

Trid. ſeſſ. 14. c. 8.

Dum caro timet castigari, timebit peccare.

ciunt. Nihil verius : nam nullius rei expeditior est memoria, quàm patientiæ. Facillimè in mentem venit id, vnde grauia sumus perpessi. Pœnarum itaque corpori inflictarum, si perfunctoriæ non fuerint sed vrgentes, promptissima erit recordatio ; à pœnis autem natura pro genio suo cùm abhorreat, etiam scelera auersabitur, è quibus supplicij de se sumendi data est occasio ; neque deinceps erit caro ad audendum insolens, vbi pro audaciâ timet castigari : præsertim si experientiâ fuerit edocta, animum pro imperio agere, majoresque admoturum corpori pœnas, si pergat insolescere. Atque hic est pœnarum sponte susceptarum fructus eximius, futura nimirùm scelera resecare; & corporis sui semper tumidi, semper rebellis, dominium exercere & quidem despoticum.

Fructus primus pœnitentiæ corporeæ.

Fructus secundus.

Alter qui ex spontaneis afflictationibus carnis fructus petitur, est vitiorum per socordiam, aut etiam per scelera contractorum, egregia medicina. Præclarè id rursus Tridentinum, *medentur*, inquit, *peccatorum reliquijs, & vitiosos habitus malè viuendo comparatos, contrarijs virtutum actionibus tollunt.* Sic nimirùm, consuetam oculorum petulantiam corriges, eos continendo per vim, vbi aspiciendi quæ grata sunt datur occasio : gulæ, vbi materiam subtraxeris, jejunio medeberis : luxuriæ carnisque impetigini, admotæ pœnæ facient medicinam : non adeò quòd corporis vires infringantur, spirituque lasciuiæ detrahantur (non enim tam eximias pœnas à quouis passim exigi satis scio) sed quòd contrariis actionibus decrescant paulatim vitiosi habitus, qui paulatim vires sumpserant, naturæque quasi altera natura adhærebant. Deteritur nimirùm contraria agendo vitium; & prout creuerat, jam decrescit. 44. Ibid.

Fructus tertius.

Adde, quòd cum summum submissionis genus sit, flagris mancipii adinstar cædi ; & nihil adeò inter homines censeatur humile & inglorium, quàm verbera inultum pati; sanè tam contemptibili ratione agendi dum caro excipitur, detumescet ancillæ fastus, & discet tandem meminisse conditionis suæ. 45.

Fructus quartus.

Quid, quòd tam egregia de corpore relata victoria, nouas easque eximias à Christo dandas gratias promeretur, quibus imbutus animus ea tandem vitia superabit, pro quibus debellandis tantæ & tam crebræ exantlantur pœnæ ? 46.

Denique

47. Denique vt caput hoc finiam : *Accedit ad hæc*, inquit Tridentinum, *quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu qui* Ibid. *pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur ; certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur.* Pudeat sanè segnem esse verum peccatorem, vbi tanta in corpore innocentissimo sceleribus nostris eluendis perpessus est, *qui peccatum non fecit*, peccatorisque Ad Heb. 4. v. 15. similitudinem assumpsit, *absque peccato*, tantum vt pro peccatoribus moreretur, moriendoque satisfaceret. *Fructus quintus.*

§. VII.

Exponitur quibus pœnis corpus affligendum sit. Et quomodò à Deo corpori immissæ miseriæ acceptandæ sint, vt per eas pro peccatis satisfiat.

48. EXcitata sunt fortasse quorumdam studia : illudque sibi clarè edici postulant, quæ tandem sint afflictationes eæ, è quibus tam præclari animo fructus obueniant. Verùm ingrata corpori dum commemoro, nescio sanè an magna mihi præstanda sit audientia : nam quantumuis medicinæ oblatæ præstantiam æger approbet ; ejus tamen, si orexi aduersa est, memoriam exhorrescit. Cùm autem de perdomandâ carnis petulantiâ mentionem fecerim, credent multi, me Sanctissimorum hominum prouolutorum exempla ; qui sancto quidem, sed admirando odio corpus persecuti, illud seueris modis pertractarunt : neque relatâ quamuis victoriâ posuerunt arma, donec rebellantes quotidiè carnis impetus, quotidianis etiam præliis aliquando tandem debellassent. Tremunt hîc, sat scio, quorumdam aures, & jam flagella aut loris aut funiculis intertexta ; aut catenulas ; aut virgarum ictus audire sibi videntur, quibus, innocentissimi quamuis homines, corpus quotidie excepêre; non aliàs ab incepto supplicio desituri, donec sanguine toti diffluerent. Timent alii, ne cilicia sensu horrida, aliaque pœnarum instrumenta in medium proferam; quibus dum carni malè est, ejus impetigo eneruatur. Quid verò si jejunia commendem, ablegatasque delicatiores epulas; iis tantummodò admissis, quæ non delicias faciant, sed necessaria *Pœnitentiæ quædam graviores exponuntur.*

tantùm conseruandæ vitæ præstent alimenta? Quid si humi-cubationes laudem, aut culcitras stramineas, aut etiam meros asseres; quibus corpus temerè injectum, non tam somnum capit, quàm patiendi assiduam habet materiam? Quid si per Diuorum templa supplicationes nudis pedibus, iisque dissimulanter supernè obtectis institutas afferam? Quid si denique genuflexiones in multas horas, cum summâ corporis defatigatione protractas, aliaque, etiam auditu horrida, commemorem?

Malè iis à quibusdam obtenditur corporis infirmitas.

49. Obganniet, sat scio, indignabunda caro: pœnas has ad eremos amandabit; suâque se infirmitate inuoluens, vires oneri impares obtendet, & miranda hæc magis esse dicet, quàm à tam imbecilli naturâ imitanda. Neque verò hæc etiam promiscuè suscipienda assero. Verùm etiam istud, quod promiscuè de corporis infirmitate, valetudineque infringendâ socordiæ prætexitur, audire prorsus nolo; rideo ego tales sanitatis patronos oppidò intempestiuos. Constat enim sexcentas eos nugas facere, vt gulæ seruiant, vt libidinibus indulgeant; quibus profectò longè magis valetudini officiunt, corporisque infringunt vires, quàm si affligendæ carnis petulantiæ operam darent gnauiter. Video passim, imbecilles fœminas, teneraſque virgines, summam vim corpori inferre: istud premere & coarctare, frigora seminudas perpeti, aliaque incommoda fortiter sustinere, vt nè videantur illepidæ. Atque hæc quidem earum valetudini non nocent; prorsus tamen defecturæ sunt, si peccatis eluendis, corpori tam tenero adhibendæ sunt pœnæ. Quis ista non rideat?

Earum prudens sit vsus.

50. Neque tamen hæc dico, quasi si passim, & quotidie seueriora corpori admouenda sint supplicia; non enim viri, etiam sanctissimi, ea, aut omnia, aut quotidiè in se exercuêre. Commemoraui tamen singula, vt quisque quædam seligat, suo tempore adhibenda. Scimus enim quot septimanis, vnum jejunio posse seponi diem; scimus, per sacras quadragesimæ ferias, aut Sanctorum festorumque insignium peruigilia, demum cùm major aliqua gratiæ à Deo impetrandæ vrget necessitas; quædam ex recensitis pœnis, sanctè & magno cum fructu corpori admoueri, quæ toto anno insligerentur fortasse non tantùm incommodè, sed etiam imprudenter,

Verùm

51. Verùm si seueriora hæc valetudini verè non conueniant, minora quædam sunt quæ carni non admodùm officiunt, & tamen emolumento etiam maximo, præsertim iterata sæpiùs, adhibentur. Oculos v. g. in templo per quadrantem contine, nec quidquam nisi terram aspiciant. Duobus tribusúe lautioribus bolis dum comedis abstine, aut sale aut ferculo quo maximè delectaris; idque non quotidie, sed aliquando & dissimulanter. Rursus dum genuflectendum est, quàm facilè inæquale pauimentum eligitur, cui non longo quidem tempore, sed per quinque Pater & Aue, corporis aut tota aut dimidia moles incumbat? Et quid si aliquamdiu nuda sint genua, an hoc adeo erit difficile? Denique si expansis in crucis modum brachiis, in conclaui preces fundas, Deum supplici corporis habitu in misericordiam inflectas, delictisque veniam petas, an quidquam erit quod corpus opponat, & de imbecillitate suâ conqueratur? quis hæc non potest, etiam puer? Et quamuis exigua videantur ista non nemini, dignaque quæ contemnantur; fructus tamen secum afferunt eximios, præsertim sæpius iterata. Assuescit enim hoc modo corpus animæ morem gerere; & quæ sentit quotidie imperia, tandem reueretur. Dominum nempe discit metuere, cuius manum experitur, non procul à se abesse. Sic eques nonnumquam frænum retrahit, & lorum equo modestè infligit, etiam dum nulla aut non magna vrget necessitas; vt sensu lori, quamuis exiguo, edoctus equus meminerit se Dominum ferre non somnolentum, sed qui etiam benè progredienti inuigilet.

Proponuntur pœnitentiæ minores.

Earum fructus.

52. Præter has tamen, quæ sponte infliguntur, pœnæ aliæ sunt numero infinitæ (quid enim est misera hæc quam ducimus vita, nisi dolor assiduus perpetuusque cruciatus) quæ licet liberum non sit assumere, liberum tamen est iis piè sanctèque assentiri. Deus bone, quanta hîc sese offert pro peccatis satisfaciendi materia, ô Peccator, si eâ dexterè noris vti! thesaurus hic sese nobis aperit oppidò diues nec facilè exhauriendus, vnde debitis expungendis affatim existat copia. Eum autem contemnimus, quia pretium ignoramus, aut potiùs nescimus pretium dare.

Pœnæ à Deo aut naturâ inflictæ.

53. Thesaurum hunc si inquiris, non longè is petendus est; ad manum prostat; ei innascimur, eum incolimus, eique tandem immoriemur. Miseriæ humanæ hæ sunt, quas corpori euadere cùm non datur, datur tamen benè pati. Ad triplex ferè rediguntur genus. *Primum*

Tria miseriarum humanarum genera.

mum est, quotidianus qui omnes quotquot viuimus, vrget labor; defatigationes corporis & animi, quæ omnibus subeundæ sunt, vt quisque munere suo defungatur: has sanè effugere omnino non possumus. Quid autem commemorem quæ conjugio junctis sufferenda sunt incommoda? mulieri quidem vt fœtum gerat, infantem curet & nutriat; viro autem, vt necessaria domui alimenta procuret? Neque dubitandum est peccati hæc esse supplicia, jam olim in Paradiso à Deo per sententiam illam fatalem, & numquam obliterandam lata, *In dolore paries filios,* Gen. 3. & rursus, *in sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Statutum id est v. 16. omnibus omnino Adæ filiis, à quo cum origine, traximus & peccatum & peccati justa supplicia. *Secunda* patientiæ materia, est aëris cœlique intemperies & inconstantia. Nunc sicci sunt dies, nunc pluuij; nunc frigore torpescunt membra, nunc caloribus aduruntur; & tota interim patitur, imo dissoluitur etiam paulatim, artuum compago & corporis machina, *Tertia* denique, sunt morbi corpori cuique proprij, non acres tantùm & periculosi, & qui valetudinem prorsus labefactant; sed etiam qui sensim sine sensu corpus inficiunt, quosque languentes trahimus. Capitis item aut dentium dolores; podagræ arrosiones; calculi tormina, & cætera eiusmodi quæ carnem non modicè excarnificant, memoremque faciunt mortalitatis suæ.

Per miserias humanas datur satisfactio, si patienter tolerentur.

Quid inquies? an ea quæ necessitate patior, & à Deo peccatis castigandis immissa mihi sunt supplicia, possum ego in computus referre, & pro pœnis debitis, solutionis vice repræsentare? Potes enimuerò; & hoc est, quod thesaurum nominarim. Deus ea in solutionem recipiet, si tu noueris tua facere, quæ manu aut vi pateris alienâ. En Tridentini Concilij, Dei mentem explicantis, euidens effatum. *Docet Præterea* (Sancta Synodus) *tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solùm pœnis sponte à nobis susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro delicti mensurâ impositis; sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo infligtis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus.* Quid à Deo potuit fieri munificentius, aut liberalius offerri? Flagella ab ipso inflicta, & hæc quæ natura secum fert mala & incommoda, sufferenda sunt etiam ab inuito: nec quidquam tibi Diuinæ gratiæ demereberis, ita dum pateris. Quin ergo ex malis ipsis 55. Trid. sess. 14. c. 9.

fortunam

fortunam nobis fabricamus, & merendi materiam facimus, quæ cæteroquin futura sunt mera supplicia? Patienter modò feras quæ euitare non potes, & Deo facis satis.

55. Si verò quæris patienter ferre quid sit, respondeo id quidem non esse, non sentire molestias quæ feruntur, sed eas velle ferre, prout in 1. parte Artis semper gaudendi fusè explicuimus, locum si placet consule. Paucis dico. *Primò* quidem quotiescumque mala hæc aut incommoda ingruent, manum castigantis te Dei supplex aspice, & factum proba. *Deinde* cum Dauide istud proclama, *Quoniam ego in flagella paratus sum; quoniam iniquatatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo semper.* Atque hoc est *patienter tolerare* vt loquitur Tridentinum, id est voluntariè suscipere, quæ non voluntariè inflicta sunt mala. *Tertiò* denique seuerus obiice reluctanti corpori, non esse quod queratur; justa inferri supplicia, meritisque longè inferiora. Sic & carni moderandæ frænum iniicitur, & Diuinæ justitiæ satis fit.

Tolerare patienter est tolerare voluntariè.

1. par. Artis Gaudendi Tr. 14. §. 3. & 4.

Psal. 37. v. 18. 19.

56. Cùm itaque manum admoues operi, largusque diffluet è vultu sudor; tum verò animos arrige, corpori seruitutem exprobra, & hæc esse ad quæ natum est. Si frigore algeat, si calore dissoluatur, dic illicò, mansuetè adhuc secum agere offensum Deum. Si capitis aut stomachi aut dentium dolores vrant; Eia inquies, patiantur membra, per quæ peccatum est; doleat caput quod nimiùm intumuit, spirituque ponat: doleat stomachus cui plus nimio indultum est: doleant dentes & malè sit ori, quo toties aliena arrosa est fama, & discat tandem sapere malo suo. Si podagræ cruciatibus distineris, hæc dicas petulanti belluæ vincula conuenire, ne rursus in præceps abeat. Cætera, in hanc rem quæ sint, facilè suggeret, corporis sui compos animus, si ei statuerit non obsequi, sed strenuè dominari. Atque in hoc pœnarum genere sufferendo, non facilè errabitur, cùm non propriâ inferantur voluntate, sed Diuinâ. In iis verò quæ sponte propriâ assumuntur pœnis, quæ, quantæ, & quomodò corpori ingerendæ sint, non est meum id generatim decernere; cùm & alia aliis sit membrorum firmitas, alia in aliis carnis impetigo, aliæ denique atque aliæ rerum circumstantiæ; quæ singulæ considerandæ sunt, vt prudenter, quid cuique competat, statuatur.

Expon'tur praxis, quæ excipienda sunt pœna à Deo immissa.

57. Istud generatim dico, non nimiùm abblandiendum esse corpori: plura sufferre potest asinus quàm præ se ferat. Dum pœ-

Adhortatio

nas caro, jugum excutit: vagari vult, non coërceri: & dum ferendo imparem sese fingit, mentitur splendidè; obmurmurat, tantùm vt decipiat. Sanè, iterum id ingero; pœnæ sit socius, qui consors fuit culpæ. Itaque Paulinum istud intorqueo, quod quidem arbitror esse justissimum, *Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire justitiæ in sanctificationem.* Injusta fuêre quæ Diuini honoris patrata sunt latrocinia: hisce faciendis exhibuistis membra vestra. Justa est quæ à Deo petitur honoris reparatio, justæ quæ exiguntur pœnæ. Justum igitur est ea ipsa membra exhiberi vt seruiant justitiæ in sanctificationem. Hactenus & oculi impudici, & lingua petulans, & cor fœdis amoribus æstuans, & caro lasciuiens quid quæso fuêre, nisi *arma iniquitatis*, quibus Deo per summum nefas indictum est bellum; anima verò pessumdata, ac prorsus prostrata? Vides nunc, si quidquam vides, quàm sit actum imprudenter. Justitiæ faciendum est satis. Itaque arma arripe, Deique caussam propugna strenuè, imo & tuam. Arma hæc, sint posthac membra tua, hæc sint, vt ait Paulus *arma justitiæ Deo.* Manus erige, vt corpus impetas; genua, vt illud in terram prosternas; oculos, vt ei libidinis incitamenta subtrahas; gulæ carnisque appetitus, vt eos frangas; sensum, vt illud excrucies, debitisque etiam priues commodis. Et sic tandem sciat superba caro, & Deum esse quem offendit, & animam cui subiicitur; & tandem ea quæ miseræ naturæ præstantur commoda, non tam deberi, quàm indulgeri. Ad Rom. 6. v. 19. Ibid. v. 13.

Corpori bonè sit, cùm exercetur.

58. Quòd si autem, more suo, corpus obmurmuret, & de rigore nimio conqueratur; tum istud, vt ne planè deficiat, cum D. Bernardo, ei insusurrabis. *Quid adhuc murmuras misera caro? quid adhuc recalcitras, & aduersùs spiritum concupiscis?* An non hæc, & verò etiam longè grauiora meruisti? toties rebellis, toties mendax, toties perjura dũ morem te Deo gesturam promittebas, quid tibi nunc vis credi? sanè subiicit Sanctus Pater, *si te humiliat* toties à te decepta anima, *si redigit in seruitutem, id profectò in tuo genere non minùs tuâ interest, quàm ipsius.* An non id potius est & illi & tibi, pacificè agere, & amicum Deo viuere, cuius iram nemo nisi malo suo exacuit? Causam tuam agit anima, dum agit suã. *Propterea*, vt alio loco egregiè monet idẽ Sanctus, *noli, ô corpus, noli præcipere tempora: potes impedire animæ tuæ salutẽ, tuã ipsius operari non potes.* Igitur, *patere vt nunc anima pro se laboret. Magis autẽ etiã collabora; quoniã si cõpateris, & conregnabis.* D. Bern. ser. 2. de verb. Isaiæ. D. Bern. serm. 6. de Aduen.

OCTAVVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ.

Animam ſecuram reddere acceptæ à Deo peccatorum gratiæ; litteras abolitionis, vt ſic dicam, ſubſignando & porrigendo.

TRACTATVS XVII.

DE SECVRITATE QVAM IN HAC VITA HABEMVS OBTENTÆ GRATIÆ, AVT QVOD SIMVS IN STATV FILIORVM DEI.

Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſimus filij Dei: ſi autem filij, & hæredes. *Ad Rom.* 8. *v.* 16.

Oſtenditur Conſcientiæ ſolius eſſe, animam certam & ſecuram reddere obtentæ gratiæ. Hæretici volunt certitudinem illam debere eſſe Fidei: ſed refelluntur. Certitudo quam de obtentâ gratiâ habemus, eſt certitudo moralis. Exponitur, quàm illa reddat animam ſecuram obtentæ gratiæ. Denique oſtenditur quot modis Conſcientia ſecuritatem illam præſtet: & explicantur Scripturæ quæ ſecuritatem omnem videbantur animæ denegare.

PROOEMIVM.

PEracta ſunt tandem omnia, quæ ad criminum gratiam obtinendam, pro ſacro Dei in terris tribunali, legitimè erant præmittenda. Et quidem facta jam eſt pœnitenti criminum gratia: authenticæ tantùm ei porrigendæ ſunt litteræ, quibus munitus, de obtentiâ gratiâ certus ſit

tus sit ipse, & se quoque posthac contra vim omnem, aut hominum obtrectantium ora possit defendere. Hoc rursus Conscientiæ est officium; gratiam nempè relatam jam esse, menti legitimè denuntiare, eamque contra infestantium voces munire, sic vt testimonio ab ipsâ dato certa sit: & gratiæ imprimis secura, omnes circa se obortas tempestates videat quasi ex tutô, & rideat tamquam minimè nocituras. Atque hæc est tandem, quam Conscientia animo præstat, mentis tranquillitas. Tres præcipuè habet aduersarios animi pax, & totius hominis læta serenitas. Seipsum imprimis; cogitationes inquam suas, quibus dum variè implicatur mens, de statu suo dubitat, neque sibi ipsi satis acquiescit: hinc angustiæ, hinc suspiciones, hinc tœdia: hinc denique vita ipsa, salutis consequendæ tam incerta, fastidiosa fit & tetrica. Secunda tumultuum caussa, humana sunt judicia sed distorta; conuitia nonnumquam, & optima quæque arrodentium dicteria. Tertia est Dœmonis inueterata peruersitas, homini tranquillitatem inuidentis, eamque interpellantis vndique; & tum præcipuè cum decretoria instat mortis hora, saluti æternæ datura initium. Contra tres tam infestos hostes, pacisque omnis perturbatores, quo pacto Conscientia mentem armet, sic vt tela omnia imperterritus & plagæ immunis animus excipiat, tribus deinceps Tractatibus est peragendum. Nunc verò, quam securitatem sibi ipsi afferat, despiciendum est imprimis: illudque ostendendum, Conscientiæ testimonio certum reddi hominem, gratiæque obtentæ tam securum, vt ne dubitare quidem de hâc re quidquam debeat. Secundò, contra hæreticos demonstrandum, non esse Fidei hanc certitudinem; moralem tamen esse, eamque cui nemo prudens non acquiescat. Tum demum visuri sumus, quibus vocibus tam præclarum Conscientiæ testimonium menti detur; seu quæ signa sint, quæ moralem de obtentâ gratiâ certitudinem, animo inducant.

Tres hostes gaudij & pacis interni.

§. I.

§. I.

Conſcientiæ eſt, animam de relatâ à Deo peccatorum gratiâ ſecuram reddere. Hinc de eâ certus eſt, quiſquis Conſcientiæ ſecuritatem obtinet. Probatur id ex Scripturis, & ſanctis Patribus.

1. OFficio ſuo ritè dum perfuncta eſt, Deo pro peccatis à ſe commiſſis ſupplex anima; ſcelera nimirum perpetrata ſeriò deteſtando, eaque, ſi fieri jam poſſet, ita penitus abolendo, vt ne in rerum quidem naturâ exſtitura fuerit tam enormis actio, quâ & Deo, & Dei vicarias partes agenti Conſcientiæ fœdè ſit rebellatum: deinde poſtquam ſcelera omnia pro Chriſti tribunali ejuſque Vicario Sacerdote, ſincerè, & prout à Dei actore Conſcientiâ, poſt ſerium examen fuêre comperta, repræſentata quoque fuerint, ſic vt tota pœnitentis cauſſa ſit in confeſſo: tum demum Conſcientia, quæ judicis interni partes egit hactenus, gratiæ obtentæ ſecuritatem Animæ tandem affert, eiuſque tabulas, pœnitenti in manus porrigit. En rei ordinem. Dolet de peccatis reus, & vitæ anteactæ pertœſus, gratiam poſtulat. Accurrit Conſcientia; & ne nihil non ritè fiat, examinat ſingula diſcutitque. Quæ proponenda ſunt pro tribunali, confitetur. Gratiæ ſententiam pronuntiat Sacerdos. Illam quaſi ſubſignat Conſcientia; & cùm ſe bonâ fide egiſſe ſciat omnia, de relatâ gratiâ dat cautionem, omnemque ſecuritatem præſtat animæ.

Gratiam à Deo peccatori factam teſtimonio ſuo ſignat Conſcientia, & de eâ præſtat animæ ſecuritatem.

2. Atque hinc demum, vbi turbata paullò antè erant omnia, maxima liquidiſſimaque ſubit animum tranquillitas. Nam vt rectè Propheta: *Et erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium, & ſecuritas in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculo fiduciæ, & in requie opulentâ.* Quid enim Deus pacis, præter pacem optat? & peractis jam omnibus quæ juſtè requirebat, quid aliud expectari poteſt à tam benigno Numine, niſi pax & concordia, & turbarum quæ totam mentem exagitabant ſilentium, ac denique magna confidentis animi ſecuritas? Sanè pax hæc eſt, quam mundus poteſt promittere, ſed non dare. Exuperat omnem ſenſum quod exinde naſcitur gaudium,

Iſaiæ 32. v. 17.

Hinc animæ Gaudium & pax ſumma.

dium, inquit Paulus. Et cùm illud Paradisum terrestrem Patres, cùm *Tabernaculum fiduciæ* vocet Isaias, nil quidquam tamen præclari dicerent, nisi gaudium hoc quod in mortali corpore vtcumque percipitur, arrha etiam esset cœlestis gloriæ, quæ solos manet filios Dei. Non mirabor itaque deinceps, tanti facere has sibi à Conscientiâ porrectas gratiæ tabulas D.Paulum: omnia humana qui contempsit, & arbitratus est vt stercora, in his tamen gloriatur. *Gloria*, inquit, *nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ.* Ingens testimonii vis, cui gloria tanti Apostoli tota quanta est, soli innititur. Ad Phil. 4. v. 7. 2. Cor. 1. v. 12.

In pœnitente testimonium Conscientia, est iudicium intellectûs quo statuit ritè à pœnitente peracta omnia.

Si verò quid id sit exquiris; respondeo Conscientiæ testimonium, actum intellectûs esse, quô mens sincerè & liquidò statuit, omnia ritè peracta esse quæ reconciliationi cum Deo faciendæ judicabantur necessaria. Vnde id statim colligit anima, sibi secum, id est cum Conscientiæ judicio, benè esse. Judicat enim tam in examinandis, quam in detestandis criminibus operam quæ requirebatur esse collatam; judicat denique pro sacro Tribunali omnia ritè declarata. Atque hinc demum, si Diuinæ pollicitationes veræ sunt & inconcussæ, quibus gratia pœnitenti seriò promittitur, rectè sic secum argumentatur mens: Conscientiæ meæ judicio satisfeci, igitur & Deo à me factum est satis; ac proinde de gratiâ obtenta secura sum, nec quidquam est quod dubitem. 3.

Testimoniũ Conscientiæ securitatẽ præstare probatur primò ex D. Paulo cuius locus tripliciter exponitur. Primò.

Quid enim? An non signatò Paulus affirmat: *Ipse Spiritus testimonium dat spiritui nostro, quòd simus filij Dei: si autem filij & hæredes?* per spiritum autem nostrum, vnicuiusque Conscientiam intelligi docent Diuus Hieronymus, & Origines. Quòd si autem ipsemet Spiritus Sanctus Conscientiæ nostræ attestatur, in filios Dei assumptos esse nos; sanè non est quòd de Conscientiæ testimonio securus non sim, cùm aliud mihi non annuntiet, quàm quod ei à Spiritu Sancto est suggestum, eiusque testimonio & auctoritate confirmatum. Jam verò, si cum Græco textu legere libuerit, *Ipse spiritus contestificatur spiritui nostro*, seu Conscientiæ, *quòd simus filij Dei*; tum sanè hunc sensum elicio. Quotiescumque Conscientiæ ita satisfactum est, vt illa testetur filium Dei esse me, filius Dei verè sum: etenim contestificatur Spiritus Dei spiritui nostro; id est, testimonio Conscientiæ calculum adjicit, illudque probat. Aut si Conscientiæ auctoritatem & fidem adhuc altiùs 4. Ad Rom. 8. v. 16.

Secundò.

Tertiò.

altiùs placet extollere, sic locum hunc intellige. *Spiritus conteſtificatur ſpiritui noſtro*, id eſt, Spiritûs Sancti & Conſcientiæ teſtimonium in hâc causâ, vnum idemque ſunt, neque alterum ſine altero aut teſtatur, aut ſecuritatem præſtat, fidemúe facit pœnitenti. Neſcio quo pacto rem hanc explicem, niſi iſtud dixero, Conſcientiam eſſe, cui abſolutionis datæ tabulas ſubſignandas committit Deus. Et prout, in forenſi Senatu, nihil quidquam reo ſecuritatis dat diploma Regium, quô gratia delicti conceditur, niſi à ſummo Præſide viſum fuerit & verò etiam ſubſignatum; ſic vt huius ſignatura conteſtificetur Principis voluntati: ita nequidquam peccatori conceſſa eſt criminum gratia, neque de obtentâ poteſt eſſe ſecurus, niſi à Senatûs priuati & interioris Præſide Conſcientiâ, rei benè feliciterque cum Deo peractæ teſtimonium obtineat. Hoc ſi conſequitur ſalua & ſecura ſunt omnia. En quanta Conſcientiæ ſit auctoritas. Itaque ſi ſcire deſideras, quo in ſtatu res tuæ ſint, Conſcientiam adi, Deo à ſecretis eſt: nec quidquam in Diuinis eſt tabulis à te quod exigatur, niſi quod illa ſubſcripſit, ſuoque teſtimonio approbauit. Rurſus ſi an malè tibi cum Deo ſit aues intelligere, ſi quorum ſcelerum in cœleſti curiâ reus ſis exquiris; adi Conſcientiam, tabulas ad manum habet, edicet clarè omnia; & quæ non edîcit debita, non exiguntur. Denique ſi de reconciliatione an facta ſit, vis eſſe ſecurus, ipſam interroga; & ſi fauſta nuntiet, acquieſce, & viue ſecurus tui.

Explicatur comparatione.

5. Neque ſanè, hæc ſine Sanctorum Patrum approbatione adſtruo. Certè D. Baſilius in Regulis breuiter diſputatis, breuibus quidem, ſed neruosè rem ſtringit. *Quæres*, inquit, *quâ ratione perſuaderi poſſit animæ cuipiam quòd à peccatis ſit libera?* Reſpondet? *Si quis in ſeipſo, animi affectionem ſimilem Dauidi ineſſe animaduertit: apud quem eſt; Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum ..... vt verè dicere poſſit: Non adhæſit mihi cor prauum ..... tunc ſine dubio credat ſe eſſe liberum à peccato* Ita diſertè D. Baſilius. Conſcientiam itaque conueni & conſule. An illa judicat, Voluntatem commiſſa delicta ſincerè deteſtari? deinde non adhærere tibi cor prauum, ſeu rurſus relabendi deſiderium; contra verò, omnia deinceps acturum te ex Conſcientiæ mero rectoque dictamine? hoc ſi teſtimonium tibi dat, tunc ex mente D. Baſilii, *ſine dubio credas te liberum eſſe à peccato.* Mundamnè, & ab omni labe prorſus puram Conſcientiam an obtineas, eamque cui tutò fides adhi-

Probatur ſecundò ex SS. Patribus.

D. Baſil. in regul. breuit. diſp. interrog. 296.

Quanam à Conſcientiâ interroganda ſint, vt ſcias an peccata ſint condonata.

adhiberi possit, scire si desideras; ipsam interroga an actionem vllam habeat, quam tibi posthac subitò & confestim possit intentare, nullo deinceps instituto criminum examine; seu an alicuius, quod expositum Confessioni non sit, sceleris recordetur. An sciat inquam interroga: non verò an per scrupulos agitata, quidquam sinistri adhuc latere suspicetur. Deinde roga disertè, an sciat aliquam adhuc delinquendi voluntatem superesse. Quod si vtrumque neget, *sine dubio crede te à peccatis liberum esse.* Nam vt manifestè Isidorus, rem totam egregiè confirmans, sine hæsitatione asserit, *Conscientia munda est, quæ nec de præteritis justè accusatur; nec de præsentibus injustè delectatur.* Justè inquit, accusatur; & rectè: nam scrupulorum suggestiones injustæ sunt, neque tam accusationes censendæ, quàm conuitia & calumniæ, quibus se turbata mens insanè impetit, & miserè incassum torquet. Isidor. l. 1. Soliloq.

6.

Pura Conscientia securitatem præstat obtenta gratia.

Denique scire vis an Deo gratiosus sis; an accepta quæ agis, & clarè vt loquar, an Gratiæ statum dignitatemque obtineas? Certè alia alii tibi signa porrigent, è quibus id possis conjicere, sed nullum Conscientiæ testimonio euidentius & securius. Testem appello D. Bonauenturam in commentariis Theologicis. Ita habet. *Dicendum quòd quamuis de meritis non habeatur certitudo per scientiam necessariam; haberi tamen potest certitudo per probabilem conjecturam, & per quandam ipsius bonæ voluntatis confidentiam, quæ consurgit ex Conscientiâ. Puritas enim Conscientiæ, quæ introducitur per expulsionem culpæ, dat ipsi animæ quandam securitatem & certitudinem de merito jam inchoato* (en securitatem obtentæ gratiæ) *& per consequens, certitudinem de præmio consequendo.* Quid in rem meam dici potuit accommodatius? plura profectò mihi dat D. Bonauentura, quàm petieram; non enim præsentis tantummodo statûs, & gratiæ, sed & futuræ gloriæ securitatem, è Conscientiæ testimonio petendam asserit. D. Bon. in 3. dist. 26. a. 1. q. 5. ad 1.

7.

Acquiescèdum igitur est testimonio Conscientiæ.

Igitur si Conscientia judicat, res tuas ex mente Dei fluere, ei sine dubio crede, eiusque testimonio fidem da. Neque enim te vmquam decipiet, nisi & hoc etiam tacitè suggerat, sic tamen vt intelligas, mentiri se & fallere. Igitur acquiesce bonâ fide testanti Conscientiæ; ejus enim judicio acquiescit ipsemet Deus. Hinc tantâ fiduciâ cum Deo agit Joannes Apostolus, agendumque à nobis docet. *Charissimi*, inquit, *si non reprehenderit nos cor nostrum*, 1. Ioan. 3. v. 21.

strum, fiduciam habemus ad Deum, esse nos nimirum acceptos Deo, neque debere offensum eum pertimescere, quos Conscientia non reprehendit.

8. Atqui si res meæ cum Deo, loco sint optimo; si Conscientiæ pacem obtineo, ejusque nitor testimonio; quid demum in hâc vitâ requiro vlterius, vt meipso contentus viuam? quid me vanis suspicionibus nequidquam torqueo, & pacem quam in manibus habeo, sollicitudine vanâ interturbo? denique quid mihi timendum est, vbi Deum habeo mihi propitium, & pro me, contra futiles agitationes animi, testimonio suo stantem Conscientiam? prorsus nihil. Acquiesce igitur, & teipso fruere, contentus te. En tandem vt Conscientia, veram solidamque tranquillitatem animo afferat, hoc vnico instructa testimonio, *quòd simus filij Dei.* *& viuendum latè.*

8. Summæ consolationis, inquies, sunt hæc omnia; eaque quæ in hâc miserâ vitâ beatitudinem mortalibus præstare possent: nisi Sacris litteris viderentur aduersari; adeoque dici hæc non tam verè, quàm magnificè. Quid enim tritum magis, & magis tamen expauescendum, quàm istud Ecclesiastæ, *sunt justi atque sapientes; & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo an amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta*? Deinde, quàm istud Ecclesiastici est durum, *de propitiato peccato, noli esse sine metu*? Denique laudat Philippenses Diuus Paulus, quòd *cum metu & tremore salutem suam operentur.* Vt quid ergo nos miseri nobis abblandimur? quid vanâ nos fiduciâ temerarij decipimus? quid Conscientiæ testimonio, salutem committimus? Insignis omnino, atque vt primâ fronte sese objicit, insuperabilis videtur obuoluta difficultas. Verùm vti spero, facilè complanabuntur omnia, rem vt exposuero. *Obiectio ex sacris paginis.*

Eccl. 9. v. 1. 2.

Eccli. 5. v. 5.

ad Phil. 2. v. 12.

§. II.

Certitudo generatim duplex est; alia objectiua, alia subjectiua. Objectiua rursus triplex; nempè certitudo Fidei, Physica, & moralis. Explicantur singulæ, earumque naturæ.

INgens operæ præmium laturum me existimo, si multorum non 10.
sine fastidio oborientes curas, hâc in parte sedauero, clareque
exposuero, vbi tam varia sunt Diuinæ paginæ testimonia, quid sit
de re. Aliqua enim certitudinem omnem pœnitenti præstant, a-
nimos erigunt, & plenos reddunt bonâ spe: alia ex aduerso, in-
certa faciunt omnia, mentem dejiciunt, totamque animam im-
plicant suspicionibus. Explicandum est igitur, quæ, & quanta sit
certitudo, quæ de obtentâ gratiâ, Conscientiæ testimonio obtine-
tur: ac proinde quanta sit mentis securitas, illi certitudini quæ
innititur.

Hoc verò rursus, vt clarè exponatur, dicendum est; certitudi- 11.
nem in duas dispesci species; quarum singulæ, ex variâ origine
differentiam trahunt. Et vna quidem ex objecto nascitur, dici-
turque *Certitudo objectiua*; altera ex subjecto, seu homine ipso,
exortum ducit, & dicitur *subjectiua*. Obscura sunt nomina, res
Certitudo objectiua seu nata ex objecto quid sit. perceptu sat facilis. Certitudo enim quæ exoritur, ex euidentiâ
rei propositæ, aut ex rationibus quæ sufficiunt vt prudenter judi-
cetur rem ita planè esse prout menti objicitur, ea censetur objecti-
ua, seu nata ex objecto: adhæret enim rei propositæ intellectus,
per actum judicii: non quia voluntas id tantùm vult aut imperat;
sed quia rationes sunt ejusmodi, vt de rei veritate dubitare non
possit, nullo autem modo ei dissentire. Sic certus sum, Totum
esse majus suâ parte: certus sum me videre quæ video, colum-
nam esse in rerum naturâ quam oculis intueor, aut sensu percipio.
Sic denique si constanter à pluribus fide dignis victoria ab hoste
relata renuntiatur, quæ tum litteris, tum militum qui res egerunt
testimonio confirmatur; tandem certus reddor, neque de victo-
riâ dubito: ea autem certitudo, seu intellectûs adhæsio, ex rei
propositione obuenit; rationes enim credendi sunt ejusmodi,

quæ

quæ prudentis animum meritò afficiant, ejusque assensum tandem extorqueant; nisi imprudenter omnino & ex animi peruicaciâ velit dissentire.

12. Altera ex ipso subjecto existit certitudo. eaque est, dum quis cuidam sententiæ aut effato mordicùs inhæret; non quia ratione ducitur quæ cogat assentiri, sed quia vult. Atque hinc fit ex imperio voluntatis, vt ita judicet rem esse prout esse vellet; illique judicio ita affigitur, vt ratione nullâ, nullâ auctoritate, à conceptâ sententiâ possit dimoueri. Sic rumores, de patriæ suæ faustis in hostico progressibus, quantumuis sparsos temerè, ita desuauiantur nonnulli, vt illico de victoriâ certi sint, quam à suis optauerint esse obtentam. Certi sunt, quia statuunt de rebus faustis non dubitare. Hanc certitudinem, quam non malè Pertinaciam judicii dixeris, patet ex ipso subjecto, seu homine certitudinem sibi fabricante, non verò ex rei veritate rationibus propositâ prouenire; hinc rectè dicitur *subjectiua*. *Certitudo subjectiua.*

13. Oritur autem hæc firma mentis adhæsio aut potius pertinacia, *Primò* quidem, aliquando ex cerebri intemperie, & phantasmatum repræsentatione viuâ, rem exhibentium quæ nusquam est. Quod plerumque insanis vsuuenit; qui se Reges modò, modò Deos credunt; & verò ita de suâ potestate certi sunt, vt non sine adstantium admiratione & risu, dignitates passim distribuant, & sua cuilibet dent imperia. *Secundò*, nonnumquam ea certitudo, ex merâ rerum ignorantiâ procedit. Sic sunt nonnulli homines agrestes, simplices, & stupidi, qui tam sincerè acquiescunt circumforaneis nugatorum prognosticationibus, quæ vulgò Ephemeridibus, quas Almanachos dicimus, continentur, vt ne Euangelio quidem, istud si peruoluant, majorem habituri sint fidem. *Tertiò*, non rarò ex affectione animi, præsertim Amore & Odio, certitudo hæc enascitur. Antiquum est istud: *Nescis an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?* Et quod pessimum est, quæ sibi finxerunt somnia, habent pro indubitatis: neque pictor vllâ arte, amicam sic depinxerit, qualem amore percitus credit esse: neque quod odisse quis statuit, vllus concipit quàm sit fœdum, & quale sibi præstituit is qui odit. *Quartò* denique, ex merâ peruersitate voluntatis plurimi certi sunt; prout in hæresiarchis plerumque euenit. Sanè aut certitudinem illam fingunt vt decipiant; aut si verè erroribus suis inhæreant peruicaciter, neque de iis sese dicant

Oritur hæc ex quatuor causis
1. ex insania.
2. ex ignorantia & stupiditate.
3. ex passionibus.
4. ex voluntaria peruersitate.

cant dubitare, jam certè aguntur non rationibus, quas satis sciunt contra se stare, sed voluntatis solo imperio. Atque hæc demum est, *Certitudinis subjectiuæ* natura & origo. Quæ quamuis ea non sit, de quâ habendus est sermo, explicanda tamen fuit, vt prior, quæ vera certitudo est, objectiua nempè, intelligeretur commodiùs.

Certitudo objectiua triplex.

Hisce ritè perceptis, dicendum est deinde, veram hanc certitudinem quæ nascitur ex objecto, variam esse, pro rationum quibus innititur varietate & differentiâ. 14.

Prima certitudo Fidei. Quid hæc sit, & vnde oriatur.

Prima enim fundamentis iis innititur, quæ falsa esse aliquando, omnino est impossibile. Atque ex iis oritur, *Certitudo Fidei.* Quòd enim Deum credam humanam Carnem assumpsisse, id quidem testimonio Diuino innititur. Cùm verò illi nulla falsitas aut impostura possit immiscerì, illudque certò etiam judicem; exinde fit vt de Incarnationis mysterio nullus dubitem; & ea menti meæ certitudo obueniat, quæ falsa fieri non possit, ne à Deo quidem. Atque hæc est firmissima mentis adhæsio, seu supernaturalis certitudo Fidei, iis superstructa fundamentis, quæ nullo prorsus casu possunt fallere, nec à Deo destrui, potentiam suam etiam absolutam applicante. 15.

Secunda certitudo Physica. Eius exortus.

Altera certitudo, seu mentis prudens adhæsio, non ineptè dicitur, *Physica aut naturalis*, nimirùm è naturæ consonis petita argumentis aut proprietatibus. Quæ quidem, si Dei potentiam absolutam spectes, quamuis possint destrui, ac propterea fallere; tamen spectata decretorum Dei cursu ordinario (quem ego naturam rerum esse existimo) non destruentur sine miraculo, ac propterea non fallent, quamuis fieri omnino posset vt fallerent. Sic certus sum Solem occubiturum vesperi, oriturum manè: ignem adusturum quæ objecero; lapidem grauitate suâ petiturum terram quem manu projecero; neque vlla menti meæ insidet de his euentibus dubitatio. Et tamen fieri posset, imò factum est nonnumquam, vt Deo sic agente, præter rerum naturam & proprietatem, alia omnia contigerint: neque si modò eadem obuenirent, quidquam de Diuinitate Dei, ejusque veracitate detraheretur. Vt enim statuerit creaturis omnibus cursum suum, ordinariasque naturæ leges permittere; nusquam tamen promisit, iis sese, pro potestate summâ & absolutâ, numquam intercessurum. Certitudo itaque de his habetur physica: id est ex naturalibus petita rationibus; 16.

tionibus; & talis, quæ licèt omnino possit falli, aut fallere, non tamen fallet, nisi per miraculum naturæ actiones intercipiantur.

17. Tertia denique est, *Certitudo moralis*, aut humana. Innititur autem ea aut rationibus aut conjecturis, quæ licèt singulæ possint fallere sine vllo prorsus miraculo; tamen conjunctæ sunt ejusmodi, vt sine miraculo, aut certè sine casu aliquo præter omnem expectationem prudentem oborto, mentem decepturæ non sint. Et sic quod singulæ rationes non possunt, possunt omnes: hominem nimirum certum reddere, suspiciones omnes falsi amouere; denique ita securum facere, vt de rei veritate non ambigat; aut sanè ambigat imprudenter. Sic dum in templo Sacris aut concioni interfumus, metu vacui res nostras agimus, de templo ruinâ suâ nos oppressuro admodum securi & certi. Molem enim multis annis omnem aëris intemperantiam, ventorumque vim, suâ firmitate superasse jam vidimus: columnas solidas, murosque sibi constantes suo niti perpendiculo, nequidquam obnitente fornicis pondere: fornicem ipsum nec rimas agere, nec fatiscere, sed ex omni parte sibi cohærere, oculis ipsis perspicimus. Quid ergo hîc est quod prudenter timeatur? An tempestas aliqua qualem non vidit antiquitas, & quam ne decem quidem sæcula semel ferunt? Insolita hæc sunt nimiùm, quàm vt securitati meæ quidquam detrahant, aut de ruinâ templi peruersè suspicer. Et tamen si attendas singula, quæ soliditatem templo dant, ea sunt ejusmodi vt singula possint fallere. Muri enim possunt cedere; columnæ singulæ possunt è perpendiculo detrudi, & tum tota dissoluetur fornicis conjunctura, ac templum abibit in ruinam. Sic est; sed cùm ferramentis inter se conjuncta sint singula, sibi mutuo sunt subsidio, seseque constringunt nexu tam valido, vt securus templum subeam, vitamque committam toti moli, quam singulis partibus non concrederem.

Tertia certitudo moralis.

Exponitur quid sit & vnde nascatur.

18. Sic rursus, dum victoriæ ab hostibus obtentæ rumor peruagatur, nihil quidem adhuc de rei veritate quid sit, certi statuo, nisi imprudenter. At si affluant quotidiè & nuntii, & litteræ, & quidem variis è locis exaratæ, quæ constanter idem asserant; certè qui primò fuerant rumores imbelles, nec sat firmi quibus judicium de re actâ subjicerem, adeò ex mutuo nexu conualescunt, vt quæ antè fama fuerat, & ex famâ nata opinio; nunc scientia vocari

Magis explicatur in fide humanâ,

possit, cui tutò quisquis prudens est, & sine vllâ falsi suspicione assentitur. Atqui si singulos qui rem detulêre attendas, sane sine miraculo mentiri possunt singuli. Sic est; sed prodigium inauditum esset omnino, tot homines, locis adeò dissitos, mihi incognitos, in hoc conspirasse, vt mihi quod falsum est obtruderent. Imò tanta posset esse idem attestantium multitudo, vt rectè possim statuere, sine miraculo in vnum idemque mendacium essingendum non potuisse concurrere. Quis enim asseret hominum arte potuisse fieri, vt omnes omnium nationum homines jam inde à Remo & Romulo conspirarint, vt Romam esse aut fuisse mihi persuadeant, quam natura numquam tulerit? Et tamen singuli mentiri potuêre. Fateor; sed quod potuêre singuli; sine prodigio & præter omnem humanum morem, non potuêre omnes, & tam multi. Quid demum inquies, an non potuêre falsum dicere? Potuerint singuli; at non potuêre tam multi, locis tam dissiti, temporibus tam differentes, in vnum idemque mendacium, tanto tempore, & tam constanter conspirare. Humanum id non est: hinc illa testium coaceruatio, certitudinem mihi omnimodam, licèt ex humanis moribus petitam, adeoque moralem adfert; neque vllam prorsus in me patitur residere falsi suspicionem.

Qua ratione vnum altero dici possit certius.

19. Fatendum est tamen certitudinem hanc suos habere gradus & differentias. Quas tamen ego non tam ex adhæsionis modo, quàm ex rationum firmitate petendas esse credo. Sic certius dicitur, Romam fuisse aliquando, quàm Antuerpiam; non quidem quod alterum altero sit verius; veritas enim comparationem non admittit. Quod est, est; & quod est, verum est. Esse autem, consistit in indiuisibili: itaque & verum. Sic igitur verò non datur verius. Ast hoc sensu vnum præ altero dici potest certius; quod nempè plures stent pro Româ testes quàm pro Antuerpiâ; atque adeò, minùs fieri possit, vt plures in vno conflando mendacio, quàm pauciores conuenerint.

Nō tamen inde semper est certior, qui credit id quod certius est.

20. Nihilominùs quamuis hoc modo dici possit vnum altero certius, tamen non est cur certior dici debeat qui credit Romam esse, quàm qui Antuerpiam. Certitudo enim est adhæsio judicii propositæ veritati firmiter & sine falsi suspicione insistentis. Si ergo intellectus testium multitudine conuictus prudenter assentitur & Romam esse & Antuerpiam, quid id refert an isthic quàm hîc plures sint, modò vtrobique sint qui sufficiant assensum elicere, & propoſi-

propositæ veritati quasi alligare? Sanè si vnâ ex parte decem funibus palo brachium affigatur, alterum verò quinque, quorum tamen vim superare nequeo, æquè hoc brachium adhæret palo, quàm quòd pluribus est constrictum. Verum quidem est, quod si de brachio liberando instituatur quæstio, difficilius esset decem, quàm quinque funium nexum soluere: sed hîc non de vinculorum excussione agimus, sed de brachiorum ad palum adhæsione instituitur comparatio. Hanc autem vtrobique parem esse nemo diffitebitur. Simili ergo modo, certitudinem, assero esse adhæsionem judicij veritati propositæ insistentis. Si rationes eæ sint, quæ Intellectui prudenter agenti quasi vim inferant, assensumque extorqueant, certum tunc assero esse judicantis intellectum; id est, veritati ita affixum & deuinctum, vt ab eâ ne suspicando quidem possit desciscere. Alterius autem veritatis plura quod sint argumenta, & quasi funes quibus intellectus deuincîtur; hinc sanè non est quod huic magis adhærere dicendus sit, cùm de neutrâ aut dubitet, aut possit dubitare: istud tantùm dici posset, quòd si alterutra foret neganda, negaret illam. Verùm non hîc de negandâ veritate agimus, sed de certitudinis firmitate, & judicii adhæsione: & quærebamus vtra major? vtramque igitur moralem certitudinem ex parte subjecti eandem esse existimo, vtrobique enim adhæret anima, eâ firmitate quam non superabit, si prudentiæ legibus velit insistere; licèt ex parte objecti alia dari possit aliâ major.

21. Hisce præstitutis, veniamus nunc ad propositæ quæstionis disquisitionem. Petebatur autem, quæ, & quanta sit certitudo, quàm de relatâ à Deo peccatorum veniâ, ejusque amicitiâ seu statu gratiæ obtento, mortali homini Conscientia præstare possit. Discriminanda sunt imprimis à veris falsa, vt tota res pateat.

§. III.

§. III.

Hæretici docent neminem fidelem esse, qui non credit se in statu gratiæ esse certitudine quæ sit Fidei: adeoque hunc esse articulum Fidei. Horum error demonstratur.

DAbit mihi hanc Lector veniam, vt quid de peccatorum remissione, & de certitudine obtentæ gratiæ commenti sunt hæretici, in medium proferam. Non erit absre hæc dissertatio; tum vt discussis errorum nebulis, manifestior orthodoxa veritas emineſcat; tum etiam vt qui hæc fortasse legerint Caluini erroribus implicati, attendant sedulò, quàm tremulo & exeso, salutis æternæ negotium, superstruant fundamento. Hanc enim quam expositurus sum sententiam, Lutheranæ Caluinianæque sectæ fundamentum & basim esse, cui tota religionis prætenæ incumbit machina, fatetur Daniel Chamier, Caluini assecla & propugnator inter suos non ignobilis. Commentum sic se habet. Postquam multa garruêre de peccati naturâ, quod statuunt numquam deleri, sed Christi justitiâ veluti pallio obtegi, Diuinisque oculis subtrahi quodammodo; saltem sic obtectum peccatori non imputari; statuunt demum, remissionem peccatorum, non animi pœnitudine aut scelerum detestatione; sed solâ fide, seu fiduciâ filium Dei esse te, & de æternâ salute consequendâ securum, obtineri. Adeò vt idem prorsus sit apud heterodoxos, vti fatetur Chamierus, de remissione peccatorum, aut de salutis obtentæ certitudine disputare. Nam hoc ipso ex capite quòd indubitanter credis filium Dei esse te, animumque ita obfirmas, vt certum indubitatumque esse statuas vitam æternam tibi concedendam, remittuntur tibi peccata tua; id est, non imputantur. Illa autem animi obfirmatio; seu certitudo (vt mentem hæreticorum benè percipias) debet esse tanta, vt certitudinem fidei attingat: adeò vt si non fide Diuinâ, sed humanâ tantùm credas filium Dei esse te, verè fidelis non sis, nec veram fidem habeas, sed prorsus sis infidelis.

22.

Exponitur hæreticorum fides, aut fiducia,

Chamier. to.3.l.13. c.1.

Ibid.c.3.

Iuuerit

23. Iuuerit tam egregia figmenta, ex ipsis haurire fontibus, ne fortasse quis credat, hominibus, cæteroquin non indoctis, per contumeliam ea esse afficta. Imprimis Caluinus in Institutionibus, post multa, ita tandem statuit, & rem absoluit. *In summâ* inquit, *verè fidelis non est, nisi solidâ persuasione Deum sibi beneuolum propitiumque Patrem esse persuasus, de eius benignitate omnia sibi polliceatur: nisi qui Diuinæ erga se beneuolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit.* Ast quàm indubitata est ista expectatio? sanè quam indubitata est diuina Fides; hæc enim te in *Fidelium* numero collocat. An ergo non sufficit *fidelis* vt sim, si cuncta quæ in Fidei symbolo continentur, Diuina credam mysteria? minimè inquit Beza, Christianam fidem sic non obtines. Et rationem dictis subiicit dignam se. *Habent enim*, inquit, *ipsi quoque Diaboli hanc fidem, & eo magis tremunt.* Tum mentem & suam & Caluini clarè edisserens, ita pergit: *Sed fidem appellamus, certam quandam scientiam, quam Spiritus Sanctus, suâ vnâ gratiâ, ac bonitate magis, insculpsit cordibus electorum. Quâ scientiâ fit, vt eorum vnusquisque in suo corde certior electionis suæ factus, sibi ipsi applicet promissionem in Iesu Christo.*

ex Caluino, Caluin. Instit. l. 3. c. 2. §. 16. Beza Confess. c. 4. a. 5. & Beza.

Itaque prout audio, vt de Caluini sim sectariis, de nullâ re me conuenit esse sollicitum, nisi vt promissiones Christi factas vniuersim electis omnibus, mihi asseram aut applicem, & salua sunt omnia; de electorum numero sum, fidelis sum. Non igitur Fideles sumus & dicimur, tam quia credimus, quàm quia fidimus. Inaudita prorsus in Ecclesiâ est hæc locutio. Tamen per me licet, iis qui in sacra omnia sibi jus arrogant, demus etiam jus in nomina. Cæterùm, cùm fide diuinâ credendum sit mihi, salutem æternam obtenturum me, seu quod ipsis idem est vt iam dixi, peccata mihi remitti aut non imputari, itaque id mihi est articulus Fidei. Hoc si ita sit, tam debet id mihi certum esse, neque minus dubitare possum de salute obtinendâ, quàm quòd filius Dei humanam Carnem assumpserit. Atqui quod Diuinâ Fide certum est, vti jam dixi num. 15. ita certum est, vt nequidem per potentiam diuinam absolutam possit vmquam falsum fieri: itaque dum semel hâc fiduciâ obfirmaui animum, & Christi promissiones mihimet ipsi applicui, certum jam est me salute non posse excidere: & quidem ita certum, vt ne per potentiam qui-

Refutatur eorum sententia, primò ex duobus absurdis.

Primum

Secundum.

dem Dei absolutam id falsum possit reddi, aut ego condemnari: est enim Fides Diuina, quæ falli numquam potest. Rursus cùm nullus sit articulus Fidei, pro quo tuendo non debeam mortem oppetere; etiam mihi subeunda est potius mors, quàm vt ab abreptâ semel fiduciâ vel latum vnguem desciscam, aut negem de salute æternâ certum esse me. Hæc quantumuis absona sint, imò & de nugarum genere, fortassis Caluinistæ admittent non inuitè.

Secundò, hæc sententia manifestè viam aperit sceleribus.

Istud tamen iis oggero etiam ingratiis, non esse quod clament tantopere, calumniari Catholicos, dum obiiciunt, operum bonorum necessitatem eos prorsus destruere, sceleribusque latissimas fores pandere. Sanè si hæc, quæ docent, vera sunt; si Fide Diuinâ ac proinde indubitatâ, & quæ falli nullo modo potest, credere debeo in electorum me esse numero, ac propterea commissa à me scelera mihi non imputari; profectò non video quid aut perjuria, aut adulteria, aut homicidia, aut alia quæ carni & sanguini grata sunt crimina, mihi vitanda sint tantopere: iis enim, dum à me patrantur, Deus non succenset, nec irascitur. Neque verò potest à me scelerum pœnas sumere, non tantùm æternas, sed ne temporales quidem; eas enim si sumit, jam certè peccata commissa mihi imputantur. Si autem imputantur; fidelis, & ex electorum numero non sum: quod tamen est impossibile me non esse, cùm Fide Diuinâ de salutis obtentæ fiduciâ certus sim. Auertat à nobis propitius Deus fidem eiusmodi, quæ plus nimio carnem redolet, ei dum abblanditur; & in omnem insolentiam, viam sternit apertissimam. 25.

Tertiò hæreticorum sententiæ sibi non hærent.

Hæc tamen cursim dicta sint, aliàs explicatiùs ponderanda. Sed videte obsecro, quàm malè sibi cohæreant Caluini dogmata, totius inquam hæreticæ constructionis commissuræ. Si quando Conciliorum auctoritatibus, aut veterum Traditionum sanctitate à Catholicis impetuntur, illicò Sacras Paginas appellant. Asserunt nihil omnino sanctum & de Fide Diuinâ esse quod iis litteris non continetur; in iis omnia tradi scitu necessaria mysteria: in iis quod non exprimitur, ad salutem non esse necessarium: denique Sacras litteras claras esse & perspicuas, neque vllius explicatione posse contaminari. Nihil ipsis ita in ore est, nihil pro populo crepant eloquentiùs, dum respondendum est Catholicis. Itaque sit ita vt volunt, nihil sanè Fide Diuinâ credendum 26.

dendum sit, nisi quod expressis signatisque & claris omnino verbis, in Sacris Paginis Diuino testimonio credendum exponitur, Ita sit inquam. Hîc stemus, hic conseramus manus: sed ne pedem retrahant, nec à se toties dicta reuocent, dum prementur.

27. Etenim, cùm Caluinus & Beza, & verò tota passim hæreticorum classis asserat, vnumquemque de se debere credere, filium Dei esse se, electorum numero ascriptum; idque ad instar articuli Diuinâ Fide credendi, mordicùs tenendum esse, fidelis vt quis sit: istud imprimis peto, an disertis verbis id in Sacrâ paginâ vsquam expressum sit, Caluinum de numero electorum esse, & æternæ vitæ hæredem indubitatum? Si id sanctæ ferant litteræ, locum cede. Sin autem; quo pacto Fidei Diuinæ Caluino factum est articulus, id cuius in Sacrâ Paginâ nulla est memoria, vestigium prorsus nullum? Atqui inquit Beza, Spiritus Sanctus Scripturarum auctor præcipuus, *id quoque suâ bonitate & gratiâ insculpsit cordibus electorum.* Benè tibi sit Beza cum *tuo corde.* Sacras paginas quæro, quibus id insculptum sit quod Fide Diuinâ credendum tibi esse dicis: & dum has quæro, tu mihi *cor tuum* porrigis, cui insculptum id sit. An ergo *tuum cor*, Diuinæ sunt Paginæ? atqui si credere debes Diuinâ Fide *quod tuo cordi* Spiritus Sanctus de tuâ electione insculpsit; fatêre igitur aliquid esse articulum Fidei, seu Diuinâ credendum Fide, quod sacris tabulis non continetur. Non igitur ita clament posthac, nihil se præter Scripturas, dum de Fidei mysteriis agitur recipere, nec verò debere recipi: ecce enim fundamentalem sectæ suæ articulum, nimirum Filios Dei, electos esse se, vnusquisque de se debet credere; & tamen id, de eorum nemine, expressis verbis Paginæ Diuinæ tradunt.

Faciunt enim fidei articulum, id quod in Scripturis non ponitur expressis verbis.

28. Hîc verò, malam caussam non feliciùs propugnaturus, assurgit Chamierus. Et quidem præfidenter admodum asseuerat, claris omnino verbis à sacro Euangelio asseri, Caluinum, eique similes, de salute æternâ prorsus esse securos. Manifestum est enim inquit, id quod de toto dicitur genere, dici etiam de singulis qui sub eodem genere continentur: neque verò dici posse homines ratione esse præditos, quin id de Petro, qui nempe homo sit, particulatim etiam asseratur. Cùm verò exquiritur, quo loco affirment Sacræ paginæ, omnes omninò fideles, de salu-

Respondet Chamierus particularem propositionem contineri in vniuersali quæ in Scripturis exprimitur.

te æternâ certos esse; tum sanè istud ex D. Joannis Euangelio affertur, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Ioan. 5. v. 38.

Vniuersalem de fidelium salute certò obtinendâ propositionem, non habent Scripturæ.

Antequam argumenti vitium detegam, illud prius quæro, cur ex his similibusque locis non inferant, omnes Christi fideles quamuis corpori in hâc mortali vitâ inclusos, reipsâ tamen cælesti gloriæ interesse; non enim hâbituros eos aliquando, sed reuerâ *habere vitam æternam* Nicodemo testatur Christus. An autem cœlesti gloriâ sese perfrui, dicent vel dei ætatissimi Caluinistæ? an vitam æternam sese habere credent ipsimet sibi? Habent, inquit Chamierus, sed in spe. Ain vero tu in spe? atqui nihil de spe hîc dicitur: Christus planè loquitur, neque de spe, vlla hîc fit mentio. Quod autem de spe interiicitur, illa quidem tua est, Chamiere textûs huius explicatio; explicationibus autem, vt vos vbique declamatis, Scripturæ non indigent; etenim humanis expositionibus dicitis eas conspurcari & inficiri, non declarari. Ut quid igitur mihi hîc spem obtrudis tuo è cerebro? Nam quid si ego fideles asseram habere vitam æternam in radice; quòd nempe in Fide, vita æterna contineatur, sicut fructus in semine? quid si dicam, fideles habere vitam æternam in spe, sed non indubitatâ qualem ponunt hæretici, sed tali quæ vitio hominis possit euerti, & à rei speratæ consecutione deiici; quid tu ad ista repones? expositiones forsitan humanas adferre me? Atqui & tuas censeo de hoc genere, nisi nos docueris esse Diuinas. Arque hinc conficio, ne id quidem generatim in Scripturis contineri clarè & apertè expressum, Fideles omnes de suâ salute aut statu Filiorum Dei obtento, certos *debere* esse & securos: quod tamen ipsi volunt. Neque video quâ fronte hoc dici possit, cùm ex aduerso contraria omnia suis fidelibus D. Petrus inculcet. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* 2. Pet. 1. v. 10.

Imò contrarium asserit D. Petrus.

Ecce, non vocatos modò, sed electos Petrus alloquirur, certamque vult ab ipsis electionem fieri, bonorum operum exercitio. Non igitur adhuc de salute consequendâ certi sunt, sic vt eâ non possint excidere. De salute ergo incertos Petrus alloquitur; & tamen alloquitur fideles. Non igitur fidelibus omnibus, ex eo solo capite fideles quòd sint, salutis certitudinem dant Scripturæ, quod tamen volebat Chamierus: nisi fortè, quod à me certò creditur, alterius farinæ sint Caluinistæ, ab iis qui S. Petri lacte enutriti sunt Fideles.

29.

Demus

30. Demus tamen vltro id quod petitur; & verum sit, istud à Sacris paginis vniuersim asseri, Fideles omnes de vitâ æternâ penitus esse securos. Quid exinde bonæ rei conficiet Chamierus? an id etiam eo loco asseri, Caluinum aut Chamierum de salute æternâ reddi securos? Quis dubitat, inquis. Ego verò dubito: nam, quod tamen ad legitimam consecutionem educendam ex propositione vniuersali est necessarium, nusquam in Scripturis dicitur Caluinum & Chamierum esse Fideles, & veram habere Fidem, ne illam quidem quam ipsi vocant Fiduciam salutis. Non igitur in Scripturæ loco, qui assereret vniuersim *Omnes omnino fideles certos esse de salute*, adhuc quidquam haberetur de Caluino aut Chamiero; quandoquidem eos fideles esse, isthic disertè non exprimitur. Verùm inquit Beza, *scientiam illam insculpsit Spiritus Sanctus cordibus electorum*, esse nimirum fideles. Ita fit. Igitur id saltem nunc est euidens, illam totius syllogismi partem quâ hæc res conficitur, & sine quâ tota vis argumenti corruit, Sacris Paginis non contineri. Hæc enim deberet esse argumenti forma. Sacræ litteræ docent omnes fideles securos esse de salute, seu habere vitam æternam. Atqui Caluinum esse fidelem sacræ docent litteræ; ergo docent etiam Caluinum (& idem de omni fideli esto judicium) securum esse de salute & habere vitam æternam. At quis non videt, falsum id esse, quod Caluinum, hominem fidelem esse Sacræ doceant litteræ? quinimo eam scientiam ex Spiritu Sancto hauriri docet Beza, vtpote qui id electorum cordibus inscripserit. Non igitur dicat Chamierus in vniuersali propositione, dici Caluinum, & se suique similes à Scripturis de salute certos reddi; adeoque id singulis credendum tanquam Fidei articulum, quòd id de singulis Scripturæ asserant: nimis enim insulsa est hæc oratio, quam vt apud hominem argumentandi gnarum, fidem inueniat. Deberet namque priùs id etiam Scripturæ textu exprimi, Fidelem esse te; adeoque testari sub Fidelium genere vniuerso, te contineri, antequam vniuersalis illa Scripturæ assertio, ex ipsâ Scriptura per legitimam consequentiam ad te possit deriuari.

Et vt vniuersalis illa propositio in Scripturis haberetur. tamen singulares homines per eam non ita exprimuntur, vt Scripturæ dici possint reuelasse singulis quod de salute suâ certi sint.

31. Itaque vt paucis dicta complectar; assero nusquam in Scripturis reuelatum esse Chamierum, aut quemuis particularem hominem certum de suâ salute esse. Nam quamuis asseruisset Deus, omnes fideles de eâ certos esse ac securos, non tamen id etiam

reuelauit in sacris litteris, hunc hominem Chamierum v. g. hominem verè fidelem esse; itaque Chamierus sibi persuadere non debet, certitudinem salutis suæ à Sacris sibi paginis reuelatam. Id ergo si Fide Diuinâ credit, credit sanè quod sanctæ litteræ nusquam tradunt: atque adeo credit, quòd Fide Diuinâ credendum non esse, hactenus ad rauim vsque, heterodoxi declamarunt. Quod si autem id jam rite facere se existimant, sanè posthac mihi non jactitent, totam doctrinæ suæ molem, Sacræ Scripturæ soli & puræ insistere; jam enim ostendimus præcipuum ipsorum dogma, quodque fundamentale vocat Chamierus, à Sacræ Scripturæ basi distare benè longo interuallo. Neque verò sententiam illam, seu certitudinem fanaticam ex iis quæ Deus per sacras paginas reuelauit, sed per particularem scientiam haberi fatetur Beza, imò & Caluinus ipse, quam quidem Spiritus Sanctus insculpsit, non sacris Bibliis sed *cordibus electorum*. Quo pacto igitur id in Sacris litteris vidit Chamierus, quod Caluinum fugit & Bezam? an Scripturæ jam clariores sunt, aut lapsu temporis plura pandunt? Et tamen tam apertas esse jactitatis, vt à fœce populi possint intelligi; nullumque fidei atticulum esse, quem non apertè tradant. Miror sanè id in cordis sui latebris quæsiuisse Bezam, quod in Sacris litteris, omnium oculis apertum vidit Chamierus, & positum in propatulo.

Chamierus plura videt in Scripturis, quàm Caluinus & Beza.

Quarto, cum ex Caluiniana salutis obtinendæ certitudine, nemo, qui eam habuit, possit excidere,

(quod quidem probatur ratione

& ex Caluino.)

Jam verò, vt rem hanc altiùs promoueam, nonne non arbitrarium tantummodò, sed & temerarium prorsus est, cum Caluino & Beza, salutis adeptæ securitatem sibi particulatim à Spiritu Sancto reuelatam esse asserere; eamque esse sine quâ nemo fidelis sit? Hâc enim si imbutus es scientiâ, sanè ne per Dei quidem potentiam absolutam, fieri potest, salute vt excidas. Manifestum id quidem est. Cùm enim Spiritus Sanctus mentiri aut fallere nequeat, neque quod Fide Diuinâ creditur possit vllo vmquam tempore falsum fieri; profectò cùm certum esse Spiritus Sanctus dixerit saluandum te, id necessariò fuit verum, totâque æternitate verum erit: fieri igitur nullo modo potest vt damneris. Nam si id fiat, falsum fuerit quod Spiritus Sanctus tibi reuelauit, quod tamen est contra hypothesim; ponebatur enim verum edixisse. Neque argumentis hoc magnopere vrgendum jam est: fatetur enim Caluinus rem ita esse; docetque Fideles, non tantùm de præsenti justitiæ aut gratiæ statu certos esse,

32.

esse, sed & de finali perseuerantiâ vt ipse loquitur. Ridensque Catholicos, de gratiâ per conjecturas sibi moralem certitudinem & fiduciam astruentes: *Egregiè enimuerò*, inquit, *salutis fiducia nobis relinquitur, si ad præsens momentum nos esse in gratiâ, conjecturâ morali æstimamus, & quid in crastinum futurum sit nescimus.* Vult itaque Caluinus certitudinem gratiæ, non ad præsentem tantùm vitæ statum, sed & ad perseuerantiam finalem, sine vllâ dubitatione extendi: ac proinde qui semel gratiæ statum obtinuit, seu qui semel fidelis fuit, ab eo nullo euentu posse excidere, est necesse. Hoc si ita sit; igitur qui semel momento vnico, fidem habuit Caluinianam, liberè potest non Catholicam tantummodo amplecti religionem, sed & Judaismum, imò & Mahumetanis castris succedere, sine vllo fidei suæ, salutisúe præjudicio. Quid enim? Caluinista verus fuit; itaque & fidelis. Quod si fidelis fuerit, certus itaque de salute fuit & quidem certitudine Fidei: quæ quia non potest fieri falsa, sanè de salute numquam excidet. Mahumeti igitur adhærebit sine vllo salutis suæ detrimento. Imò verò, ne cum Fidei quidem suæ præjudicio, Christum ejurabit, & sacra omnia Religionis Christianæ mysteria detestabitur. Nam cùm certus sit de salute obtinendâ, eâque non possit excidere, profectò nec fide excidet; cum fides ipsorum sit, de salute certum esse. Et rursus, cùm is qui de salute certus est certitudine Fidei, necessariò etiam eam sit adepturus, manifestum est ejusmodi apostatam, quantumuis detestandum, fidem non amisisse; nisi quis fateri velit, saluandum aliquem fidelis qui non sit; quod ne ipsi quidem Caluini dicent asseclæ. En vt ad omnem impietatem latissima strata est via.

Calu. l. 3. Inst. c. 2. n. 40.

Hinc sequitur quod omnis verè fidelis potest quotiescunque religionem mutare, sine salutis, aut etiam Fidei suæ præjudicio.

33. Hinc sanè miror ego, cur tantopere conturbentur, in suis, vt vocant, Classibus heterodoxi, si quando desertis erroribus ad Sanctæ Ecclesiæ Romanæ gremium quis conuolat; cur inquam eum adeò detestentur, cœtibus suis arceant, & tantùm non diris deuoueant. Non inquam, satis capio, quò hæc vergant. Nam aut de eorum grege fuit, Caluiniano modo fidelis, aut non fuit. Si non fuit; vt quid adeò infectantur hominem, qui eorum jurisdictioni non subjacuit? aut cur per censuras, quasi apostatam, arcent à grege, cujus numquam fuit pars? Mahumetanis certè inter ipsos versantibus molestias non facessunt, infideles quamuis sint. Quòd si autem, is qui Catholicum sese jam profitetur, de

Non debent itaque Caluinistæ esse solliciti de ijs qui ab ipsorum sectâ decisscunt.

gregè

grege Caluini verè fuerit; sanè fidelis fuit; non enim hic cœtus, infideles suis, vti credo, annumerat. Si autem fidelem fuisse non negatis; profectò de salute æternâ certus fuit aliquando; atque adeò adhuc certum est, eum nec à vitâ æternâ, nec adeò à fide semel conceptâ posse deturbari. Itaque auctor ipsis sum, vt ne de oue quasi perditâ multùm sint solliciti; sinant illam agere res suas, & quæcumque demum Religionis Catholicæ castrâ peruagari: nam eo in statu est hæc ouicula, vt perdi vel perire non possit; aut si possit, tum sanè numquam de eorum gregè ouis fuit: & sic nulla ipsis de eâ deinceps sit curatio: ibit illa vias non malas, & pascua felicia inueniet.

Quintò si vera esset, hæreticorũ sententia, nemo damnatus vmquam fidelis fuit.

Non lubet Caluinianæ huic fiduciæ & confictæ certitudini refutandæ diutiùs inhærere. Istud tamen adjiciendum est; ea sententia si vera sit, neminem vllum fidelem æternis ignibus esse addictum. Quod alijs verbis dicetur clariùs: neminem eorum qui damnati sunt, vmquam fuisse fidelem. Tenetur res. Cùm enim reipsâ, æterna jam supplicia sustineat, numquam profectò verum fuit, non condemnandum hunc hominem. Quod si id numquam verum fuit, numquam etiam de salute consequendâ certus esse potuit. Atqui vti suprà à Caluino traditum vidimus: *Verè fidelis non est nisi qui solidâ persuasione .... indubitatam salutis expectationem præsumit*; & de eâ, certitudine fidei cui falsum subesse non potest, certus sit: igitur cùm damnatos eâ fide, fiduciâ, aut certitudine obfirmatos fuisse sit impossibile; planum jam est, ex damnatis neminem vmquam fuisse fidelem. Quis autem hoc sanus dixerit? quis eiusmodi commenta, vel per somnium in Ecclesiâ efformauit? Pluribus possem figmentum istud insectari. Istud tantùm illi refellendo dicam; exinde sequi, proditorem Sanguinis justi Judam, numquam fuisse fidelem: etenim æternâ salute excidit. Et tamen Matthæi 10. ab ipso Christo in Apostolum est electus versu 4. Ad prædicandam Euangelij veritatem missus est versu 6. *Ite ad oues quæ perierunt domus Israël .....* Miraculorum gratiâ est insignitus versu 8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eïcite.* Versu 25. Discipulum eum Christus nominat. Versu 16. ouis titulo condecorat. Denique vt plura omittam versu 40. testatur Christus de Apostolis, inter quos Judas, *qui recipit vos me recipit.* An ergo infidelis, Apostolatûs munere fungitur? an ouis dici potest & discipulus, qui fide prorsus

34.

Vti nec Iudas quantumuis fuerit Apostolus & ouis Christi.

Matt 10. v. 4.

prorsus caret? an Christum recipere dicendus est is, eum dum recipit qui Christianâ fide est destitutus? Quid ad hæc respon-suri sint heterodoxi, nescio. Judam fortasse, præter mentem totius Ecclesiæ inferno eximent & cœlo inserent: nam facilè dicent, Judæ, vtpotè fideli, tam horrendum crimen non fuisse à Deo imputatum. Denique procliue erit fingere proditorem, dum desperasse visus est, per fidem in patibulo, salutis suæ securum admodum, triumphasse: iis, inquam, procliue erit id fingere, quos eò impudentiæ auexit furor, vt non exhorreant ore blasphemo conuitiari, & deblaterare, Dominum proditoris, Jesum Christum, pro alienâ morientem, de salute suâ in Crucis patibulo desperasse.

Sextò damnatur hæreticorum fiducia & certitudo salutis à Tridentino.

35. Sed satis sit. Sufficit hæreticorum ineptias detexisse, vt homo prudens & consultus eas detestetur. Detestata est sanè sententiam hanc Ecclesia in Tridentino Concilio congregata; eique tandem dixit anathema. Ita habet. *Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum consequendam, necessarium esse vt credat certò & absque vllâ hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata esse remissa, anathema sit.* Quô quidem Canone non perstringuntur ii, qui bonâ fide peccata confessi, & munere pœnitentis ritè perfuncti, peccata per Dei misericordiam, Sacerdotisque absolutionem certitudine morali sibi credunt esse condonata; sed hæreticorum error configitur, contendentium non alio modo impetrari scelerum gratiam, quam præsumptâ, vt Caluinus loquitur, salutis expectatione, cui scelerum omnium debita sit condonatio & indemnitas. Et hanc esse mentem huius Canonis, tum verba satis indicant, tum sequens Canon liquidissimè confirmat. Ita fert. *Si quis dixerit hominem à peccatis absolui ac justificari ex eo quod se absolui ac justificari certò credat: aut neminem verè esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatũ; & hâc solâ fide absolutionem & justificationẽ percipi, anathema sit.* Nihil addo Sacro-sancto Canoni. Miror tantùm præposteram hæreticorum fiduciam, & D. Joanni planè contrariam. Ita enim de se loquitur Apostolus. *Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Prius ergo statuit Apostolus, non reprehendi à Conscientiâ, siue sceleris conscium non esse se, vt exinde in fiduciam consequendæ salutis meritò erigatur. At heterodoxi contrariâ insistunt viâ, fiduciamque præsumendam esse statuunt, vt eâ muniti, Conscientiæ repre-

Trid. sess. 6. can. 13.

ibid can. 14.

1. Ioan. 3. v. 21.

Hæretici inuertunt fiduciam quam de sua salute habet D. Ioannes.

 hensio-

henſionem euadant; aut etiam certitudine ſalutis ob os objectâ, vocem Conſcientiæ ſcelera caſtigantis intercipiant. Inuerſum itaque habemus Euangelium, & reformatum: nam ſi cor Joannis eum non reprehenderit, tum demum aſſerit *fiduciam ſe habiturum ad Deum.* Errauit hîc Joannes per hyſteron proteron: inuertenda eſt hæc ſententia; dicere debuerat: *Si fiduciam habemus ad Deum, cor noſtrum non reprehendet nos.* Ita me Deus amet; nunc tandem intelligo penitus, cur ſeſe nouatores hodierni Reformatores appellarint.

§. IV.

Exponitur Catholica de certitudine peccati remiſſi, ſeu Statûs gratiæ obtenti, ſententia. Item quam ſecuritatem moralis certitudo, in hâc materiâ, menti afferat.

Certitudo de obtentâ gratiâ, non eſt Fidei.

ERrorum diſcuſsâ caligine, facilè jam ſeſe veritas aperiet, vultusque placidos explicabit. Dico igitur *imprimis* conſtare, 36.
certitudinem eam quam poſt omnia pœnitentiæ exacta officia, de condonatione peccatorum, ac proinde de Gratiæ obtentæ ſtatu, in hâc mortali vitâ paſſim habemus, non eſſe Fidei, prout ſtatuunt heterodoxi; id eſt, non eſſe talem quæ rationibus ijs ſit ſuffulta, vt ne ex Dei quidem potentiâ abſolutâ, poſſint eſſe falſæ; prout eſt certitudo, quæ Diuinæ reuelationi clarè cognitæ innititur. Sic ergo, quidquid egero, non adeò certus ſum gratiam à Deo obtinuiſſe me, quàm quòd Filius Dei Humanam Carnem aſſumpſerit: hæc enim certitudo, ex rationibus enaſcitur, quas ne quidem Deus ipſe falſas poſſit reddere: talis autem naturæ non ſunt, quæ mihi de obtentâ gratiâ ſecuritatem aſtruunt. Clariſſima eſt hæc Tridentini Concilij ſententia, quâ controuerſia tota deciditur. Ita grauiſſimis verbis rem definit. *Sicut nemo pius de Dei miſericordiâ, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute & efficaciâ dubitare debet; ſic quilibet, dum ſeipſum ſuamque propriam indiſpoſitionem & infirmitatem reſpicit, de ſuâ gratiâ formidare & timere poteſt. Cùm nullus ſcire valeat certitudine Fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Sic prorſus eſt: nam etiamſi fide Diuinâ certum ſit, eum qui debitâ contritione peccata deteſtatur, Trid. ſeſſ. 6. c. 9.

ſtatur, & legitimâ præparatione animi, ſcelera confitetur, immunitatem omnium conſequi, & filiorum Dei numero adſcribi: tamen certitudine Fidei mihi non conſtat, an contritio perfecta fuerit, & an reliqua quæ ad Confeſſionem legitimam requiruntur, ritè ſint exhibita. Id eſt, vt alijs verbis rem exponam, nullâ reuelatione, neque quæ per Sacram paginam, neque quæ vlli hominum particulatim ſit expoſita, mihi à Deo denuntiatum eſt, omnia condonationi neceſſaria, à me eliciendæ Diuinæ gratiæ fuiſſe præmiſſa. Hinc impoſſibile non eſt falli me: atque adeò gratiæ impetratæ ſecuritatem non habeo, quam daret certitudo Fidei. Et hæc propoſitio eſt de Fide, vtpote à Tridentino grauiſſimè definita.

37. *Secundò*, manifeſtum eſt etiam certitudinem quâ gaudemus non eſſe Phyſicam, id eſt, eam quæ ex naturæ congenitis proprietatibus elicitur, & quas num. 16. diximus ſine miraculo à Deo non ſuſpendi aut interuerti. Sic non tam certus ſum de gratiâ obtentâ, quàm ab igne admotam manum adurendam, aut lapidem grauitate ſuâ deſcenſurum ſi naturæ ſuæ relinquatur. Nam quamuis iſtis contraria poſſint accidere, Deo concurſum ordinarium naturæ ſubtrahente; tamen id ſine euidenti prodigio non eueniet. At verò nullum eſſet miraculum, id eſt, nihil fieret naturæ curſui contrarium, nullaque eius proprietas ſufflaminaretur, ſi dum omnia ad juſtificationem requiſita exegiſſe me exiſtimo, nihilominùs opinione meâ fallerer, *Neque eſt certitudo phyſica*

38. *Tertiò*, itaque dico cum Suarez, certitudinem quam mortales homines de ſtatu gratiæ obtento habere poſſumus, præter eam quam reuelatio Diuina hominibus virtute perfectis pro ſuâ beneuolentiâ nonnumquam dat, moralem eſſe certitudinem: id eſt eam, quæ talibus innixa eſt rationibus, vt quamuis abſolutè poſſint fallere, paſſim verò & ordinariè eius ſint generis vt non fallant. Itaque ſi rationes, præſertim ſingulas, particulatim & metaphyſicè aut etiam phyſicè vis diſcutere; tales certè ſunt quæ falſitatis aliquam ſuſpicionem ingenerare poſſint; ſed ſi morali, id eſt, prudenti judicio perpendantur, eas inuenies eſſe, cui tutò poſſis acquieſcere, ſine vllâ vlterioris indagationis aut examinis obligatione. Quod tum majorem locum habet, dum plures, ad veritatem rei confirmandam, rationes ſimul conſpirant. *ſed moralis*

Suar. to. 3. de grat l. 9. c. 11. n. 10

Hæc certitudo tanta esse potest, vt tollat omnem falsi suspicionem.

Et hæ quidem tot esse possunt ac tantæ, vt iis non solùm pos- 39.
sis, sed secundùm prudentiæ regulas, etiam debeas plenam omnino fidem dare: sic vt ambigere eo in euentu, non tam sit rationes inuestigare, quam ineptire. Etenim an quisquam nostrum dubitat Nortlinganâ pugnâ præclarissimam à duobus Ferdinandis de Sueco relatam esse victoriam? An quisquam in dubium sanus reuocet, Valencenas felici prælio, Gallorum obsidione liberatas? quis inquam, de historiæ tam assertæ veritate, suspicionem mouet vel minimam? Et tamen si singula perscrutetis quæ fidem fecerunt, ea esse comperies, quæ sine vllo miraculo, aut naturæ defectione potuerunt non esse, atque adeo & fallere. Etenim potuit fieri vt numquam fuerit Nortlinga aut Valencenæ: potuêre numquam extitisse Ferdinandi aut hostes, quos credimus debellatos; potuerunt singulæ, quæ victoriam propalarunt, fictæ esse litteræ, historiæ possunt esse mendaces, mendaciique conuincuntur quàm plurimæ. Et tamen de totâ re nemo jam dubitat, nemo falsi suspicione tangitur, omnes de his similibusque euentibus, certos se esse asserunt: & aut peregrinum hominem rerumque nostrarum ignarum penitus, aut certè emoti cerebri judicaremus eum esse, qui rei certissimæ, dubitationis nœuum, nimiâ indagandi curâ, conaretur affricare: non enim in rebus quæ mores hominum concernunt, demonstratione Mathematicâ, sed prudenti humanoque judicio ponderanda est veritas; ac denique elicienda est certitudo.

Certitudo moralis gratiæ obtentæ, tollit omnem actualem formidinem de opposito:

Ita prorsus, quamuis fatear rationes quæ pœnitentem de ob- 40.
tentâ peccatorum veniâ, & quemuis hominem de felicissimo Gratiæ statu securum reddunt, esse ejusmodi, vt ad Matheseos, Metaphysicæque rigorem expensæ, dubitationis aliquid possint afferre; ac sic de rei veritate absolutè quis *posset* Mathematicè aut Metaphysicè dubitare; tamen tales quoque sunt, vt moraliter, id est, prudenter dubitare quis non *debeat*: imo nonnumquam tot ac tantæ, vt ne quidem ambigere prudenter *possit*: non enim prudenter agere censendus est, qui humani moris metas atque ordinem prætergreditur. Animaduertenda est itaque sedulò, vt res hæc percipiatur penitiùs, Tridentini quam num. 46. attuli sententia. Asserit enim *quemlibet dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare & timere posse*, non tamen docet Concilium, formidare & timere

quod

quòd debeat. Formidare quilibet quod possit, ex eo capite probat quòd numquam tanta sit certitudo, vt Fidei diuinæ certitudinem attingat, cui numquam potest subesse falsum. *Nihilominus tamen* inquit celeberrimus ille Theologus Franciscus Suarez,

Suar. ibid. n. 10. *addendum est, tantam esse posse hanc certitudinem, vt regulariter ac moraliter excludat actualem formidinem. Hoc bene notauit Valentia & sequitur Vasquez, & declaratur ac probatur. Nam aliud est non posse formidare, quod in priori dicto* (scilicet dum quæreretur an certitudo hæc sit Fidei) *negamus; aliud non formidare; quod nunc affirmamus. Nam formidare actu, non est necessitatis, sed libertatis: & ideo licet quis possit formidare, nihilominus potest etiam non formidare, & ita assentiri absque euidentiâ, sine actuali formidine.* Ita summus ille Theologus sanè peracutè.

41. Jam verò quia actualis illa formido excludi potest, per solam opinantis & salutis suæ certitudinem sibi asserentis peruiciam; per quam fit vt nolit de gratiâ obtentâ formidare, quamuis securitatis suæ rationes solidas afferre non possit; quæ quidem certitudo ex ipso subjecto oritur, quam supra num. 12. 13. diximus, non tam certitudinem esse, quam aut affectionem animi peruersam, aut intellectûs ignorantiam, aut proteruiam voluntatis: tamen vt rectè pergit Suarez, *Alio modo contingit non formidare actu, ex efficaciâ motiuorum quæ valde determinant intellectum, & ita pacificant mentem, vt moraliter ac frequentiùs excludant actualem considerationem de possibilitate falsitatis; & ideo regulariter, & sine temeritate excludât actualem formidinem.* Sic rationes quibus inductus Norlinganam victoriam credidi, eius sunt naturæ, vt ne in mentem quidem veniat, eas iterum ad examen esse reuocandas, aut quidquam iis fidei detrahendum. *Et hoc modo dicimus*, inquit Suarez, *posse certitudinem Gratiæ, actualem formidinem excludere*, idque persuadent ea quæ §. sequenti dicturus sum. Sufficit enim ostendisse modò, certitudinem moralem de gratiâ obtentâ dari posse; & eam quidem, quæ formidinem falsitatis penitus omnem, è mente expellat.

neque tollitur ex imperio voluntatis

Suar. ibid. *sed ex efficacia motiuorum.*

42. Quòd si denique quanta sit hæc certitudo exquiris, respondeo eam esse cui planè possis acquiescere, & quam rebus agendis sine temeritate vllâ, liberè prudenterque possis adhibere. Sic ergo, & pro remissis peccatis, & pro gratiâ seu statu Filiorum Dei obtento, indubitanter & sine hæsitatione, Deo immensas

Certitudo hæc permittit omnes actiones quæ sunt statûs gratiæ.

sas gratias agere: rursus, quasi qui in amicitiam Dei intimam admissus jam sis, familiariter cum Deo colloqui, tuasque & amicorum miserias exponere, nouos item fauores exorare iis fretus quos jam accepisti: rursus Sacramenta quæ statum gratiæ prærequirunt, sine vllâ cunctatione adire; denique ea agere tibi est licitum, quæcumque statui Filiorum Dei tam excelso & præclaro, ab amico Numine permittuntur. Quid vltra in hâc mortali vitâ exposcimus? aut in quos vsus majori certitudine, quæ ad praxim nihil conferet, indigemus?

Tam certus potest quis esse sibi condonata peccata, quàm certus est se baptizatum aut ordinatum Sacerdotem.

43. Quod si tamen mensuram aliquam huius certitudinis importune exquiris, dicam cum Suare. *Valdè probabile censeo*, inquit, *posse aliquem justum ad illum statum virtutis ascendere, in quo non minùs certò credat remissa sibi esse peccata actualia; quàm originale: seu non minus certò credat aliquam Sacramentalem absolutionem validam in se fuisse & habuisse effectum, quàm baptismum vel Ordinationem.* Si ergo tam securus esse possit pœnitens de statu gratiæ recuperato, quàm baptizatum se esse, aut si Sacerdos sit, legitimè sacro Ordine initiatum; non video quid requirendum sit vlterius. Tam enim indubitatim præ se potest ferre, Filium Dei esse se, eaque quæ statûs huius sunt agere, quàm baptizatus quispiam gloriari se Christianum esse, illudque publicè profiteri; & quàm Sacerdos potest sacra celebrare, & quæ dignitati illi singularia sunt munia exercere, honoresque sibi collatos acceptare, iisque sine vllâ injustitiæ suspicione frui. Atque hæc de certitudine, quæ pœnitentem Gratiæ adeptæ securum reddit, dicta sint. Videamus nunc quæ tandem sint rationes, aut vt vocant motiua, quæ certitudinem tam felicem, de suo statu ambigenti animæ solita sint conferre. ibid n. 13.

§. I.

§. V.

Enumerantur rationes & signa ex quibus certitudo moralis gratiæ obtentæ elicitur; & mens de suo statu confirmatur. Ostenditur autem ea potissimùm ex Conscientiæ testimonio esse petenda. Respondetur item ad quasdam dubitationes ex certitudine Absolutionis, Confessionis & Contritionis emergentes.

44. NOlo jam multis contendere vt ostendam, supremam quandam Conscientiæ auctoritatem à Deo esse attributam, cui dum mens sincerè acquiescit, nequidquam de Dei voluntate exequendâ est sollicita, cùm alia non sit voluntas Dei, quàm quæ tibi à Conscientiâ exhibetur. Jam dudum ista exposuimus: vti & Conscientiam Deo à secretis esse; ab eâ exquirendum, si scire desideras quo loco apud Deum sint res tuæ: denique Conscientiæ standum testimonio, eique acquiescendum penitus. Neque verò timendum est, ne fortasse mentiatur; id enim non videtur posse fieri, sibi mentiri vt queat. Possetne enim judicare quis, se nihil quidquam judicare, cùm reipsâ judicat? Minimè inquis. Atqui testimonium Conscientiæ, vti diximus, actus est judicantis animæ: & mentiri Conscientiam, non est falsum de rebus ferre judicium, sed dicere sibi se judicare quod non judicet. Hoc autem sibi dicere mens non potest; iudicaret enim se non judicare dum judicat; & sic ferret judicium de eâdem re & non ferret. Quæ duo, vni actui vnam eandemque rem pertractanti, non competunt. Sibi ergo mentiri non potest Conscientiâ, nec sese fallere: id enim quod verè sincerèque de te judicat, id verè es. Et si non sis, aut potius si non fueris, ita tamen deinceps à Deo reputaberis. Testimonium igitur Conscientiæ si sincerum est, semper verum est: & si sincerum non est, Conscientiæ profectò non est, vti fusè Tractatu 2. sumus hanc rem persecuti.

Sup. §. 1.

Conscientia sibi ipsi mentiri non potest.

45. A Conscientiæ itaque testimonio petenda cùm sint felicis infeliciue statûs, victoriæ inquam à Dæmone relatæ cladisue acceptæ

Vox Conscientia gratiam

acceptam nunciantis à multis non intelligitur.

ceptæ nuntia, non erit abs re indagare quibus modis Conſcientia rei benè actæ teſtimonium ferat, illudque variè confirmet ac ſtabiliat. Sanè Conſcientia mentem ſuam ſat clarè enuntiat, & cuique in quo ſtatu res ſint animæ, apertè declarat: ſed prout homines hâc de re video admodum ſollicitos, vehementer ſuſpicor Conſcientiæ teſtantis voces non intelligi, aut fidem non inuenire. Expplicandæ ſunt igitur, ne forte negligantur.

Prima vox Conſcientiæ ſtatum gratiæ nuntiantis, præſens peccati horror.

Primò enim an non teſtatur tibi Conſcientia; id eſt, an non 46.
ſincere judicas abominari te quæcumque ſcelera; atque animo ſic conſtitutum te, vt mortem potiùs ſtet oppetere, quàm lethali injuriâ Deum offendere? hoc ſi Conſcientia atteſtetur, *ſine dubio* inquit Baſilius vt ſuprà num. 5. expoſuimus, *credat ſe liberum eſſe à peccatis.* Quis id aſſerit? ea ipſa quæ tibi *non adhærere cor prauum*, fidem facit Conſcientia. *Non dubitet ſibi adeſſe Deum, qui timet & cauet mortalia*, inquit ſpiritualium rerum expertiſſimus Taulerus.

Secunda vox præteritorum ſcelerum ſincera Confeſſio.

Secundò, an Conſcientiæ teſtimonio tibi non conſtat, ve- 47.
tera à te commiſſa ſcelera deteſtari te? an non aſſerit bonâ fide examinata, diſcuſſa, confeſſa omnia? an quidquam eorum, ſponte & ex condicto, inuolutum eſt ſilentio? denique an alicuius te tecti criminis reum, reprehendit nunc Conſcientia? Si tacet, ſi pacatè agit, ſanè bona nuntiat. *Chariſſimi, ſi non reprehenderit nos cor noſtrum, fiduciam habemus ad Deum.* inquit D. Joannes. Reuelationibus Diuinis gauiſus eſt Joannes; ab iis tamen fiduciæ ſuæ ſecuritatem cùm non peteret, non dubitat eam Conſcientiæ ſeſe non reprehendentis teſtimonio concredere, & viuere ſecurus ſui.

Taulerus apud Bloſium de Conſol. puſillam. c. 19. §. 2.

1. Ioan. 3. v. 23.

Tertia vox, diuturna à mortali peccato abſtinentia.

Tertiò, an non etiam fidem facit, te multo jam tempore, men- 48.
ſibus nempe aliquot, innocentem vitam duxiſſe, ſic vt nullo mortali ſcelere te contaminaris? venialia verò ſi quando committis, an non aliquo, non importuno tamen, tœdio afficeris, quò quidem quietem tibi interturbari perſentiſcis, nec animo tranquille eſſe; donec aut Contritione, aut exomologeſi, offenſo Deo ſatisfeceris? hæc ſi ita ſint, clariora longè habes argumenta, quibus acquieſcas: confirmatoriæ ſunt hæ litteræ & maximè authenticæ. *Da mihi animam*, inquit D. Bernardus, *cui viuere Chriſtus non tantùm ſit, ſed & jam diu fuerit..... non ambigo ſponſum adeſſe.* En quàm conſtanter id aſſeueret Sanctus Pa-

D. Bern. ſerm. 69. in Cant.

ter,

ter, quod propriâ jam dudum experientiâ didicerat. Præclariſſimum enimuero, tam diuturna à mortalibus peccatis abſtinentia, amicitiæ Diuinæ jam obtentæ, eſt indicium: neque enim tam ingentes ſingulareſque gratiæ, quibus ad euitanda tanto tempore lethalia crimina mortalis indiget imbecillitas, facilè dantur ei, qui inimicus eſt Dei; neque tam eximij fauores, amicitiæ veræ ſymbola, hoſtibus conceduntur.

49. Quartò, an non ſingulari jam Deum amore complecteris? an non ei ſupremam illam quâ gaudet, quæque perfectionem omnem in ſe includit, Diuinitatem, beneuolo animo gratularis? an non ei de gaudio quo ſemper fruitur applaudis? an non, quod verè amicorum eſt, optas inter homines famam & nomen tam amici Dei promoueri; & ſingulari etiam lætitiâ ipſemet afficeris, dum magna aliqua, reuerentiæ ipſi debitæ, facta eſt acceſſio? Hos ſanè ſi in te ſinceri amoris motus percipis, minimè dubium eſt à Deo amari te. Quid autem eſt ſic amari, quàm ſtatum gratiæ ſeu amicitiæ Diuinæ attigiſſe? Neque fallaciam hîc aliquam reformida, inquit Bernardus, nam Chriſto deſponſa anima *non dubitat ſe amari, quæ amat.* Verùm, amabo te Bernarde (video enim te tuos amores in ſponsâ deſcribere) an aliqua forſan amoris reciproci, per reuelationem, tibi data eſt ſecuritas? Minimè inquit: quidquid ſcio, Conſcientiæ teſtimonio didici: teſtator illa me amare. Quid deinde? igitur & amari. En melliflui Bernardi verba: *Non timeo quia amo. Nihil dilectæ timendum: timeant qui non amant. Quid ni* enim *aſſiduè inimicitias ſuſpicentur? Ego verò amans, amari me dubitare non poſſum, non plus quàm amare; nec poſſum vereri vultum, cuius ſentio affectum.* Non poterat Bernardus magis apta proferre, aut quæ magis ſint ex genio amoris, id eſt ex naturâ amantis Dei. Si enim amoris reciproci incitamentum eſt amor amato impenſus; an ab homine ſe ſuperari amore patietur is, qui amoris omnis auctor eſt & origo? an qui auerſum à ſe peccatorem non eſt auerſatus, redeuntem jam repellet? amat peccator; & oderit amantem Deus? Quaſi verò Amoris leges ignoraret is, qui totus amor eſt. Quaſi verò, inquam, humanitatem omnem exuiſſet is, qui humanam Carnem induit, tantùm vt eſſet humanus. Non dubitet ergo ſe amari, qui amat. Aut ſi dubitat, neſcit profectò amare quid ſit. Nouit id Bernardus, & amore ſuo ſe inuoluens, amore fruitur, & deli-

Quarta vox, actualis amor Dei.

D. Bern. ſup.

ciis perfluit innocentissimis.

Quinta vox, mentis serenitas & gaudium subsequens Confessionẽ vel Contritionem.

Deliciarum verò mentionem cùm fecerim; an non aliquando, dum è Sacro Tribunali, Confessione, vt tibi videbatur, fide optimâ ritè peractâ egrediebare, animum sensisti, gaudio quodam, voluptateque insolitâ demulceri? an non exilire tibi cor, mentem serenari, depulsisque terroribus malaciam optatissimam turbato animo expertus es redire? Expertus si es, certè gratulor; reconciliationis cum Deo initæ, non quidem necessaria, sed dum obueniunt, certissima hæc sunt argumenta. Ita certè Tridentinum statuit: *Sanè verò res & effectus hujus Sacramenti, quantùm ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo; quam interdum in viris pijs, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas, cum vehementi spiritûs consolatione consequi solet.* Hæc verò si in te persensisti, quid adhuc de reconciliatione obtentâ dubitas, dum fructus ipsos percipis, qui à tali tantummodò radice possunt effluere & enasci? 50. Trid. sess. 14. c. 3.

Respondetur ad obiectionem petitam ex defectu iurisdictionis aut intentionis Sacerdotis absoluentis.

Necdum tamen tam claris obtentæ gratiæ argumentis vti video, acquiescis; caput moues: & vt omnia quæ hîc attulimus vera sint, inquies, semper tamen incertus hæreo, an Confessionem ritè instituerim, an actum veræ Contritionis elicuerim, denique an Absolutio à Sacerdote legitimè sit impensa. Benè est; nodum, in scirpo quæris, & in Sole maculas: statutum est, inquam tibi de re clarissimâ dubitare. Vt tamen scrupulum omnem eximam, ab Absolutione incipio. Potuisset illa, illegitimè fuisse collata, aut iurisdictionis, aut bonæ mentis, seu intentionis defectu. Fateor, sic est. Audi nunc sapientissimum Franciscum Suarem. *Si quis in decursu longi temporis, varijs multisque Sacerdotibus confessus est; & de nullo illorum habet rationem vel occasionem suspicandi, vel quòd ritè ordinatus non sit, vel quòd intentionem absoluendi non habuerit: tunc licèt generatim loquendo, in vno vel alio possit defectus seu deceptio timeri; tamen moraliter videtur impossibile, quòd inter tot ministros, nullus fuerit & verus Sucerdos, & fidelis in ministrando.* Ita visum est Suarezio, & omni prudenti homini sic videbitur. Quid deinde inquies? Dicam. Quòd si aut iurisdictionis aut bonæ voluntatis defectu, illegitima fortasse fuerit aliqua Absolutio; per primam quæ deinde tibi impensa est legitimè, omnia quæ illegitimæ Confessioni (quam tamen bonâ fide existimasti legitimam) exposita sunt crimina, assero esse ritè condonata. Quid hîc jam dices? 51. Suar. sup. n. 7.

Quacumq; bona Absolutio, delet omnia peccata, quæ in præcedentibus Confessionibus defectu iudicis non sunt condonata.

dices ? aut imprudenti hæsitationi tuæ quid prætendes? Dic sanè ne pergas imprudenter agere, Sacerdotes omnino omnes, ex condicto conspirasse, vt te vnum non absoluerent. Hoc inquam apud te statue, & si potes risum tene.

52. At verò, inquies, forsitan non omnia à me commissa crimina exposui. Antiquum obtines; pergis tibi esse importunus. Dudum ad hæc respondi: breuibus aliqua repeto, quod hic locus exigat. An sponte aliquid reticuisti ? Minimè inquies; fassus sum quæ sciebam scelera: sed postea occurrit nouum. Benè est; occurrerit. At verò, an certò tibi constat, id Clauibus non subjectum, seu non confessum te ? Si ita sit, illud nunc confitere, & salua sunt omnia. An reliqua sunt reiteranda, & noua instituenda Confessio? Minimè gentium: effectum sortita est prima Absolutio, & quæ prolata sunt crimina condonauit; quæ verò bonâ fide omissa fuerant, secunda eluit. Quòd si autem tantùm dubitas an ea quæ modò occurrunt confessus sis, neque certò potes judicare, an sponte à te fuerint prætermissa; certò & indubitatim statue, ea te legitimè exposuisse Sacerdoti. Tam enim Christianus fuisti à viginti annis quàm sis modò; & tam sedulò tibi confitenti erat propositum, Deo & Conscientiæ satisfacere, quàm sit modò. Eccur igitur quæso te sacrilegij jam condemnas ? aut quod tibi jus in te est, judicandi te fuisse sacrilegum, ijs de caussis, ob quas id de alio, sine temeritate ne quidem posses suspicari ? Acquieuit olim Confessioni tuæ Conscientia; sententiam pro te dedit, dum res ferebat, & caussa cum circumstantijs omnibus recenter proposita id exigebat: multa nunc memoriæ exciderunt ad rem decernendam quæ facerent. itaque supersedendum est nouo judicio, & veteri sententiæ acquiescendum est omnino. Scis te confessum; dubitas an sincerè, & validè: itaque dubitationem excute, & dic, quod à te factum est, factum benè. Nam vt prudenter juris Glossa: *Si constet aliquem actum interuenisse, potiùs est vt validus quàm vt irritus pronuntietur.* Inualida autem esset Confessio, cujus integritati, peruersa voluntas quidquam suâ sponte detraxisset. En rursus dubitationes omnes quæ ex Confessione obuoluebantur, penitus decisas & complanatas.

Respondetur ad defectum qui timetur in Confessione irrepsisse.

Si dubitas an benè sis confessus, statue certò, benè confessum te.

Glossa l. de contrahendo π. de Reg. Iuris.

53. Non tamen complanata sunt omnia inquies: de Contritionis enim, aut etiam Attritionis actu, numquam possum certus esse, supernaturalis cùm sit; atque adeò non tantùm à solâ naturâ excitari

Moraliter fieri non potest vt qui multos

Charitatis aut Attritionis actus conatus est excitare, nullū vnquam bonū elicuerit.

citari nequeat, sed nec percipi quidem aut intelligi, is qui elicitur supernaturalis an sit. Atqui si supernaturalis non est, nulla datur pœnitenti gratia. Quam ergo mihi certitudinem de obtentâ veniâ possum afferere, qui securus esse non possum, de posito veniæ fundamento? Videtur hæc ratiocinatio ignauæ aliquorum diffidentiæ, aliquantulum patrocinari. Sed respondeo non difficiliùs argumentum hoc dissolui, quàm quòd num. 51. de Sacerdotis absoluentis dubiâ jurisdictione proponebatur. Quamuis enim in singulis actibus Contritionis elicitæ, fatear relinqui dubium, an debitam perfectionem attigerit; hoc certè, an inter multos, quos citra controuersiam exercueris, semper acciderit, sic vt numquam legitimus Contritionis actus vllus sit elicitus, non potest prudenter dubitari. Etenim mihi facilè fateberis, sæpiùs deinde, aut in Confessionibus, aut in adeundâ Sacrâ Synaxi, aut in precibus familiarius cum Deo dum agis, aut dum cubitum concedis, aut dum pro recepto beneficio persoluis gratias, aut Diuinæ bonitatis memoria dum recurrit, inter dulcia suspiria pœnituisse te tantam bonitatem quod offenderis; aut etiam ad excitandum Dei tam boni & super omnia diligendi amorem, fuisse enisum. Hoc si ita est, en rursus Suarezium, dubitationem omnem argumentumque propositum dissoluentem. *Si ponamus*, inquit, *hujusmodi hominem sæpiùs in vitâ, vel quotidiè per multum tempus, iterare actus Contritionis, faciendo quantùm in se est, & quantùm ipse assequi potest perseuerando diu sine Conscientiâ peccati mortalis; non videtur possibile, quin aliquando veram Contritionem eliciat; suppositis principijs certis de Gratiâ Dei, & promissionis eius quas habemus.* Suar. ibid. n. 7.

Hinc qui bona fidi semper confessus est, curet non tam antiqua peccata repetere, quam nouâ de omnibus contritionē excitare.

54. Luculentum sanè tanti Theologi effatum, quodque compescendis infinitis animi semper fluctuantis tempestatibus, est accommodissimum. Etenim manifestum nunc est, de præteritarum Confessionum bonâ fide exactarum, neminem vmquam, ne in vitæ quidem termino, debere esse sollicitum: id est, consultum non esse, peccata rursus particulatim repetere, & quasi si numquam aut si malè fuerint exposita, denuo enarrare: hæc inquam necessaria non sunt. Enitatur ergo, non singula confiteri, sed generalem de omnibus omnino peccatis præteritis Contritionem, aut perfectæ Charitatis, aut Attritionis in Sacramento Pœnitentiæ actum exercere: & tam supplebitur defectus, aut error bonâ fide

fide in aliquâ præteritarum Confessione commissus, quàm si singula totius vitæ peccata repetantur. Nescio quid ad confirmandum hominem, dici possit luculentius? aut quid præter moralem hanc certitudinem, quam omnia hæc quæ enarrauimus, præsertim simul concurrentia adferunt, humana curiositas vltra prudenter desiderare possit: nisi fortè jam cœlum ipsum occupare quis velit, ejusque possessionem adire, vt obtentæ demum gratiæ certus sit. Verùm, rem ne præcipita quisquis es: aderit aliquando dies optatissima. Interim cœlo fruere, quod Conscientia bona & mortalis hæc vita fert.

§. VI.

Respondetur ad auctoritates sacræ Scripturæ, quibus omnis certitudo obtentæ gratiæ, videtur elidi.

55. ILlud tandem restat, vt Sacræ Scripturæ testimonijs quæ num. 9. retulimus, quæque certitudinem omnem gratiæ obtentæ videbantur elidere, faciamus satis.

Exponitur locus Ecclesiastæ.

Et primum quidem ex Ecclesiaste petebatur. Sic habet. *Nescit homo an amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Eccl. 9. v. 9. Verba si attendis, conclamata est res. At sensum si inquiris, non est quod exhorreas: neque enim Spiritus Sancti, aut vox, aut mens, sibi potest esse contraria. Scientiam ergo, & certitudinem quam falli sit impossibile, excludit Ecclesiastes: eam nempè quæ sit Fidei, & cui, vt Tridentinum exactè definit, *non possit subesse falsum*: non verò negat eam dari certitudinem, quam moralem dicimus, & quam ex conjecturis eiusmodi educimus, quæ licèt Metaphysicè expensæ, præsertim seorsim singulæ, possint fallere; tamen conjunctim quasi confœderatæ, nullam admodum humano modo, id est, prudenter expendenti omnia, relinquunt falsi suspicionem. D. Aug. in Psal. 149. Nam vt rectissimè D. Augustinus, *est quidam modus in Conscientiâ gloriandi, vt noueris Fidem tuam esse sinceram; noueris Spem tuam certam; noueris Charitatem tuam esse sine simulatione.* D. Cypr. l. contra Demetr. Quid deinde? Dicet id D. Cyprianus. *Viget apud nos*, inquit, *Spei robur, & firmitas Fidei; & inter ipsas seculi ruinas, erecta mens est, & immobilis virtus, & de Deo suo semper anima secura.* Quâ freta certitudine? eâ nempe quæ non sit Fidei; id est, quæ Deo potestatem absolutam, omnia inuertendi adi-

mat; sed quæ homini fiduciam omnem præstet, nec de Dei bonitate vel per vmbram quidem sinat dubitare.

locus Ecclesiastici exponitur tripliciter.

Secundum ex Ecclesiastico intorquebatur telum. Clarissimis enim verbis dicit, *de propitiato peccato noli esse sine metu.* Miror sanè passim locum hunc adferri, & quasi magni sit ponderis, magnificè semper appendi & expendi, ab iis qui pusillanimitatis suæ & diffidentiæ quærunt patrocinium. Nihil enim minus hic dixit Ecclesiasticus, quàm quod ipsi sibi fingunt. En sensum & quidem triplicem, quorum nullus ad rem ipsorum facit. Animum, si placet, aduertite. 56. Eccli. 5. v. 5.

Prima expositio.

Primò enim, dum Ecclesiasticus monet, ne quis de propitiato peccato sine metu sit: non dicit metuendum esse, ne forte condonatum non sit, vti quidam id intelligunt. Minime verò: aduersaretur enim sibi ipsi hæc propositio, & sese destrueret. Quid enim? si propitiatum sit peccatum seu condonatum, quo pacto prudenter vult me metuere factum non esse quod tamen factum statuit? Profectò non planè sanum sibique cohærens videtur dare consilium quisquis diceret, Condonatum est tibi commissum scelus, sed metue condonatum vt ne sit. Quid enim deinceps metuam, si tota metûs ablata est occasio? Dico igitur, metum quem hoc loco commendat Ecclesiasticus, non ad peccata præterita, sed ad futura cauenda, esse referendum, vt mox ostendam. Interim si etiam ad præterita placet applicare, tum sanè assero, non de culpâ penitus remissâ (propitiatum enim peccatum, seu culpæ gratiam factam esse ipsissima propositionis est hypothesis) sed de pœnâ peccatis debitâ, sermonem hîc esse. Quasi si dicat; propitiato peccato, id est condonatâ jam culpâ, noli esse sine metu pœnæ, pro quâ fortasse à te factum non est satis: præstandæ hæ autem sunt, ne juris sui tenax Deus, eas aut in hâc vitâ, aut in futurâ seuerus exigat. 57.

Secunda expositio.

Secundò, si ad præterita peccata trahatur propositio; alter hic sensus esse potest, & commodus. *De propitiatio peccato noli esse sine metu*, non an propitiatum sit, sed ne vestigia fortè, deliciarumque degustatas reliquias animo impresseris; vnde contracta sit peccandi consuetudo, quæ facilè rursus in luctus tuos prosiliret, itaque peccato condonato, peccati reliquias time, & timendo sapies. 58.

Tertia expositio.

Tertiò tamen, hæc verba omnino ad futura existimo referenda esse 59.

esse scelera; quasi si dicat; Peccator, quamuis misericordem Dominum sis expertus, noli tamen *esse sine metu*; id est ne licentiosiùs viue posthac: aut quidquam de salutis curâ remitte, aut sceleratè agere minus verêre, quasi si tibi facilis scelerum condonatio præsto sit; neque magnopere timenda sit offensa, cuius tam parabilis & prompta est impunitas. Atque genuinum hunc esse sensum Ecclesiastici, præcedens, & sequens deinde orationis contextus, facit manifestum. Ita habet: *Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Atque hîc subnectit, quasi consecutionem; igitur *de propropitiato peccato noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum.* Id est, ne super remissum peccatum, temerè & quasi per ludum, nouum adiicias; rationemque grauissimis verbis subdit, *Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Id est, Deum ne irrîta; tam enim ei facilè est irasci, quàm misereri: misericordia verò irritata, in iram degenerat; & patientia læsa sit tandem furor. Atque hunc esse proprium sententiæ huius sensum, clarissimè indicat textus Græcus, sic vt dubitationi non sit locus. Ita fert. *De propitiatione non sis securus multùm, vt adiicias peccata peccatis.* En, quàm propitiati peccati securitatem excludat Ecclesiasticus: eam nempe quæ ad peccandum liberam facit viam, non verò quæ peccati remissi certam faciat. Itaque quamuis de obtentâ gratiâ certus sis, tamen *noli esse sine metu*, ne fortè per inconstantiam, mentisue peruersitatem rursus relabaris: ne & pro ingrato animo puniaris atrociùs; & ne pro contemptâ Dei misericordiâ, quæ tibi impudentiùs peccandi fuit occasio, tibi aut per mortem subitam, aut per impœnitudinem animi & peruicaciam, subtrahatur tandem gratia à te toties, & tam improbè contempta.

60. Tertia denique auctoritas D. Pauli est quæ obiicitur. Admonet, inquiunt, Apostolus Philippenses *vt cum metu & tremore salutem suam operentur.* Sed quid deinde? aut quid exinde confi- ad Phil. 2. v. 12. cis? an certos de gratiâ non posse esse nos, quasi qui de obtentâ semper debeamus esse incerti? Certè id non vult Apostolus: quinimo contraria innuit omnia. *Cum metu* inquit *& tremore salutem suam operentur*; igitur salutem suam operantes alloquitur. At verò quis salutem suam operatur, nisi qui Gratiæ statum obtinuerit? Manifestum est ergo Apostolum iis scribere; qui gratiæ dignitatem

Exponitur D. Pauli.

dignitatem sunt assecuti, His autem quid commendat, quid suadet? an vt timeant se statum illum non obtinere quô fruuntur? Minimè verò; absona enim esset hæc oratio, & quæ fidelium mentes non erigeret, sed pessumdaret. Et verò pro deridiculo haberetur, quisquis viatori rectam tenenti viam diceret, Recta est via, bona est via, & ad optatum finem ducit; eam tamen ita persequere, vt semper timeas, ne sis in viâ. Ridicula inquam esset hæc propositio, prudens tamen futura, si dixerit, Dum rectam viam tenes, time eâ ne excidas.

Non est metuendum de gratiâ, obtenta an sit, sed ne perdatur.

Hæc profectò mens est Apostoli; non vult eos qui salutem 61.
suam operantur, dubitare an id agant, sed metuere ne ab incepto deficiant: non vult de viâ formidare, an rectam teneant, sed cauere ne ab eâ quam benè instituunt, deflectant, & in auia ferantur præcipites. Itaque *cum metu & tremore salutem operâre*, id est, dum salutem operaris, quod nihil aliud est quàm dicere, dum statum gratiæ obtines, metue. Quid verò metuam? in gratiæ statu non esse me? Nullâ ratione; sed metue ne tantam rem, per incuriam amittas. Sic pretiosissimam gemmam domum deferenti, non inconsulto dicitur, cum metu & tremore, domum abi. An tamen suadetur vt metuat, ne gemmam fortè non deferat quam tamen manu tenet, atque oculis videt? aut debet formidare, ne suppositium quid sit, & fictum gemmæ genus, quod à summo Rege, magnificentiæ ostentandæ caussâ sibi publicè datum accepit? Sanè in Principis contemptum timor hic cederet, & vanus metus. Quidquid ei timendum suadetur, est, ne tam pretiosum monile amittat: itaque agendum cautè, ne domum abiturus, in viâ perdat, quod in patriâ faciet fortunatum. Non secus, de chariſſimorum sibi filiorum salute sollicitus Apostolus, metuere eos vult. Sciebat enimuerò, quàm pretiosa sit Gratia, quam Christo, thesauros suos liberalitatis ostendendæ ergô, elargiente, singuli acceperant. Hinc eos admonet, sibi vt caueant, in viâ adhuc esse; thesauro suo metuant, ne à prædonibus spolientur, eumque omni conamine studeant domum deferre; cum timore & metu, id est solliciti, ne quidquam tam bonæ rei per incuriam amittatur.

Testimonio conscientiæ fretus, viue securus obtentæ gratiæ.

Ex quibus omnibus istud tandem patet, quis habendus sit me- 62.
tus, & quæ certitudo. Conscientia tibi obtentæ gratiæ litteras dum porrigit, easque suo testimonio dum obsignat, eas supplex accipe;

accipe; & cùm sint authenticæ, fidem habe, & viue securus tui. Amicus Dei es; ab amico metuendum est nihil. Istud tantùm metue, ne rursus gratiâ excidas, quæ tanti stetit; non tam tibi, quàm sanguini innocentis Dei. Testimonium Conscientiæ tecum fers; eo fruere lætus & alacer, sed cautus serua: æternitati enim scriptæ sunt securitatis datæ litteræ, nisi tu neuis. Libet tandem exclamare cum D. Augustino. *O Conscientia sancta! in terrâ adhuc es, & in cœlo habitas, Gaude anima, sanctâ Conscientiâ condecorata: gaude cœlesti & æternâ gloriâ*: cuius nempe pignus & arrha, est Gratia quam circumfers, Conscientiæ bonæ sigillo & testimonio obsirmata.

D. Aug. serm. 10. ad frat. de ere.



NONVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ.

Animum contra externa hominum judicia & dicteria armare; & securum reddere, sic vt nihil ab hominibus timeat.

TRACTATVS XVIII.

DE SECVRITATE QVAM IN HVMANO COMMERCIO PRÆSTAT CONSCIENTIA.

Gloria nostra hæc est testimonium Conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conuersati sumus in hoc mundo. 2. *Ad Corinth.* 1. *v.* 12.

A Conscientiâ dependet gaudium quod ex humanâ laude, & tristitia quæ ex vituperio percipitur. Timor incurrendæ infamiæ si scelus prodatur, occultorum scelerum est tormentum. Hinc mali sibi conscius, semper trepidus, atque omnia habet suspecta, timens ne prodatur. Contra verò, bona Conscientia, non timet videri, imò gaudet; & peruersa de se judicia ridet intrepidè.

PROOEMIVM.

SI à solo homine, ejusque tantùm aut angoribus, aut suspicionibus, dependeret mentis tranquillitas; ea sanè, prout jam vidimus, non deesset illi, cui Conscientia securitatem omnem præstitit, dum sese vadem oppositit rem intus agi benè; id est ex suâ sententiâ, quæ quidem

dem est Dei. Verùm cùm & hominum passim nos circumstantium, & pro libitu quæuis vituperantium aut etiam laudantium judicijs simus expositi; vnde etiam fit, vt non modicè perturbemur: videndum est porrò, quâ ratione Conscientîa foras prodeat clientem suum propugnatura, & domesticam pacem contra obtrectatorum clamores non segniter assertura. Ostendam itaque, non aliam æquè securam esse in humano commercio quietem, quàm quæ à Conscientiâ bonâ præstatur: contrà verò, etiam ex humanæ Philosophiæ placitis, non esse vitam magis tetricam & detestandam, quàm quæ cum malè sibi conscîa mente trahitur. Vnde id liquidò videbitur, Conscientiæ munus esse, improbum animum medias inter hominum laudes torquere, eique omnem famæ bonæ, sed injustæ, delectationem inficere & detrahere: probum verò injustis calumnijs impetitum, ab omni infamiæ metu liberare. Ex naturâ petitis argumentis, demonstrabuntur omnia; vt tandem appareat, quanti ab homine facienda sit Conscientia, etiamsi ei ignotum foret, aut quid sit Deus, aut quid sit, vicarias Dei partes à Conscientiâ sustineri.

§. I.

Iudicia sibi aduersa non metuit, qui suâ innocens est Conscientiâ. Hæc enim omnis tristitiæ quæ ex vituperio, & gaudij quod ex humanâ laude percipitur, basis est & fundamentum.

1. COmmune & peruulgatum est adagium, nullius domum quietè frui diutiùs, quàm in vicinis ædibus habitanti, sit collibitum: nam quantumcumque quis pacatè agat inter suos, modestè vitam transigat, honestumque silentium obseruet domi; si tamen vnus aliquis in viciniâ vociferetur, aut clamet, aut alio quouis modo strepitum cieat; perstrepent illicò clamoribus ædes, cæteroquin pacatissimæ, trement vitra, concutientur tabulata, neque quies dabitur homini, etiam modestissimo, non otium placidum, non somnus tranquillus. Hinc fit, admodùm non esse consultum, ædes incolere fabrorum officinis intermixtas, siue ferramenta-

Nemo diutiùs quietè fruitur, quam collibitum sit vicino.

mentariam illi exerceant, siue carpentariam, aut doliariam: nimis enim sonoræ sunt incudes, atque auribus officit malleorum fragor improbus, neque quidquam tranquillum patitur. Sibi sanè cohabitent malleatores inquieti, seseque reciproco strepitu exerceant: non multum sibi afferent incommodi, vbi studium pulsandi est simile, & audiendi patientia est par. At homini pacatè agenti, intolerabilis est tantus fragor; tantoque hominem perstringit vehementiùs, quòd enascatur de alieno.

Vnica lingua sufficit vt turbet omnia.

2. Majorem id sanè locum habet in humano commercio quod spectat mores. Non enim tam homo frugi est quis, & in rebus agendis tam modestus; neque familiam habet adeò compositam, domesticosque ad virtutem excultos tam exactè: quin vnius solummodò intemperans rabulæ os, sufficiat, vt familiam totam perturbet, sic vt tranquilla quantumuis domus, tota abeat in tumultus. Vna immoderatæ linguæ prurigo & loquacitas sufficit, vt honestissimis ædibus faciat conuitium, optimoque homini famam virtutis detrahat, & cum famâ tranquillitatem, quâ, suo contentus, perfruebatur sanè & commodè & hilariter.

Huic malo compescendo nullum est remedii, nisi per cõtemptum.

3. An nulla, inquies, tanto malo parabilis est medicina? Nulla sanè alia, quàm vt eiusmodi hominum genus flocci facias, nec eorum dicteriis tantum honorem tribuas, ijs vt tangaris. Quid enim? an artem quæris quâ maledicorum ora obturentur; & hanc tu forsitan tanti mali medicinam appellas? Hanc profectò si indagas, frustraneo labore absumeris: latrantium certè canum ejulatus antè compescueris. Virtus, nimis ampla conuitiandi est materia; ac propterea eam allatrantium numquam sperandus est finis. Vni dum silentium imposueris, exsurgent illico decem, imò sexcenti, qui te inuidiæ garrulitatisue suæ scopum statuent, in te vndique pharetram deprom ent, ijsque, quæ numquam non ad manum sunt, telis petent. Ne igitur artem quâ non impetaris exquire, sed quâ impetitus vndique, tutus sis & securus.

Conscientia aduersus hæc tela, scutum est impenetrabile.

4. Armandus est, inquam animus: neque ex Vulcani incudibus petenda arma sunt; ea sanè seipsâ tibi præstabit, sibi constans Conscientia. Impenetrabile hæc telis scutum est; hâc munitus, impugnaberis & non metues: impetêris, & tela excipies cum contemptu, quia sine damni suspicione. Impauidos hosce animos, & ad omnem fortunam fortiter excipiendam paratos, non facilè quisquam sufficiet, nisi Conscientiæ sibi fidentis securitas.

Cætera

Cætera omnia, trepidationi & inconstantiæ sunt exposita; illa sola, teste Biante Philosopho, in mundo nescit metuere, timoris expers est. Quod quidem diffusiùs exponit D. Bernardus, quem non tam magnificè ad captandum plausum, quàm experientiâ propriâ edoctum loqui arbitror. *Cùm mundus*, inquit, *omni volubilitate circumrotetur; floret, rideat, pereat, transeat; numquam marcescit bona Conscientia. Subjiciatur corpus in pœnâ, injurijs maceretur, verberibus lanietur, eculeo distendatur, gladio trucidetur, crucis patibulo affigatur; secura est Conscientia.* Ingens Conscientiæ vis, præclara virtus! At quem securitatis suæ habet sponsorem? Neminem sanè nisi se: id est, non alio contra aduersa omnia munita est præsidio, quàm suomet judicio, quô apud se statuit prudenter & sincerè, se à seipsà sceleris non coargui, & ne de mali quidem suspicione reprehendi.

D. Bern. de interiori domo c. 23.

Scutum hoc est, vnicum Conscientiæ se non reprehendentis judicium.

5. At inquies, quid quæso boni mihi conferet, quòd mihimet ipsi placeo, omnibus interea si displiceo? quid ego me criminis frustra absoluo, si passim non accusor modò, sed & condemnor? Quid denique mihi vel commodi, vel consolationis adfert, si mihi cum Conscientiâ benè sit, interim cum omnibus passim sit malè; si vndique exagitor; si telis vndequaque arrodentium impetor; si non bonis tantùm fortunæ hâc de causâ exuor, sed quæ omnibus debet esse charissima, ipsa etiam viri boni fama laceretur? Inter hæc aduersa quæris quid tibi collatura sit recti bonique Conscientia? Istud sanè, vt tempestates illas visurus sis oculo irretorto, & excepturus aduerso apertoque pectore, sic quasi per contemptum: vt immotus animo, interfuturus tantùm sis aduersis, quasi qui ludis gladiatoriis spectator assidet in subsellijs: turbantur in circo omnia, & spectator interim ipsis etiam gladijs vulneribusque delectatur. Omnia, inquam, mouebuntur quæ circa te sunt, te solo immoto & inconcusso. Denique istud, tam verè quàm magnificè, cùm Diuo Augustino exclamabis, dum te hominum obtrectantium clamores circumsistunt, & judicia peruersa impetunt: *Senti de Augustino quidquid lubet, sola me in oculis Dei Conscientia non accusat.* Ejus judicio dum non condemnor, absoluor: neque vllius sententiam magni facio, qui solam Conscientiæ meæ, si bona sit, æstimo; & si mala sit, solam expaueseo.

Conscientia judicio suo freta, contemnit aduersa omnia, nec concutitur impetus.

D. Aug. l. 2. contra Manichæos c. 1.

6. Hæc tibi inexperto forsitan, si præclara magis videntur, quàm vera

Maior gaudium

oritur ex laude Conscientiæ, quàm ex omnium hominum falsâ approbatione.

vera Conscientiæ encomia, en tibi quid conferat Conscientia, quod reipsâ ita esse poteris experiri, & fortassis expertus es jam sæpiùs. Istud sanè præstabit eximium imprimis & ingens, vt majoris apud te, non fidei tantùm, sed & pretii futura sit Conscientiæ tuæ laus aut vituperium, quàm aliorum omnium qui te aut laudant, aut insectantur. Majori inquam, sinceriorique gaudio tibi cor subsiliet, cùm Conscientia rem actam tibi laudi verterit, quàm si in publico theatro tibi communis hominum vox pæana immerenti caneret, & in magnificos iret applausus. Admirandam enimuerò rem, & ex quâ supremam auctoritatem Conscientiæ, judicijs omnibus humanis præsidentem, eaque moderantem, manifestè datur intueri. Quantumcumque quis publicâ apud homines viri boni famâ polleat: justitiæ cultorem egregium, hominem ab alieno abstinentem manus, donis incorruptum, castum, continentem te dicant quotquot te nouerint mortales; tamen nec tu ijs credes, neque solidum aut diu duraturum exinde gaudium animo concipies, si sola Conscientia laudibus obstrepat, dicatque seriò, immeritas tibi laudes dari, & falso te encomio inclarescere.

Laus humana cruciat, si ei Conscientia contradicit.

Quin imò, si necdum perfricuisti frontem, si per impudentiam aliquid tibi boni viri & bonæ rei factum est super, pudebit te prorsus tui, alius quòd dicaris, atque alius quòd sis. Excruciaberis profectò alienis encomijs tamquam tibi minimè debitis, illudque cum Jobo dices verissimè: *Quid tacens consumor*! Quin laudibus hominum acquiesco? hominem frugi, matronam castam, virum virtute eximium censent me; quid ergo me tacens consumo, & arrodo, & exedo? Sanè, inquit D. Gregorius: *Tacens consumitur, qui apud semetipsum dente Conscientiæ mordetur.* An ergo præter bonam famam adhuc quidquam requiritur? Requiritur sanè, & quàm maximè. Quid? istud palmarium, inquit Gregorius, Conscientiæ, famæ subscribentis, testimonium: *ac si apertè dicat.* (Job) *Si vixi vt accusatorem exterius nullum timerem; vtinam sic vixissem, vt intra memetipsum accusatorem Conscientiam non haberem! Tacens enim consumitur, qui intus in se inuenit, vnde vratur.* Sed cur vror inquies? cur excrucior? & si omnibus populi suffragijs probus habeor, quid mihi aut ab hominum vllo, aut à meâ magnopere timendum est Conscientiâ? Nescio sanè quid id sit; istud scio, interuertendam animo, quæ ex humanâ laude percipi

7.

Iob 15. v. 19.

D. Greg. l. 11. moral. c. 2.

cipi solet dulcedinem; nullumque mihi grauius opprobrium ob os posse obiici, quàm si inter communes laudantium acclamationes, Conscientia mihi tacitè insusurret, Falsum est quod de te dicitur; non competit tibi hæc laus; de alieno extolleris; nec laudem hanc mereris.

8. Stupenda profectò res est, & ex quâ, summa, in humanis actionibus dijudicandis, Conscientiæ jurisdictio prorsus elucescit. Millena pro te habeas hominum, virtutum tuam approbantium, & ab omni vitio absoluentium suffragia & sententias; nihil tamen ex iis delectationis hauries, nec iis acquiesces, donec à Conscientiâ, quasi à Senatûs priuati summo Præside, subscriptum sit, *Vidit* Conscientiâ *& approbauit*. Deinde tanta est Prætorio Diuino Præfecti auctoritas, Conscientiæ inquam; vt omnes omnium hominum pro te latas sententias, ipsa sola irritas possit reddere; sic vt inter tot plausus, quos vnica tibi Conscientia, tanquam immeritos abjudicat, pudore suffundendus sis liquidissimo. Neque verò nunc dico, idcirco id contingere, quòd in extremo judicii die, non ex hominum sed ex Conscientiæ testimonio, ferenda sit à Christo decretoria æternitatis faustæ aut infaustæ sententia: non enim nunc de Christianis tantùm loquor sed & de Gentilibus, quibus nostra ignota sunt mysteria; aut iis etiam qui futura nihil pensi habent. Istud enim fateri eos necesse est, quòd si passim, falsò tamen, habeantur viri ad probitatem facti, aut matronæ virgineſue pudicæ audiant; hoc solùm se ex hominum approbatione referre delectationis & commodi, quod scelera sua, libidines & propudia, vnde grauissima, si publicè prostarent, ferrent dehonestamenta & vituperia, non sint in propatulo; gaudent inquam quia latent. Sed quòd ex eiusmodi judiciis, plenum sincerumque gaudium percipiant, iisque penitus acquiescant, numquam id certè aut asserent; aut si asserant, numquam ipsimet credent sibi.

Conscientia sola potest omnia judicia hominum irrita reddere.

Improbi laudati, tantùm gaudent, quia latère se credunt dum laudantur.

9. Denique illud etiam, si mentem aduertas, experieris liquidò; quoties ad aliorum laudes faustasque acclamationes tibi cor turget, atque animus plenè delectatur; hoc exinde fieri, quòd aliena judicia, tuo censeas esse conformia; eamque videas ide tuis rebus circumferri opinionem, quam Conscientia tibi deberi profitetur. Sic, quæ formæ appetens est virgo, venustatem suam commendari gaudet, si se formosam esse judicet: sin autem; sanè

Nemo laudatus gaudet, nisi quia videt aliena judicia, judicio Conscientiæ suæ esse conformia.

nè de ſpecie non laudem tanrummodò ſibi dari, ſed & ſermones de eâ inferri perhorreſcit. Sic ſuo quiſque tantum judicio lætus eſt; & alieno ſe metitur, dum exæquatur ſuo. Adeo vt tandem pateat, quod initio fortaſſe videbatur heteroclitum, veriſſimum eſſe, voluptatis omnis quæ ex humanis laudibus, id eſt, ſeu ex priuatâ famâ, ſeu ex communi gloriâ percipitur, baſim & fundamentum eſſe, proprium Conſcientiæ teſtimonium. Quô qui caret, laudibus obtruſis non facilè acquieſcet: non enim ſolidè quiſquam de judicio gaudebit externo, qui non delectatur de proprio; nec de alieno beatus eſt, qui miſer eſt ſuo.

Cur D. Paulus teſtimonium Conſcientiæ vocet Gloriam, cum tantum ſit judicium priuatum.

Hinc eſt quod tam amplè Conſcientiæ ſuæ teſtimonium D. Paulus deprædicet. *Gloria noſtra*, inquit, *hæc eſt, teſtimonium Conſcientiæ noſtræ: quod in ſimplicitate cordis*, id eſt ſine falſimoniis, *& in ſinceritate Dei, & non in ſapientiâ carnali, ſed in gratiâ Dei conuerſati ſumus in hoc mundo.* Quæ quidem verba non ſic tantummodo nunc intelligo, quaſi ſi aſſerat, ſe de Conſcientiæ, pro ſinceritate ſuâ, latâ ſententiâ gloriari (qui tamen ſenſus eſt planè bonus & Paulinæ ſententiæ accommodus) ſed verborum ſingulorum ſignificationem libet nunc expendere. *Gloria noſtra hæc eſt*, inquit, *teſtimonium Conſcientiæ noſtræ.* ita ſit. Quid demum eſt Gloria? ſanè, niſi de verborum acceptione libeat altercari, Gloria dicitur, publica inter multos ſparſa fama, ſeu *clara cum laude notitia*; vulgata hæc eſt Gloriæ definitio. Hoc verò ſi ita ſit; an ſolum & vnicum, quin & priuatum Conſcientiæ de Pauli actionibus datum teſtimonium, publica fama eſt, aut Pauli gloriâ? Minimè gentium. Verùm hoc mihi velle videtur Apoſtolus: ac ſi dicat: Quid meâ refert, magna de me encomia circumferri? quid Pauli intereſt, ſuas laudes hominum ore decantari paſſim; eaſque non in famam tantùm, ſed & in gloriam quoque percrebreſcere? Sanè fama mea, mea gloria, ſola eſt Conſcientiæ meæ teſtimonium: id eſt, eam externis omnium hominum acclamationibus, infinito præfero interuallo; majoriſque facio, ea ſola quòd teſtetur, *in ſimplicitate cordis, & in ſinceritate Dei in hoc mundo conuerſatum me*, quàm quòd id mihi acclamaret orbis vniuerſus, ac propterea de theatro aſſurgeret & plauſum daret. Quid enim hominum ſententiæ mihi boni conferent, quæ niſi ſummi Præſidis, Conſcientiæ inquam meæ, manu ſubſcriptæ ſint, irritæ ſunt nec authenticæ? quid mihi aut addent

10. 2. ad Cor. 1. v. 12.

dent bonæ rei aut dement bonæ spei? nihil quidquam. Conscientiam itaque meam attendo. Laudat illa me, sincerè in omnibus à me actum quòd sit, neminem dolo circumueniisse; neque carnis sapientiam sed Dei leges sectatum me; hæc mea fama est, hæc mea gloria. Neque hanc aliunde domum arcessere necesse est ei, cui ea domi nascitur.

Item cur vocet Gloriam suã.

11. Rursus non caret energiâ, quod Gloriam hanc, *nostram* Paulus appellet, id est suam. Quasi si dicat; externa illa quæ nos circumstrepit gloria, sanè aliena est; quæ vti datur, ita & eripitur pro hominum in diuersa abeuntium arbitrio aut libidine. At testimonium Conscientiæ, gloria sincera est, & quidem nostra, quia mihi inhæret; nec per hominum tantummodo ora circumuolitat, sed menti meæ prorsus insidet: nostra denique, quia obtentam ita possideo, vt nemo quisquam eam mihi possit extorquere, nisi egomet mihi, idque agendo perperàm. Patet itaque quod Conscientia non tantùm menti sufficiat, vt eam voluptate compleat; sed & aduersus debacchantium, & quieti suæ obstrepentium obarmet ora. Tanta enim eius est authoritas, vt non obtrectantium tantummodò, sed & laudantium voces interpellet, iisque fidem omnem prorsus adimat, suo calculo non confirmatam.

§. II.

Datur vlterior ratio cur animus, reclamante Conscientiâ, humanis laudibus non acquiescat, nec iis solidè delectetur. Et ratio est, timor infamiæ, si prodatur tectum scelus.

12. ET vt quæ dicta sunt, accuratiùs demonstrentur; non abs re erit perpendere, vnde tandem id eueniat, vt quamuis hominum, facta approbantium gratæ quantumuis voces, animum prurigine quâdam demulceant, numquam tamen componant aut oblectent penitus, si externis judiciis Conscientia intercedat. Quid quòd, vt dixi, pudore magis suffundatur, quò major laus est, si indebita? Indaganda est vicissitudinis tantæ, quæ

demum in naturâ sit, origo. Unde inquam ad falsas laudes tanta oboritur menti agitatio, & tam durus est animo Conscientiæ cum externis judiciis conflictus? Nam quòd stimulos perurgentis Conscientiæ, re male actâ, mens persentiscat, quæ rationes in extremo judicio dandas, & à Conscientiâ acerbissimè accusandam sese meminit; id quidem non miror ego: actorem suum metuit mens mali sibi conscia: & claras publicè accusaturi voces meritò expauescit, cuius tacitos morsus nunc experitur tam acerbos. Verùm homo aut Ethnicus, aut quem futurorum cura non tangit, quid est quòd tamen sceleris Conscientiâ tantopere perurgeatur, & amarissimè perturbetur? Hîc ego te jam conuenio, quisquis es impie, & contemptor Dei. Videbis tandem, quantùm deceat Conscientiam reuereri, & ex eius præscripto viuere; quamuis nec humana curaret Deus, nec vlla esset futuri expectatio.

Etiam ethnicus, & nefarius stimulis conscientiæ tangitur.

Pessimus quisque scelera celat, saltem aliqua.

Quod quidem vt ritè exponatur, non incommodùm occurrit Seneca. Stupendum est, inquit, Lucili, sceleratissimi quoque & perditissimi cuiusuis hominis, in occultandis flagitiis familiare studium. Nam vtcumque impudentes sint; & apud sui similes ex perditâ vitâ commissisque sceleribus gloriam captantes inhonestam, ea impudico ore deblaterent; tamen alienis auribus non committunt omnia; quædam occultiora pudor supprimit, & reticentur. Unde manifestum est, aliqua semper in flagitiosissimo quoque, Conscientiæ vellicantis animum, vestigia supereſſe. En Senecam. *Alioquin vt scias*, inquit, *subesse animis, etiam in pessima abductis, boni sensum; nec ignorari turpia sed negligi; omnes peccata dissimulant.* id est, tegunt, hominumque oculis conantur subducere. Igitur mali Conscientiâ tanguntur improbi, hoc est, malum judicant esse, quod egerint. Si enim rectum & bonum crederent quod patrarint, jam certè dissimulatione non esset opus: neque enim tegenda sunt tam ingenti curâ, quæ bonus nemo, si bona sint, non laudauerit. Interim quem lapidem non mouet adulter, vt impudicos celet concubitus? & quid non agit vt lateat, injustus alienæ possessor rei? malè partis incubat, & ne deprehendatur, pertimescit omnia, imo & se. Eleganter Chrysostomus: *omnia pauet*, inquit, *metuitque qui talis est vmbras, parietes, ipsos lapides tanquam vocem emittentes. Omnia obseruat, omnes habet suspectos; famulos, vicinos, hostes, amicos, eos qui norunt, eos*

13.

Sen. ep. 97.

Sceleris sibi conscius omnia habet suspecta, etiam iuta timet.

D. Chrysost.

eos qui nihil norunt. Quid homini demum deest, aut quid sese suis suspicionibus miserum interimit? quid timidè circumspectat omnia; & omnia, etiam tuta timet, cùm tamen in occulto sint omnia?

14. Sic est; sed omnes qui latet, se non latet. Conscientiam habet domi, sceleribus oblatrantem: hinc timet omnia, qui Conscientiam debet metuere. Quinimo vt præclarè Sapiens, illa ipsa latendi sollicitudo, sceleris patrati est confessio. *Cùm enim timida sit nequitia*, inquit Sapiens, *dat testimonium condemnationis suæ*, id est, timore ipso se & prodit, & condemnat sceSap. 17. v. 11. Sap. 17. v. 10. lus; rationem subdit Sapiens, *semper enim præsumit sæua, perturbata Conscientia.* Verùm præsumat sanè sæua & atrocia, per me licet, istud tamen semper vrgeo, & quæro quid timeat? Deum certè non metuit, quem aut ignorat, aut habet despicatui; æternis non angitur, de quibus nulla est cura. Quid ergo retormidat? *Testimonium condemnationis suæ*, id est, propriæ, inquit Sapiens. Ast quid ex hoc testimonio feret incommodi? Quid? istud sanè grauissimum, quòd se videat, si fortè casu aliquo detegatur crimen, ab suâmet ipsâ Conscientiâ deserendum, neque vllum infamiæ subeundæ ab eâ patrocinium expectandum esse: condemnationi quinimò & infamiæ publicæ, tanquam sceleri debitæ, subscripturam. Obiicit ergo scelerato homini ob os, crimina quantumcumque obliterata silentio, posse euulgari; dedecus exindè oborturum pudoremque repræsentat: & tandem clarè enuntiat, dignum esse te infamiâ, & qui passim, pro enormitate criminis, apud probos omnes habearis contemptui. Vnicum hoc mentis tuæ iudicium, pacem omnem interpellat, efficitque vt modò etiam infamiæ notam perhorrescas, quam tuis facinoribus tu ipse iudicas meritissimo iure deberi. Atque hoc præterea habet immerita laus eximij, vt quò major tibi est apud homines virtutis fama, eò grauior timeatur futura infamia, si, quæ famæ nunc non officiunt occulta crimina, casu aliquo detegantur.

Conscientia obiicit sibi infamiam apud homines sustinendam; si scelus prodeat.

15. Ita est, inquit Seneca: *Ideò non prodest latere peccanti; quia latendi etsi felicitatem habet, fiduciam non habet. Ita est: tuta scelera esse possunt, secura non possunt.* Hinc est quod semper timet, quia, Sen. suprà. *semper præsumit sæua perturbata Conscientia.* Præsumit enim & patitur modò pudorem, quò perfundendus esset vndique, si aliquando

Summum tormentum Conscientiæ, est timor futuræ infamiæ.

do prodiret scelus. Et verò scire vis, quod tandem summum sit, quod à Conscientiâ infertur naturæ tormentum? Si rem non jam ex Fidei principijs, sed ex naturæ solius, Philosophorumque placitis expendimus; certè non alius est exquisitior scelesti hominis, sed famâ boni, cruciatus, quàm infamiæ incurrendæ timor. Calculum adjicit Seneca. *Prima & maxima*, inquit, *peccantium pœna est, peccasse. His consentiamus* (scilicet Epicuro) *mala facinora Conscientiâ flagellari.* Ita est, at quomodo? modum exponit. *Plurimum enim illi tormentorum esse, eò quòd perpetua illum sollicitudo vrgeat ac verberet, quòd sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Hoc enim ipsum argumentum Epicuri est, naturâ nos à scelere abhorrere, quòd nulli non, etiam inter tuta, timor est.* Senec. Ep. 97.

Malè fiditur latebrarum sponsoribus.

At quinam securitatis sunt sponsores, quibus tamen credi non 16.
posse asserit Philosophus? Certè, tenebræ sunt, secretus locus, temporis elapsi diuturnitas, hominum obliuio, fama optima: denique neminem commissum crimen aut scire, aut etiam scire posse. Sanè sponsoribus istis admodum facilè, sed & admodum temerariè fides datur. Vidimus enim abstrusissima quæque, & quæ memoriam omnem effugisse videbantur, emersisse tandem scelera; eaque leuissimis etiam indiciis venisse in propatulum. Sic est criminibus tegendis, nusquam & numquam tuta est fides. Deinde quantumcumque tibi persuadeas latêre posse te, tamen timore incutiendo sufficit, quòd tacitus tibi fateâre, ingentem prorsus & intolerandum dolorem incutiendum animo, neque hominum ora laturum te, si quæ tanto studio tecta est, erubescendi materia in vulgus erumperet. Hoc saltem negare non potes. Times itaque; quantumcumque studeas, vt ne timeas. Atque hîc solus timor sufficit, vt viuas inquietus tui, suspiceriscque ne propudia quibus implicaris, aliquando tandem, *decantet ab ilice cornix*, aut ex rupe coruus loquax.

Conscientiæ exprobrationes secretæ, faciunt vt etiam tuta timeantur.

Duo in hanc rem, eaque admodum eximia effatur Seneca. 17.
Multos, inquit, *fortuna liberat pœnâ* (externo nimirum scelerum supplicio) *metu neminem. Quarè? quia infixa nobis eius rei auersatio est, quam natura damnauit. Ideò numquam fides latendi fit, etiam latentibus; quia arguit illos Conscientia, & ipsos sibi ostendit.* Sen. ibid.
Rectè. At quid quæso affert quô coarguat? Aliud prorsus nihil, quàm latentis criminis exprobrationem acerbissimam. Istud nimirum cum sarcasmo exquirit; an non te pudeat alium dici te,

Exprobrationes illæ

atque

atque alium esse ? Per hominum ora volitas quasi vir probus, cùm sis deterrimus ; aut matronam honestam censent te atque oppidò pudicam, cùm libidinis sis infame prostibulum : decipitur interim fama publica; & hoc tu nosti; & hoc fers ? An non digna est tam propudiosa improbitas, tandem erumpere, vt ne diutiùs credulitate suâ deceptus orbis honorem deferat immerenti? Hæc atque his etiam grauiora sunt interna tormina, quibus animum Conscientia exercet identidem. His autem dum torquetur, omnia quæ foris allabuntur, habet suspecta, etiam vmbras timet : minimumque prætergredientis aspectum, si paullò sit ferocior, exprobrationem illico latentis criminis esse suspicatur. Sic nempè, qui hostem aut proditorem suum intra arcis mœnia latêre Præfectus nouerit, omnia quæ aguntur foris, inimicorum esse retur stratagemata: minimumque strepitum, instantis sibi jamjam hostis fragorem judicat : externa metuit, quia proditorem habet domi. Et quidem Conscientiæ negotium longè est acerbius : non enim occultas, sed apertas planè inimicitias gerit, & verò etiam præ se fert. Clarè enim edicit, proditionem moliri se: primus vt quis ingruerit qui rem aperiat, aut crimen qui improperet, apèrturam sese illico portam infamiæ, accusantis partibus adhæsuram se; claraque criminis patrati notas, vt tergiuersationi non sit locus, tuæ fronti, quantumcumque sis effrons, inscripturam ; vt te tandem tui dispudeat, qui nunc vultu mentiris quod non es. Quid hoc hoste infestius? quid hoc tormento crudelius? Et quod in hâc re est pessimum, neque hostem hunc domo datur expellere, neque exprobrantis obturare os, neque quæ objectat, in manu est aut negare, aut refellere.

describuntur.

Nihil tutũ est, vbi hostis domi est.

Hostem se scelerata mentis clarè profitetur Conscientia.

18. Egregium enimuerò naturæ inuentum ! vt ipsa se coërceat, ipsa sibi frænum facit, & quidem ex seipsâ. Atque eccum Senecæ effatum alterum. *Malè de nobis actum erat, quòd multa scelera legem & judicem effugiant & scripta supplicia ; nisi illa naturalia & grauia de præsentibus soluerent ; & in locum patientiæ*, (id est suppliciorum) *timor cederet.* Passim vulgi ore circumfertur tritum istud, *dat veniam coruis, vexat censura columbas* : infortunatis furibus, scrutorumque miseris direptoribus, neque supplicia neque cruces sufficere : interim magnis illis, honorumque titulo insignitis latronibus, qui Reipublicæ rimantur viscera ; illis inquiunt fora & compita, atque atria ampliſſima luxuriantibus,

Sen ibid.

Timor quẽ sibi facit Conscientia natura frænum est & supplicium,

supplicium hoc nemo euadit quãtumcumq; fortunatus, si sit scelestus:

nimis esse angusta: neque vlla sceleratis constituta esse supplicia, nisi iis tantùm qui moderatè & infeliciter sunt nefarij. Equidem audio isthæc dicta vulgo dici; non tamen, vt vulgus assolet, credo omnia. Etenim, magno sane Diuinoque cautum est consilio, ne vlli desint supplicia, à timore incurrendæ infamiæ nemnem exemptum esse. Quantumcumque ergo, sceleratorum pœnis à Republicâ constitutis, quosdam feliciter vt videntur sceleratos; aut fors, aut fortuna, aut majestas imperij, aut latenti felicitas eripuerit; infamiæ tamen metui non subtraxit. Istud sceleratos sequitur tormentum prorsus ineuitabile, quòd Seneca paullò ante recensuerat, scilicet: *Timere semper & expauescere, & securitati diffidere.* Hoc ne Regibus quidem, super omnia, vt sibi videbantur euectis, datum est effugere. Aut si datum est iis nil timere, vti contigit nonnumquam tyrannis, quibus efferata scelerum libido humanitatem omnem detraxerat; certè temeraria scelerum fiducia, supplicium ijs summum fuit, & turpissimæ demum ruinæ accelerandæ initium. Plenæ sunt de his historiæ; nullum in orbe regnum est, quod hæc ignorat; quia nullum est omnino, quod exempla hæc non vidit, & quidem plurima.

ne Regibus quidem.

Dauid peccator latebras quærit.

Juuerit tamen Dauidis, potentissimi quamuis regis, sed scelerum sibi tum conscii, ingentes metus cernere. Adulterio contaminatus thorus, & innocuo Vriæ sanguine cruentæ manus, oberrant oculos. Vltorem tamen non est quòd timeat; nam regij throni sublimitas, humanæ vindictæ subtraxerat homicidam. Et tamen latebras quærit fugitiuus, nec in imperia vocem explicat, dum vultus hominum exhorrescit. Audite meticulosi peccatoris trepida suspiria. *A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ:* en vt metus vocem intercludat? Fugitiuum videre vis? *Similis,* inquit, *factus sum pellicano solitudinis.* Rursus. *Factum sum sicut nycticorax in domicilio.* Iterum. *Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Deus bone! angulos quærit vt lateat? Quid solitudinem suspirat? quid noctuæ ad instar, tenebris se immergit & lucem fugit? quid denique in aulâ propriâ expauescit? En, is qui derecto vultu, & fronte explicatâ nullius sibi sceleris conscius dum esset, *Perambulabat in innocentiâ cordis sui, in medio domus suæ,* is inquam, nunc desertis atrijs, tabulata conscendit, & in tecti commissuris latibulo quærit locum. Quid ergo qui Rex est metuit? Rationem subdit, & totum Conscientiæ explicat tormentum.

19.

Psal. 101. v. 6. 7. 8. 9.

Psal. 100. v. 2.

mentum. *Totâ die*, inquit, *exprobrabant mihi inimici mei; & qui laudabant me* (scilicet olim) *aduersum me jurabant.* Ita quidem Dauid. Verùm quis id factum fuisse mihi facilè persuaserit? Quis inquam, & quidem totâ die, Principi adulterium exprobrare audeat? quis, non dico ore regem coarguere, sed vel oculis notare non exhorreat? Vana sunt hæc, & inania timoris deludibria & figmenta. Nemo Dauidi obloquitur, nemo obstrepit; & tamen omnes timet; amicorum etiam oculis & placido aspectu perturbatur is, quem nec Goliathi feroces vultus, nec Saülis iræ perterruerant: motu amici capitis, dejicitur pectus regium, & tantis hactenùs impauidum malis. Exprobrant enimuerò adulteros concubitus, quotquot Dauidem intuentur; quia meritò exprobrari posse, id ipsi imprimis insultabunda objicit Conscientia; eaque jam patitur, opprobrij quasi reipsâ impacti tormenta, dum scelestus est Dauid, quæ sibi ex merito toleranda judicat.

amicorum aspectus, criminis exprobrationem suspicatur.

20. Sic nemo, ne Rex quidem, Conscientiæ suæ tormento subducitur: & quamuis scelus lateat, id tamen semper obuersatur animo, & identidem semper recurrit, fieri posse vt res in apertum prodeat. Hæc cura vocem occupat, hæc fauces perstringit, & laqueo omni pejùs, metuentis animam strangulat atque illidit. Quid illo crudelius est patibulo, in quo citra mortem dum quis pendet, semper moritur & numquam emoritur? Atqui hoc ipsum est supplicium, quod post omnia, quæ fusè enumerat, tamquam crudelissimum peccatori minatur Deus. Parum sibi dixisse videbatur, nisi enumeratis cladibus, quas magno numero immissurum se rebelli populo asserit, istud coronidis loco adderet: *Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, animam consumptam mœrore. Et erit vita tua pendens ante te.* Duplex enimuerò supplicium; vnum quod pendeas, alterum quod ante te; vt scilicet scias ipse quæ pateris, neque supplicij benè meriti infamia, vllius, ne tuis quidem oculis subtrahatur.

Timor infamiæ, patibulum est peccatoris, & laqueus quo strangulatur.

Deuter. 28 v. 65. 66.

21. Aut si Dei minas alio libeat modo exponere, *Et erit vita tua pendens ante te*, id sic intellige, quasi si dicat: Peccator, etiamsi homines passim lateas, tamen fama tua, quæ hominis honesti vita est, *erit pendens ante te*: etenim videbis à filo tantùm pendêre, quam inter homines boni viri existimationem obtines. Pendet à conuitiantis ore, pendet à suspicione etiam minimâ, pendet

E filo pendet scelerati fama.

det ab amici irâ ſubitâ, pendet denique ab incerto euentu, nec tamen raro & inuſitato, tota vitæ tuæ gloria. Pendula eſt itaque vita tua: & quæ ſic pendet vita, trahitur profecto miſerè, non ducitur. Quid verò dum ſic angeris, humanæ quæ te circumſtrepunt, & non tam tibi quàm fortunæ tuæ adulantium voces juuerint? aut quid delectationis poterit aliena laus conferre, ſi iſtud ſemper pendeat ante te, Ecquid dicent homines, ſi quis ſim reſciant?

Futilis eſt laus humana nec delectat, cum ei Conſcientia opponitur.

Hæc mecum dum meditatiùs expendo, tum verò me interrogo, an pro captandâ hominum gloriâ, aut etiam curando corpore per enormem licentiam, aut denique an vmquam operæ pretium ſit, Conſcientiâ reclamante, vitiis indulgere; cùm nullam mihi quietem ab eâ dandam non ignorem; medioſque inter triumphos, & populi geſtientis applauſus, omnem mihi ſciam bonæ famæ & gloriæ comparatæ dulcedinem ſubtrahendam, miſcendamque felle amariſſimo? Ah miſeri! quàm parum id perpendimus? & quæ perpendimus, quàm cautè diſſimulamus? Alterum hoc naturæ peruerſæ malum eſt: miſeri ſumus & infelices; & tamen miſeri videri nolumus. Ridet ſceleratus ille, ille ſibi ſui conſcius; & riſu, animi vlcus tegit: tegitur vlcus, ſed non ſanatur: exedit quin imò vires animæ, quæ, dum foris rident ora, intus mœrore conficitur. Sanè non rarò perſonata eiuſmodi felicitas, morte ipsâ longè eſt grauior. Certè vt truculentiùs puniretur Cain, pro morte vitam accepit, vti ex D. Ambroſio nuper vidimus, ne ſupplicium Timoris euaderet, & *ne mors auſferret ærumnam.* 22. Tract. 10. n. 22.

§. III.

Conſcientiæ bonæ teſtimonio armatus, nullius hominis judicium aut magni facit, aut etiam declinat. Contemnit autem peruerſa de ſe judicia.

Conſcientia bona ſecuritas.

TRiſtiora nunc euaſimus: caliginem inquam & nebulas, quas aduerſantis humanis laudibus Conſcientiæ tormentum, menti obducit. Juuat tamen perturbationibus his interfuiſſe tantiſper; vt è nigris hiſce nubibus, Conſcientiæ boni ſibi conſciæ amœnitas, 23.

mænitas, tantò clariùs eluceſcat. Itaque ſi rectè jam percipitis, quanta ſit tempeſtas quæ ex Conſcientiæ teſtimonio, & metu futuræ infamiæ, falſas inter laudes menti oboritur; videte nunc ex aduerſo, quanta ſit animi, inter hominum opprobria & calumnias conſtituti tranquillitas, qui Conſcientiæ ſolius laudè frętus, ipſe ſibi innocentiæ ſuæ ſententiam pronuntiat.

Primò, inter quoſuis homines agit confidenter.

24. *Primò* enim, prodire audet in publicum, neque cuiuſquam vultus exhorreſcit, qui ſuo non metuit ne pudore ſuffundatur. Ubique, tum in foro, tum in compitis, tum in priuatis ædibus frontem explicat, honeſti viri titulo gloriatur; & non abs re, & absque metu. Fas ei per omne limen: litteras enim patentes innocentiæ ſuæ teſtes, in fronte gerit exporrectas. Neque ſi opus eſt, aut res ſic ferat, laudes ſuas celat, quas neminem ſcit poſſe ire inficias. Alienis etiam laudibus tutus fruitur, iiſque ſolidè delectatur; vtpote Conſcientiæ ſuæ conformibus, eiuſque ſigillo confirmatis. Scelera publica impunè coarguit; eaque ſi priuata ſubditorum ſint, liberè corrigit & caſtigat, vt qui iis meminit ſeſe minimè implicari. At verò quàm timidè, & quàm perculsâ mente id agunt, qui ſecreti ſceleris Conſcientiâ perſtringuntur? Profectò innocentem ſe cùm Dauid noſſet, & *Perambularet in innocentiâ cordis ſui in medio domus ſuæ*, tum ſanè vti fatetur ipſe, perſequebatur in ſuis flagitia, ſecuruſque ſui audebat publicè proclamare: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam. Qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.* Ecce, innocentis Dauidis oculos metuit procax os, nec eo coram, in libidinem ſolitam audet erumpere. At poſtquàm in Berſabeæ formâ, oculos ſuos Dauid infecit, & perdidit; tum ſanè oculos alienos ipſe metuit: & exprobrari tacitè ſibi ſcelus autumat, tantùm cùm videtur. Quid illi ad corrigenda in aliis vitia erit animi, qui ſemper torquetur ſuis? Recti bonique ſibi conſcius, ambagibus non indiget; laudat & laudatur, corripit & caſtigat, ſine vllo metu; & qualem ſeſe nouit intus, talem ſeſe defœcato animo, & libero præfert foris.

Timide alium corripit qui ſibi ſceleris eſt conſcius

Pſal. 100. v. 2. 3.

ibid. v. 7.

hic n. 19.

Secundò, non Conſcientiæ ſuæ teſtimonio tantùm acquieſcit, ſibique applaudit domi; ſed, quod pulcherrimum eſt fiduciæ genus, omnes quotquot ſunt homines admittit, & actionum ſuarum patitur eſſe conſcios. Omnium inquam, præter eas quas naturalis pudor tegit, hominumque conſpectibus docet eſſe ſubtra-

Secundò bona Conſcientia patitur actiones ſuas videri.

hendas. Neque verò judicari ab omnibus metuit, qui à nemine se dolet videri. Hoc verò est probum esse. & probitate suâ verè fortunatum. *Tunc felicem te esse judica*, inquit præclarè Seneca, *cùm poteris in publico viuere; dùm te parietes tui tegent, non abscondent: quos plerumque circumdatos nobis judicamus, non vt tutiùs viuamus, sed vt peccemus occultiùs.* Operæ pretium fuerit hominem Ethnicum audire de hâc re philosophantem eximiè. Ita pergit. *Rem dicam ex quâ mores æstimes nostros. Vix quemquam inuenies, qui possit aperto ostio viuere. Ianitores Conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic viuimus, vt deprehendi sit, subitò aspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum aureasque vitare? Bona Conscientia turbam aduocat; mala, etiam in solitudine, anxia atque sollicita est. Si honesta sunt quæ facis, omnes sciant: si turpia; quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum si contemnis hunc testem!* Addere debuerat, O te felicem, omnibus te accusantibus, hoc solo teste si absolueris! Sen. ep. 43.

Ingens est istud Liuij Drusi encomium, quodque Vellejus Paterculus, dum viri probitatem describit, minimè omittendum judicat virtutis argumentum. *Cùm ædificaret domum* inquit, *promitteretque ei architectus, ita se eam ædificaturum, vt libera à conspectu, immunis ab omnibus hominibus esset, neque quisquam in eam despicere posset: tu vero, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, vt quidquid agam ab omnibus perspici possit.* Sibi confidentis animi magnificam profecto vocem! Quam tamen non sic intelligendam judico, quasi si arcana omnia tam animæ, quàm rei familiaris, aut etiam publicæ negotia in aperto agenda sint; aut jam acta, publicè sint propalanda: tanta enim sinceritas, in graue possit cedere detrimentum; & quidem præter fas & æquum non rarò secreta panderentur. Verùm prudentissimorum virorum hæc est, ni fallor, mens; hominem Conscientiæ suæ testimonio, actionisque fretum probitate, ita esse animo constitutum, si casu aliquo per fas aut nefas, id quod secretò est commissum, euulgaretur in publicum, minimè tamen perturbandus vt sit: cùm omnes, qui rem intellexerint, judicaturi sint liquidò, non tantùm actum bene & ex æquo, sed justum quoque fuisse quòd ageretur clanculùm. Multa certè agenda sunt clandestinè, multa paucis committenda, multa vni, multa nulli. Non tamen rectè id agitur, quod, si factum euulgetur, clam iis quorum 46. Velleius Paterc. l. 2. Hist.

Quomodo secretas quasdam actiones faciat is, qui sibi boni est conscius.

Quanam clandestinè agenda sint.

quorum non intereat factum fuisse meritò dispudeat. Siue vt aliis verbis mentem, & fortasse clariùs exponam; non bene celatur vlla actio, quam hominum oculis subducendam non statuit ratio & Conscientia. Hoc verò si judicat, tum sanè clandestina non est improbè, quæ si casu aliquo fuerit in aperto, judicanda est ab omnibus clandestinam esse debuisse, nec nisi injustè potuisse propalari. Videri itaque vult Conscienriæ suæ innixus animus; & quæ videri non vult, videri tamen cùm sic casus feret, minimè timet.

Boni sibi conscius non patitur tantùm, sed gaudet se suaque videri.

27. Quid, quòd non tantùm oculos hominum non veretur, sed quòd & testes & censores vltrò aduocat, gaudetque esse qui res suas penitiùs examinent, & perscrutentur? Quid enim? sanè non censores sese judicat in domum admittere, sed innocentiæ suæ futuros testes. Egregiè fidentis animi inter emissitios oculos versantis securitatem, in Philosopho diuite deprædicat more suo Seneca. Diues vt sit, & omnium linguis quamuis impetatur quisquis diuitiis affluit vir sapiens & probus, tamen Conscientiæ suæ securus inquit, *Patrimonio per honesta quæsito, nec gloriabitur, nec erubescet. Habebit tamen etiam quòd glorietur, si apertâ domo, & admissâ in res suas ciuitate poterit dicere: Quod quisque suum agnouerit, tollat. O magnum virum, optimè diuitem, si opus ad hanc vocem consonet; si post hanc vocem, tantumdem habuerit. Ita dico, si tutus & securus scrutationem populo præbuerit; si nihil quisquam apud eum inuenerit quò manus injecerit, audacter & propalam dives est.* Addo ego, & verè diues est, qui diues est suo.

Sen. l. de vitâ beatâ c. 23.

28. Rectè dicit Seneca, habiturum eum etiam quô glorietur, si ad examen publicum aduocetur; nam quot admiserit scrutatores, tot è domo suâ emittet testes innocentiæ, & gloriæ suæ præcones. Deinceps enim homo modestus, recti appetens, & abstinens alieni, publico censorum audiet testimonio, qui antè, suo tantùm fruebatur. O quanta est illa viri boni delectatio, ita vixisse, vt à nemine aut falsi, aut malæ fidei, etiam discussis omnibus, jure possit reprehendi. Sanè hæc D. Pauli est gloria, testimonium nempe Conscientiæ, *quòd in sinceritate Dei & in simplicitate cordis, & non in sapientiâ carnali conuersatus sit in hoc mundo.* Candida res est sincerus animus; & vt gaudeat, sibi sufficit. Diues sum; meis fruor: neminem circumueni, decepi neminem

Quanta hæc hominis probi felicitas!

2. ad. Cor. 1. v. 12.

neminem: fidem si dedi, fidem præstiti: aliena, dum debui, curaui vt mea; neque meo quidquam accessit ex alieno: munere meo defunctus sum, fide prorsus optimâ. Fortunatum te quisquis hæc ex vero dicis! Partis fruere; tuis felix. Delicias faciet frustum panis, quem Conscientia tuum asserit. Verùm istud planè non intelligo, quid delectationis tandem conferant vina etiam meracissima, quæ Conscientia tibi testatur, non tam ex vuis expressa, quàm ex viduarum & innocentium venis per falsimonia, periuria, & fraudem extorta, in tuas mensas defluxisse. An scriniorum scrutationem populo securus præbeat, qui talem rerum suarum Conscientiam habet domi? Haud equidem reor. Et tamen omnia iudicio committet publico, qui vir est frugi. At quâ fiduciâ? nullâ, nisi quam sibi præstat conscia recti mens. Idcirco. *Beata planè*, inquit Ambrosius, *vitæ honestas, quæ non alienis æstimatur iudiciis, sed domesticis percipitur sensibus, tamquam sui judex.* D. Ambr. l. 2. offic. c. 1.

Tertiò benè sibi cõscius contemnit sese cõdemnantium dicteria,

Tertiò denique, cùm non tam benè agatur cum humano genere, vt optima quæque cunctis placeant; neque desint tam peruersi, quibus nihil tam est volupè quàm virtutem arrodere; contra malesana hæc judicia, imperterritam sese præbet recti Conscientia: ijsque se præcingit armis, quibus obtrectantium morsus, obloquia criminantium, inuidentium contumelias, contemnentium se dicteria, & facilè eludat, & non sine animi voluptate deridеat. Arma hæc, si quæ sint, quæris, jam dixi non alia esse, nisi simplicem Conscientiæ sententiam, statuentis id te esse, quod ipsa suo declarat & obsignat testimonio: cætera habenda pro nullis quæ huic contraria circumferuntur judicia. Neque verò si communes vulgi laudes nihil quidquam tibi conferunt bonæ rei, dum mali te Conscientia coarguit; quidquam etiam tibi dempserint obtrectantium importunæ voces, si Conscientia pro te stat. Bonum te Conscientia pronuntiat, tibique calculum album adjicit? bonus profectò es, etiamsi præ inuidiâ mundus pereat, & totus quinimò inuertatur orcus. Quid enim? An alium te dicta facient aliena, ab eo qui reipsâ es? aut alius es, quàm quem te esse testatur Conscientia? Quid igitur agendum est, maledicorum linguis vndique expositо, sibilisque impetito? Id quod insanorum ergastula prætergredienti vsuenit. Rident hominem mentis compotem malè fermentata capita; sibilis excipiunt, eique pudenda etiam

29.

& deridet vt insana.

etiam crimina ob os objiciunt: nec tamen his mouetur hoſpes; ridet quinimò feſtiua de ſe judicia, nec quidquam cuiquam iraſcitur: inſanos enim cogitat de ſuo loqui. At quid ſi perturbetur? quid ſi in iram frontem contrahat, vt ſtultis illis obturet os? Tum certè ego, ex inſanorum conſortio, cerebri intemperiem contraxiſſe eum dixero, & ſimili dignum ergaſtulo. Quid enim cujuſquam intereſt, quid inſanus quis garriat, cujus ſtultum eſſe judicium conſtat tibi? Inter falſum verò & inſanum, quid quæſo eſt interualli, ſi neutrum veritati eſt conforme? quinimò, hoc ipſo inſanum eſt. Idcirco inquit, præclarè Ambroſius: *Benè ſibi conſcius falſis non debet moueri; nec æſtimare plus ponderis in alieno eſſe conuitio, quàm in ſuo teſtimonio.* Rectè. Nemo enim de rebus melius judicat, quàm qui gerendis interfuit, & quidem ſolus.

D. Amb. l. 1. offic. c. 5.

30. An ergo nulla omnino, penſanda ſunt aut æſtimanda hominum judicia? Sanè ad hæc reſpondimus Tractatu 9. §. 2. fusè ſatis. Breuibus nunc iterum aſſero, in rebus agendis quæ commercium humanum ſpectant, non eſſe negligenda hominum judicia, mores ciuitatis, conſuetudines Reipublicæ: non enim prudentis eſt hominis heteroclita pro ſuo genio ſectari, aut contra torrentem ſapere, & ſuo judicio actiones publicas paſſim vſitatas velle dimetiri & corrigere. Cedendum in his eſt vulgi opinionibus, quæ nihil præferunt inhoneſti. Sic veſte patriâ vtitur ſapiens, ſalutationes adhibet vſitatas, ſermone vulgari loquitur, neque quidquam aut in conuiuijs, aut in colloquijs amicis profert, niſi quod communem morem ſapiat. In agendis itaque rebus, judicia humana, adeò contemnenda non ſunt, vt ſine impudentiæ notâ, ab ijs, ſapientis hominis officia diſſentire non poſſint. At verò de rebus actis, bonæne an fuerint, an malæ; bonâ inquam, aut malâ fide præſtitæ; ac proinde laude dignus an ſis an vituperio; id verò nullius eſt judicare, niſi ſolius Conſcientiæ. Hæc ſi te laudat, ſi criminis te abſoluit, ride tum ſanè peruerſa hominum de te judicia, & tuo contentus viue hilariter.

Quæ hominum judicia ſint æſtimanda.

31. Quid ergo? an calumniantium ora obtundere non ſit fas? an famam propugnare non liceat, quâ nihil vita humana habet pretioſius? & quid ſi id maior Dei gloria, aut viuendi neceſſitas iure expoſtulet? Scio ego iſta; nec eſt quod rem hanc vrgeas, quam fateor non tantùm eſſe licitam, ſed & ſæpè neceſſariam adeò, vt nominis ſui famæque defenſio, ſine crimine negligi non poſſit.

Fama non negligenda, ſed magis æſtimanda Conſcientia.

Verùm id non ago nunc. Istud cùm Senecâ, quod ad rem meam facit, iam moneo: *Conscientiam magis quàm famam attende. Falli namque sæpè poterit fama, Conscientia numquam.* Alterutrius itaque si facienda est iactura, potior est famæ quàm Conscientiæ. illius enim diuturna non est, huius verò vix potest reparari. Et passim id video euenire, vt qui Conscientiæ passus est naufragium, seriùs ociùs, aliquando tamen viri boni nomen omittat, quantumcumque famæ captandæ expandat vela, hominumque iudicia per fallacias & artificia studeat interpellare & decipere. Contra verò qui Conscientiâ suâ probus est, boni viri famam tandem recuperat, quantumcumque obtrectantium conuitiis infracta fuerit & disturbata. Sen. 1. de moribus.

Sic viuendum, vt vitæ probitas calumniatori pudorem injiciat.

Itaque humana de te iudicia, nec expete magnopere si sint fausta, nec expaueſce si aduersa. Tantùm, quòd D. Petrus graviter monet, sic semper agite, vt *parati semper* sitis *ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de eâ quæ in vobis est spe. Sed cum modestiâ & timore*, (id est reuerentiâ) *Conscientiam habentes bonam: vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.* Confunditur enim quidquid falsum est; neque gloriosiùs calumnia vindicatur, quàm dum deprehenditur. Itaque cum D. Paulo tui securus admodum istud asserere, *Gloria nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ.* Alij gloriam foris captent, ego eam domi possideo. Stabit pro testimonio à se dato Conscientia, & clientem suum apud homines propugnabit. Interim quidquid inuidia deblateret, ita porrò age: ducentem tu Conscientiam sequere; ex ejus dictamine age omnia; & illa suis laudibus plausum dabit, quô sincerè liceat delectari: illa præstabit pectus impauidum, sic vt opprobria quæ euitari non possunt, habiturus sis contemptui: certus interim reparandam penitus famam detractam injuriâ, aut in hâc vitâ, aut si hoc non datur, indubiè saltem illo die, quô *veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et tunc laus erit vnicuique à Deo*, & quidem conformis illi, quam pro secreto tribunali, Conscientia sibimet dedit. 32. 1. Petr. 3. v. 15. & 16. 2. ad Cor. 1. v. 12. 1. ad Cor. 4. v. 5.

DECIMVM

DECIMVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ
Animum contra Diabolicas impugnationes, seu angores diffidentiæ, in horâ mortis defendere.

TRACTATVS XIX.

DE SECVRITATE QVAM IN MORTIS ARTICVLO PRÆSTAT BONA. CONSCIENTIA.

Iustus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. *Sap.* 4. *v.* 7.

Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, ..,... Gloria autem & honor & pax operanti bonum. *Ad Rom.* 2. *v.* 9 10.

In morte nihil magnopere esse terribile, præter malè actam vitam. Quædam tamen naturæ quòd sint horrida, fit ex ignorantiâ futurorum, & ob diuturnum animæ cum corpore commercium. Metum hunc tamen superatu non esse admodum difficilem. Nihil in illo articulo infestius malâ Conscientiâ, nihil bonâ jucundius. Rectè ab hac lætitiam in illo agone excitari, optimamque esse mortis præparationem, ad gaudium mentem componere, & lætas cogitationes aduocare; quod egregiè præstat bona Conscientia.

PROOEMIVM.

NUmquam euidentiùs amicus quis sit, dignoscitur, quàm cùm ingenti necessitate quisquam premitur. Ita communis fert sententia. Ego verò asserо præterea, numquam verè amicum fuisse, qui, quem fortuna destituit, amicum deserit.

deserit. Fortunæ forsitan amicus is fuerit aliquando, hominis verò numquam. Non inhæreamus claræ rei vlteriùs demonstrandæ: istud nunc ostendere est propositum, Conscientiam, cum quâ amicam familiaritatem animus sanctè coluit, numquam amicitiæ suæ vim exerturam efficaciùs, quàm cùm in vltimo vitæ & mortis agone constituta anima, summis naturæ necessitatibus videtur exposita. Prout etiam vice versâ, nullo vmquam tempore magis infestam experietur is, qui, dum viueret, habuit inimicam. Multa imprimis de morte per calumniam jactitantur. Ego conuitia non morti impingenda adstruo, sed malæ vitæ. Videamus ergo, quàm sese fidelem in mortis articulo Conscientia, dum amica est, exhibeat; quo pacto inquam lætitiâ mentem demulceat: & non tantùm naturæ fatiscentis angores deliniat, sed & sæpissime ita tollat, vt voluptati maximæ sit tandem mori.

§. I.

A morte nihil admodum metuendum est in mortis articulo, sed ab anteactæ vitæ malâ Conscientiâ.

ISTud nunc tandem perspiciendum est sedulò, an tanta bonæ Conscientiæ sit præstantia, vt contra id quod in naturâ est maximè terribile, clientem suum possit obarmare tutumque reddere. An inquam sic obfirmare possit animum, vt dolores omnes angoresque mentis respuat ac repellat, quos in vltimo vitæ articulo solet ingerere tristis & amara mors. 1.

Mors minùs est metuenda quàm vita.

Tristem & amaram voco, non quòd sic appellandam ego censeam; sed quod eô nomine passim diffametur: diffamatur autem hôc nomine, quod eam aut amaram fingimus, aut vitio nostro tristem facimus. Cœterùm rei, nihil admodum inest funesti. Tota mortis infamia est, quòd timeatur: jure an injuriâ, nihil pensi habent homines; quibus phantasticus ille metus adeo est ingenitus, vt ne, mentio quidem mortis fiat, aut nec minima mentem, illius subeat recordatio, quin illico deiiciantur oculi, & vultus in mæstitiam componantur. An ergo, inquies, nihil quidquam in morte timendum est? Non plus quàm in vitâ: imò 2.

imò & longè minus. Quidquid enim in morte amaroris aut angoris perſentiſcitur, ex vitâ præteritâ malum traxit. Stupendam enimuerò rem, exclamat D. Auguſtinus! *mori malè times, & viuere malè non times.* An ergo peius eſt malè mori, quàm viuere peruersè aut malè?

D. Aug. de diſcipl. Chriſtiana c. 12. to. 9.

3. Eſt inquis. Etenim qui malè viuit, non ſemper viuet malè; datur enim pœnitudo ſcelerum & reſipiſcentia: at, qui malè mortem ſubiit, æternùm infelix eſt. Quæ enim finitâ jam vitâ, datur homini anteactæ retractio, aut morum emendatio? Ita tu quidem, ſed ex falsâ hypotheſi, argumentaris non incongruè. Ego enim prorſus nego, malè mori quemquam; malè tamen viuere, fateor quàm plurimos. Rurſus, id etiam facilè do, plurimos mori tum cùm viuunt malè; ſed & hos tunc malè mori id verò iterum diſſiteor. Etenim, vt non hæreamus in ambagibus; clarè ediſſere: quid tandem eſt mori? Sanè nihil quidquam, niſi vitam finire. Jam verò iſtud rogo, an quæ finitur vita, ad Dei leges, rationiſque aut Conſcientiæ dictamen exacta fuerit, adeoque fuerit bona: an verò ſcelerata & impia? Quòd ſi honeſta vita præceſſerit; profectò non niſi peruersè, mala appellatur mors. Quid enim, ſi Chriſtiani hominis quidquam in nobis factum eſt ſuper, quid inquam optandum eſt magis, quàm in Gratiæ ſtatu perſeuerantem, bono fine vitam concludere; & ſic ſalutis, hactenus incertæ, indubiam adire hæreditatem? Certè perſeuerantiæ ſecuritatem non dat vita, dat autem mors. Non igitur mala poteſt dici, niſi per injuriam, quæ tantum homini confert boni.

Mors numquam eſt mala. Non ſi recte vixerit.

4. Vita verò ſi peruerſa fuerit; ſceleribus inquam maliſque implicata; ſanè ceſſante vitâ, ceſſabunt tandem aliquando ſcelera. Nihil certius. Arqui, quo pacto iterum mala mors dicitur, quæ malum finit, & non tam vitæ, quàm ſceleribus metam ponit? Hoc verò, inquies, ipſiſſimum eſt quod in morte eſt horrificum; quòd vitam nempe malè finiat; eamque in crimine conſtitutam, infauſtè claudat. Sic eſt. Sed rurſus ego quæro, an ipſa malum faciat, quod ſolùm terminat? etenim malam fuiſſe vitam anteactam, an hoc ſubſequens facit mors? Minimè verò; ſed malè agentem, in ipſo ſcelere occupauit. An verò fur dicendus eſt is, qui latronem in ipſo furandi maleficio verſantem, ſubitò deprehendit, eique injecit manus, ne plura furto ſubriperet?

non etiam, ſi malè vitam tranſegerit.

Totum malum quod in morte inuenitur, à vitâ antegressâ est.

quis id pro sano asserat? Atqui in scelere deprehendi te, non id quidem mortis est vitium, sed vitæ. Vitam finit mors, prout vitam inuenit; impiam an piam, id quidem mortis non est discernere. Finis itaque si malus fuerit, vitæ id imputa; quæ mala cùm esset, à morte id boni tantùm retulit, quòd malum terminarit. Non itaque morti infamiam vllam deinceps impingito; quidquid enim in eâ est terribile, à solâ vitâ est: neque enim fieri omnino potest, vt malus sit terminus eius rei, quæ mala non erat antequam finiretur. Quod quidem clariùs dicam si asserüero, malè mori non posse, quisquis ante mortis articulum malè non vixerit.

An non tamen horrendum est, hostem Numinis de vitâ discedere, & ex mortis faucibus subitò in manus incidere viuentis Dei? 5.
Est sanè. Verùm non morti tam funestum casum, sed vitæ impropera. An enim eâ ratione nunc vitam instituis, quâ nolles à morte deprehendi? Ita si agis, tum certè ne dixeris; *O quàm terribile est emori hostem Dei!* sed, *O quàm funestum est viuere, & cum Deo, vitæ auctore, inimicitias gerere, & quidem immortales!* Nec rursus exclamaris, *O quàm horrenda sunt quæ malam mortem, sed quæ peruersam vitam manent supplicia!* Non enim te mors Deo facit inimicum: sed hostiles gerentem animos Deoque infestos, occupauit tandem mors: illudque tibi præterea præstitit beneficij, quòd nec Diuinam iram sceleribus concitare possis infestiùs, nec tibi majora, quàm quæ persolues, supplicia miser arcessere.

Probatur ex D. Ambrosio.

Certè, nequidquam amaritudinis accusatur mors, ait præclarè 6.
D. Ambrosius: nam, *non mors ipsa terribilis, sed opinio de morte, quam vnusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro suâ Conscientiâ perhorrescit.* An ergo, inquies, tum saltem non liceat mortem perhorrescere, cùm me Conscientia criminis & accusat, & condemnat? Hoc quidem nullus dubito: neque quidquam est terribilius, præterquam ei, cui induratum sceleribus pectus, omnem boni sensum, & salutis æternæ curam penitus ademit. Attamen subdit Ambrosius, id tibi imputa. *Suæ igitur*, inquit, *vnusquisque Conscientiæ vulnus accuset, non mortis acerbitatem.* Quid enim hanc timori nostro semper prætendimus? Nouimus sanè Conscientiæ suæ testimonio nixos quàm plurimos, adeò mortis acerbitatem non horruisse, vt ad eam, tamquam ad portum, deliciasque

D. Amb. l. de bono mor. c. 8.

ibid.

que suas, non sine summo gaudio intermixtis suspiriis anhelarint.

Ibid. *Liquet igitur*, inquit Ambrosius, *quia mortis metus, non ad mortem referendus est, sed ad vitam. Non enim habemus quod in morte metuamus, si nihil quod metuendum sit, vita nostra commisit.* Veritas huius sententiæ, sæpius inculcanda est, & identidem repetitis vicibus animo repetenda dum viuimus, si veritatis huius effecta, in mortis articulo, summâ cum delectatione, volumus experiri. Ad Christiana Fidei dogmata, & æternæ vitæ principia reuocanda est mens, iisque penitus imbuendus animus: vt terroribus, quos natura, in morte aut facit, aut inuenit, longè superior, naturam corrigat; eamque ita obfirmet, vt ipsa quoque tandem metus rideat, ad quorum solam memoriam expaueſcebat. Id verò, quâ ratione faciat Conscientia, jam inquirimus.

§. II.

Quòd è corpore timeamus exire, ex futuræ vitæ fit ignorantia. Aliqua in morte sunt horrida, tantùm ex animæ cum corpore, diuturno & familiari nimiùm commercio.

7. EQuidem non sum adeò apathos aut Stoicus, vt aut sensum omnem naturæ detraham; aut negem, quidquam omnino esse in morte, quod sit horribile. Istud tamen asserо, non esse tantos quos facit metus, vt ratione, si eam adhibes, non possint haud adeò difficulter superari: nisi naturæ malo, id est morti corporeæ, accedat malæ Conscientiæ tormentum. Nam si rationem consulimus, eâque vitam nostram & non meris appetentiis expendimus aut dimetimur; quid obsecro vita hæc, post decretoriam in Paradiso latam sententiam, nobis fert nisi miserias & dolores? Et rursus quas quæso delicias in hoc misero habemus corpore, quas non plurima fastidia interrumpunt? Quæ corporis voluptas, præsertim si sit eximia, non in tristitiam degenerat? quis risus, si sit immodicus, non melancolicâ & graui sanguinis constitutione terminatur? Nónne sollicitudines anxiæ, curæ infestæ, angores animi, amicorum defectiones, rerum euentus aduersi, atque hinc enata tœdia & suspiria, passim tota est hominis mortalis vita? Nemo sanè vnus est, qui si corporis commoda solùm spectas, dicere ex

Vita nostra plena miseriis est, & tamen amatur.

vero possit: *Natura, gratias tibi pro datis ago: benè mihi est; nihil vlterius à te exposco.* Nemo inquam, sic felix est, vt non maximâ ex parte sit miser. Si quidem plura sunt quæ felicem mala comitantur, quàm ea sint bona quæ felicem faciunt: & quod in hoc genere pessimum est, finitur non rarò omnis omnino felicitas; miseriæ autem numquam finiuntur, sed tantùm ex hâc mutantur in aliam: & sic, dum ex alio malo in aliud deuoluimur, decurrit vita nostra, & tandem tota euoluitur. Finem ergo naturæ miseriis, imponit mors? Nihil verius. Quî ergò fit vt non ametur? Stupendam enimuerò rem, inquit D.Ambrosius, à miseriis hujus vitæ, mors *cùm absoluat omnes, paucos delectat.* Rationem subdit: *Sed hoc non mortis vitium est, sed nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione hujus vitæ capimur; & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus est amaritudinis, quàm voluptatis.* D.Amb.l. de bono mort.c.2.

E vitâ timemus discedere, quia terrenas voluptates experti, de æternis imaginarias species non habemus.

Sic est: corporis voluptate capimur, & decipimur præsenti delectatione, quia aliam vix agnoscimus, quàm quæ sensibus obiecta, sensu percipitur. Futurarum voluptatum desiderio non multùm tangimur, quòd nulla sese earum species offerat, aut phantasiam nostram feriat; neque ad ea percipienda intellectus humanus passim sese extendat, quæ imaginatricis potentiæ facultatem excedunt. Sic vulgò intra phantasiæ terminos versatur animus: illis quæ isthic inuenit rerum simulacris solet colludere, iisque imprimis delectari: ad alia cæcutit omnia; neque iis multùm aut pascitur, aut trahitur: his verò si priuetur, tum demum in luctu est, tum sibi videtur miser. Sic puero si globulos nucesúe manu excutias, & hæreditatis ampliſſimæ testamentum porrigas, hoc adepto non mouetur; illæ verò deperditæ lachrymas excitant, non facilè detergendas, nisi, quas sibi delicias suas esse præstituit, reddantur nuces. Sic inter agrestia mapalia, ouium greges, pastorum fistulas, & rusticos inter amores enutrita virgo item rustica; inuita profectò & non sine lachrymis, ad aulæ sibi admodum incognitæ magnificentiam trahitur; neque lactis pressi, rurisque innocentes delicias, Regum bellariis; aut tugurii sui ornamenta & commoda, palatiorum superbiâ, & laquearium magnificentiâ, facilè commutabit. Quantumcumque enim ea descripseris, quorum in phantasiâ ne prima quidem sunt vestigia, id quidem efficies vt ore aperto admirabunda dicentem audiat, iis autem vt tangatur, non 8.

Probatur id comparatione duplici.

non efficies. *Delectatione suæ vitæ capitur*, quisquis delicias non percipit alienæ. Hinc tanta nobis amaritudo oboritur, cùm è miseriis nostris à morte extrahimur: & quasi per vim abrepti sequimur inuiti; quòd aliquibus saltem, quas vita mortalis fert, voluptatibus innutriti, iis dum carendumest ingemiscimus; nec si majora promittuntur, amissæ rei sensum tollunt: quia futura, imaginationis adminiculo cùm non percipimus, præsentibus, licèt exiguis, stupidè inhæremus. Diuturno & ignobili cum carne commercio, in carnem degenerasse videtur nobilitatis suæ immemor animus; eique penitus applicitus imò implexus, non sine dolore summo auellitur à voluptatibus quæ carnem sapiunt, & sanguini abblandiuntur: neque patriæ suæ, cœli inquam delicias pensi habet, exilij sui miserijs innutritus.

9. Naturæ itaque commoda, quamuis agrestia & animi nostri nobilitate prorsus indigna, si spectes, eaque per phantasiam exaggerata si reuoluas; fateor esse quædam in morte aspera, & inamæna. Etenim satis durum dices, animæ cum corpore commercium quod jam per quinquaginta aut plures annos tenuit, abrumpi tandem: è domo quam tanto tempore incoluit quantumuis incommodè, consueto tamen domicilio demigrandum quantociùs; discedendum ab amico corpore, cujus familiaritate vsura non sit, nisi naturâ totâ fatiscente, & in meliorem ordinem, per carnis resurrectionem efformatâ. Quòd si autem in primâ juuentute mors intercedit vitæ; quàm id durum est, in ipso corporis flore demeti, neque vitæ fructum, nisi exiguum, percepisse? Durum est, amicos, placidam vxorem, tenerosque liberos amittere, imò iis abstrahi per vim: fortunis priuari, quæ magno studio congesseras: dignitatibus exui, quas virtute partas in familiam importaras; vlteriores interim spes præcisas. Durum est, caligine obducendos illico esse oculos, quibus vltimò charorum circumfusam turbam conspicies, vltimùm vale dicendum omnibus: corpus interim putredine dissoluendum quantociùs; eique extremum istud & verò miserandum ab amicissimis præstandum esse obsequium, vt sepulchro inferatur; atque inibi, esca sit vermibus, & cum exesis olim defunctorum ossibus, promiscuum habeat domicilium. Hæc, inquam, omnia sic expensa, fateor ea esse, quæ naturæ metum incutiant: & vt ista metuere, *vitium infirmitatis nostræ* sit, vt vult Ambrosius: tamen naturæ insitus est hic timor, & fortassis

Ex ignorâtiâ futurarum voluptatum, fit vt quædam in morte sint amara: Ea enumerantur.

naturæ pars: istud certum est, naturæ corruptæ non minimum esse supplicium. Assero tamen eiusmodi non esse, quod non facile possit superari, si alia moriturum non afficit metuendi materia.

§. III.

Angores in morte maximè terribiles, à malâ Conscientiâ proueniunt: exponitur quomodo inferantur. His autem medetur bona Conscientia; & clientem suum consolatur bonorum operum memoria, & fiducia vitæ æternæ acquirendæ.

Omnibus naturæ malis in morte percipiendis, medicina est bona Conscientia.

ISTud certè non satis percipio, eccur adeò agamus stolidè, vt naturæ tormentum mortisque dolores, peruersitate prorsus intolerabili augeamus; mortisque securi admodùm dum vita est super, medicinam futuro malo non expediamus, quâ non tantùm angores mortis detur delinire & imminuere, sed sæpè etiam prorsus euadere? Quid, quòd & ejusmodi medicamen sit parabile, quô delibuta mors, quidquid amaroris secum trahebat, deponat actutum, & in dulcissimos amores morienti conuertatur? Aures hîc arrigis. Et ecquæ hæc medicina, inquis, aut quô miscenda est artificio? Non alio quàm Conscientiæ rectè compositæ. Hæc sola angores omnes potest elidere; hæc vnicum doloris, in mortis articulo ingruentis, est lenimentum; hæc cordi oppresso præsentissimum pharmacum, & quidem vnicum. Hôc armatus, mortis tela & excipit impauidus, & verò etiam deridet animus. Nam vt ex D. Ambrosio antè dicebamus: *Nihil habemus quod ex morte metuamus, si nihil quod metuendum sit, vita nostra commisit.* 10.

Mali Conscientia maximè torquet reum in mortis articulo.

EX aduerso etiam, non inuitus fateor, nihil esse mortis articulo, homini terribilius, cui à Conscientiâ non est benè. Si enim vmquam iras exacuit, si vmquam animum torquet, & tortoris adinstar carnificinam exercet intolerabilem, hoc certè eo temporis facit momento: tum vires omnes exerit, & ætatis elapsæ, quâ sceleratum animum non exercuit, damnum cum fœnore reparat: dolores ingeminat, stimulos multiplicat, & identidem nouos præteritis superaddit, miserisque languentem animum & carnem dum conuel- 11.

conuellitur, exercet modis. Tum sanè, si vmquam, verum esse comperitur, quod in hanc rem præclarè docet Philo, cùm nefasta illa & infelix hora appetierit, quæ infelicitati æternæ datura est initium. *Impio homini*, inquit, *necesse est aut adesse, aut imminere aliquid mali. Itaque futuri expectatio timorem gignit; præsentis vsus, mœstitiam.* Videte obsecro, an non vtrumque peccatori cum Conscientiâ magis quàm cum morte colluctanti, in lecto, id est, in arenâ fatali competat. Atque hinc terrores infaustæ vitæ, quos, dum finienda est, animo ingerit, paucis accipite.

Philo l. quod deterius potiori insidiatur.

12. Præsentem enim miseri peccatoris statum si attendis, quid quæso is afferre potest, præter ingentem, & verò etiam intolerandam animo mœstitiam, & dolorem? Pauculæ adhuc supersunt horæ: interim toto corpore nerui distrahuntur; tremunt membra; colliduntur viscera; palpitat cor; dolores ingeminantur vndique; pœnæ exacuunt aculeos, eosque ingerunt, quasi vindictam sumpturæ de perceptis voluptatibus, quæ corpus per summam adulationem demulserunt, totiusque cum Deo instituti belli fuêre & caussa & initium. Interim susque deque agitatur animus; & quasi tempestatibus adactus, in omnem partem abripitur, teste Isaiâ: *Impij autem quasi mare feruens quod quiescere non potest; & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum. Non est pax impijs, dicit Dominus.* Quocumque enim se conuerterit nihil inuenit, nisi doloris noui alimentum. Si enim ad diuitias, etiam justè partas, adjicit animum; eheu deserendæ jam sunt tandem. Si voluptates nunc præteritas, ex effæto viribusque destituto corpore contemplatur; ah! quàm sese nunc alias ostendunt, quàm dum libidini faces subderent! quàm alios nunc vultus præferunt deliciæ, quàm dum deceptæ menti fucum facerent! Si ad amicos aduertit oculos, eosque aduocat in auxilium, à plerisque sentiet se destitutum; vtpotè qui non tam hominem, quam hominis fortunam sequebantur: à præsentibus autem, lecto fortè circumfusis, nihil quidquam est quod expectet præsidij. Vxoris adstantis conspectus nunc est fastidio; filiorum verò, tormentum est; vt quos se videat, non tam opum, quàm scelerum scandalorumque à se datorum, hæredes instituere. Quò itaque se vertet miser, vt solatij quidquam inueniat? Cælum si aspicit, ah quam ingens hîc occurrit suspirandi materia, cùm istud recordatur, expectatione quantâ exciderit! Ad Deum si accurrit, Judicem intuetur, & quidem

Primò per præsentem mœstitiam.

Isaiæ 57. v. 20. 21.

describuntur eius caussa & status peccatoris morituri.

quidem offensum. Angeli quondam custodis patrocinium si exquirit; quid hîc quæso aspicet nisi mœstos oculos, præteritas à se nequidquam impensas curas, jure merito deplorantes. Cogitationes denique suas, & Conscientiam, consolationis ergô si consulit; hîc verò in tormenta sese ingerit acerbissima. Nam vt rectè Augustinus, *Iudicis tribunal est in mente tuâ, sedet ibi Deus, adest accusatrix Conscientia; tortor, timor.* Itaque vt alio loco exclamat Augustinus *Ecce hostem suum inuenit, quò confugerat.* In hâc arenâ te præstolata est Conscientia, ô Peccator; hunc temporis articulum expectabat hactenus: nunc tecum aget seriò, dum inermis es: viribusque corporis, quæ te ferocem reddebant & impauidum, planè defecto, manus admouebit intrepida, & tormento cruciabit exquisitissimo. D. Aug. in psal. 57. D. Aug. in psal. 45.

13. Nunc inquam, dum voluptatum fumi euanuêre; cùm affectionum insana cessat intemperies, & cerebrum simulacris vanis vacuum, seriis cogitationibus aliquando est peruium; solum deniq; cùm animum inuenit, passionum affectis, corporisq; semper peruicacis præsidio destitutum; partes suas aget & quidem strenuè, quæ hactenus scelerum vi, & affectionum clamoribus deterrita, sese continuit Conscientia. Jam sanè ob oculos liquidò exponet præteritam peccandi libidinem; & veterum scelerum infamem memoriam refricabit. Omnibusque quasi in speculo objectis, tum demum, istud rogabit seriò: ecquid tandem delectationis tibi factum sit super, quam ex illicitis scelerum deliciis olim injustè percepisti? Quid ex præteritis voluptatibus tibi reliquum jam est miserande, nisi tædium opprobrij quod à te ipso pateris, & quo jure optimo cruciaris? Enimuerò jam suspiras, jam ángeris, jam exclamas, *Ergo errauimus à viâ veritatis*, cùm tibi toties nequidquam istud ingesserim, *Ergo erramus.* O frustra impensas olim curas meas! & ô frustra nunc profusas lachrymas tuas! Quid enim ingemiscis nunc, quid lamenta ingeminas, inops consilij quod toties tibi datum à Conscientiâ respuisti? Audio te cum Jobo in hæc verba erumpentem; *Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum?* Istud enim nunc demum exquiris? pœnitentiam sanè age, dum tempus resipiscendi adhuc datur; & salua sunt omnia. Tempus datur inquis, at non datur pœnitendi gratia: & sic quod reliquum vitæ est, non protrahitur nisi in dolores. Ah *custos hominum, quare me posuisti contrarium*

Stimuli quos ex præteritorum recordatione, Conscientia morienti admouet describuntur.

Mœstitia morituri peccatoris.

Sap. 5. v. 6.

Iob. 7. v. 20.

ibid.

trarium tibi, & factus sum mihimet ipsi grauis ? Istud etiam rogare non erubescis ? Factus es enimuero tibimetipsi grauis, *quia peccatum tuum aggrauatum est nimis* : tibimetpsi grauis es ; quia rationibus tuis onus debitorum adjecisti, quæ tibi expungere jam non est facile & in promptu. Fruſtra igitur rursus interrogas iratum Deum, *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam* ? profectò *peccatum tuum contra te est semper*, vt impudentiam tuam tuis ipse oculis conspicias ; vt te scelerum Conscientia excruciet, vt tui ipsius te pudeat ; denique vt ex teipso tibi fiat carnificina, tuumque tibi sis tormentum. Hæc perpende quisquis es ; illudque nunc expende quantus futurus sit, in mortis articulo, à Conscientiâ malæ menti intortus dolor. Atque hoc primum est, quod Philone teste, impio necesse est malum adesse, & quæ exinde gignitur, præsentis vitæ mæstitia.

Gen 18. v. 20.

Iob. 7. v. 21. Psal. 50. v. 5.

Secundò torquet mala Conscientia per expectationem & metum futurorum.

14. Verùm eheu, cùm præsentis vitæ angoribus, expectatio futuri adiicitur, Deus bone ! quantis cruciatibus angi cor, atque animum constringi necesse est, quem vel minimus Christianæ Fidei sensus tangit, aut aliqua salutis æternæ cura, habet sollicitum ! Ad quem confugiet, cùm ei non tacitè, sed clarâ voce Conscientia exprobrabit ; omnia quæ hactenus latuêre scelera, pro Dei tribunali, audiente orbe vniuerso propalaturam se, neque quidquam ommissuram quod pudorem exacuat ? Actoris quinimo rigidissimi acturam sese partes, atque omnes qui Judici Christo assessuri sunt Sanctos, quin & ipsam Misericordiæ Matrem concitaturam se, vt justam condemnationis tuæ sententiam aut ferant, aut latam calculo suo comprobent vniuersi. Heu ! quàm triste erit meminisse, corporis vix occludendos, quin mentis aperiendi sint oculi, qui in irati Judicis incurrant vultus ! Quàm horrendum est, æternitatis viam subire, Conscientiâ comite, irasque gerente implacabiles ! An major in hâc mortali vitâ infernus excogitari potest, quàm videre infernum jam nunc se circumferre ? Duriorne datur cruciatus, quàm corpus deserere, fide datâ, non aliâ lege reddendum animæ, quàm vt æternas pœnas vnà luant, rixasque inter se conserant immortales ? Quis hæc astruit, inquis, quis hæc affirmat ? Tuamet Conscientia tibi id exprobrat, ô peccator, nec metus ex vano facit. Et quod est acerbissimum genus opprobrij, nequidquam ei os ob-

 struitur,

struitur, aut oblinitur. Quidquid obtrectanti opposueris, antiquum obtinet, eademque recantat identidem. Nec si fidem ei denegas, aures tamen tam truculentis Conscientiæ tuæ vocibus potes subtrahere. Miseram enimuero conditionem! infelicem morientis non jam statum, sed ruinam! O nimiùm miserande, sed non tibi! quis tui miserebitur, qui tuis ipse miseriis non ingemiscis, nisi vt majus tibi sis tormentum? Et hæc quidem Conscientiæ iratæ, sibique infestæ, tormina sunt, & justi angores.

Conscientia bona, morientem contra naturæ angores armat gaudio, & spe.

Verùm hæc vos non spectant, Conscientiæ cultores eximij: alia vobis arma suppeditabit illa, quibus instructi, quoscumque metus facilè excutietis. Paulinum istud tantùm vobis accino; nempe *vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.* Quid enim tantopere mirandum est, dolore penitus confici & emarcescere eos, quos præsentis vitæ delectatio prorsus destituit, & spes futuræ? Hæc verò quem obarmat, securus agonem adeat, & lætus instantem mortem operiatur, quæ spei eximiæ fructus afferet. Quòd si fortè exquiris, vbi tandem perquirenda sit hæc spes; sanè non multis opus est vt respondeam. Eam penes se inuênit Job, in suis miseriis felix seipso. *Reposita est* inquit *hæc spes mea in sinu meo*, id est in Conscientiæ testimonio, quod in sinu circumgestito, tanquam indubitatum & legitimum hæreditatis adeundæ codicillum: neq; verò aliud quidquam continet, nisi quòd declaret, mihi rebusq; meis esse cum Deo benè. Hoc spei, hoc fiduciæ, hoc delectationis omnis, bonæ menti est fundamentum. Et si vmquam; hoc certè salutis & temporis momento, verum esse comperitur, quod Philo præclarè astruit, *Qui virtutem sectatur, deliciis huic conuenientibus fruitur. Aut enim acquirit bonum; aut acquiret postea. Et habere quidem, affert gaudium, rem pretiosissimam: expectatio vero habendi, spem, quæ est alimentum virtutem amantium.* En vt vtrumque, & gaudium inquam, & spem, morituro conferat Conscientia. 15. 1. ad Thess. 4. v. 12. Iob. 19. v. 27. Philo supra.

Gaudium morientis ex pacato Deo exoritur.

An non enim & solidissimæ, & verò etiam liquidissimæ delectationis est materia, retrospicere exactos jam tot annos, Diuino tamen obsequio ritè impensos? in statu Gratiæ vixisse se; cujus tanta est præstantia, vt minima etiam bona opera, nouum ad futuram gloriam jus adjecerint, cujus jam adeunda sit pacifica possessio? Peccata quæ aut incuriâ, aut etiam peruersitate animi commissa sunt, penitus aut Contritione, aut exomologesi de- 16.

leta

leta esse; offenso Deo factum pro culpâ satis: pœnas autem peccatis debitas aut per Indulgentiam remissas; aut iis per corporis afflictationes, olim perpessas, aut certè per morbum cui nunc immoritur, patienter à se toleratum, planè satisdari: nihil ergo admodum restare, quod dilectissimi sponsi charissimos amplexus, Diuinosque vultus breui contemplandos impediat. An non hæc sunt, quæ animum sincerâ voluptate demulceant?

17. Quàm verò jucundum erit, actiones totâ à se anteactâ vitâ, bene & religiosè præstitas enumerare? & in computum posse deducere, Sacra omnia & conciones quibus interfuit, exomologeses rite institutas, Synaxes piè aditas, jejunia exactè obseruata, peccandi occasiones studio euitatas, carnis impetigines fortiter superatas, infinitas denique Religionis, Obedientiæ, Christianæ submissionis, & tandem Fidei, Spei, Charitatisque actiones studiosè exercitas. Quis inquam tanto thesauro diues est, sine summâ animi sincerâque voluptate? Thesaurum hunc tibi asserit Conscientia. *Et habere quidem*, Philone teste; *gaudium affert, rem pretiosissimam*. Quid autem jam dicam, si & Christianæ misericordiæ adiiciantur opera? si inquam mentem subeant egeni, quorum à te fami est consultum; pauperes, quorum nuditati prospexisti; afflicti, quos consilio erexisti; imo & defunctorum animæ, quas ex Purgatorij ereptas ignibus, tibi deuinxisti, & in hoc mortis articulo gratissimos habes patronos? Denique, vt rem absoluam, quàm gratum erit meminisse laborum quos perpessus es, tempestatum quas subiisti; dolorum, injuriarum, obtrectationum, fortunæ aduersæ, eorum denique quæ egregiam præbuêre patiendi materiam? atque hæc quidem præteriisse jam dudum, aut jam jam finienda; manere tamen Christianæ patientiæ merita; & breui, effusas lachrymas, immortali gaudio permutandas. *Item ex bonorum operum memoriâ.*

18. Neque rursus mihi objeceris, actiones illas à te exhibitas, multis etiam fuisse vitiis interpolatas, neque debitam perfectionem attigisse. Ut enim nonnulli fragilitatis humanæ næui adhæserint, sanè pœnitentiæ vi, aut Contritionis, Amorisue Diuini efficaciâ, quasi igne perpurgatum est aurum; detersa est scoria: actionibus inquam detractum est quidquid inerat vitij, & sic tandem sola supersunt operum merita, quibus cœlum ipsum est venale. Hi sunt thesauri, quos Conscientia secum fert, atque spectan- *bonorum operum*

thesauro securitatem adstruit mors.

dos exhibet ex hâc vitâ discessuro, itineris instituendi profectò grande viaticum. Horum autem possessionem, manifestum est *afferre gaudium, rem pretiosissimam.* Et quidem, quod in hâc re longè est pulcherrimum, thesaurus hic jam ferè in tuto est: jam prope dilectæ patriæ lares adstas; vna tantùm aut altera restat hora; præcipua penè exhausta sunt viæ discrimina, & tota propediem salua est res. Quis mihi nunc negarit, mortis jam jam imminentis præsentiam, motus excitaturam jucundissimos thesaurum tam eximium deferenti; per quam diuitiarum tam ingentium securitatem sibi præstari, possessionemque videt asseri, nullo vmquam tempore interrumpendam?

Spes futuræ gloriæ lenit angores naturales mortis.

Ne quæso, ne requirite, quanta futura sint morientis gaudia, 19.
quæ ei suggeret futuræ gloriæ expectatio: quæ futura sint suspiria, ad fontem suum & originem suspirantis, & quis sensus ad æternas delectationes summâ cum fiduciâ commigrantis animæ: nimis enim diuina hæc sunt, quàm vt ab homine possint exprimi, aut percipi ab inexperto. Istud scio, spem tantam, & tam egregiè obfirmatam, *alimentum esse animarum virtutem amantium*, quô mens refecta, vires concipit itineri conficiendo non pares tantùm, sed & majores: eriguntur animi, & facilè molestias omnes superat, quas terrena corporis habitatio, deliciarumque prorsus rusticarum memoria, & naturæ, mortali vitæ tenaciter insistentis affectio, per exilia & vana mortis terriculamenta, rem inexpertis solet obuoluere.

§. IV.

Optimam esse in mortis articulo memoriam bonorum operum, ad excitandam lætitiam. Sanctos viros non fuisse tunc tristes aut melancolicos. D. Hilarionis metus expenditur, & ostenditur sine fundamento adstrui.

Obiicitur D. Hilarionis in morte metuentis exemplum.

MAgna sunt hæc inquies Conscientiæ encomia: præsentissi- 20.
mum est, quod ab eâ morienti datur, præsidium. Ast istud nunc exquiritur, an etiam consultum sit, bene acta in memoriam reducere,

reducere, iisque mentem pascere, & sibi veluti de præclarè gestis gratulari. Quod sanè, saltem mortis articulo non videtur adeo competere, nisi si sit volupe triumphum canere ante victoriam. An enim eo momento temporis, à quo dependet æternitas fausta aut infausta, satius non est scelerum recordari vt defleantur, quàm rectè gestorum memoriâ delectari? Sanè non hæc Sanctissimorum virorum sunt exempla: horruerunt illi fatalem agonem, quantumcumque sibi de præteritâ vitâ benè actâ, essent conscij. Enimuero quid tritum magis, quàm D. Hilarionis cum morte colluctantis metus? Cœlestem in eremo vitam instituerat senex optimus; eamque ad septuaginta annos innocentissimè protraxerat: & tamen quàm seriò timuit! quantùm exhorruit ex hâc vitâ discedere, qui teste D. Hieronymo id sibi dicebat identidem, *Septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem times?* timuit ille vir sanctissimus, & bonâ rectè actorum fretus Conscientiâ. Hæc verò si metum ab Hilarione non potuit propulsare, quid quæso nobis à nostrâ sperandum est subsidij, quæ viri tam eximij merita nullo modo potest adæquare, neque bonorum operum multitudine, neque præstantiâ?

D. Hier. in vitâ D. Hilarion.

21. At hæc vt respondeam, non erit abs re meminisse, duplicis generis esse angores. Primò quidem, qui à naturâ fatiscente proueniunt, quosque §. 2. descripsimus. Deinde verò, qui ab ipsamet Conscientiâ salutis suæ diffisâ, & futuri anxiè sollicitâ ingeruntur, quosque §. 3. vtcumque expressimus. Ad primos quod attinet; libenter fateor, homines etiam probissimos, naturæ se dissoluentis horrore perculsos, subinde non paruos dolores sustinuisse: & verò etiam, ferendæ breui sententiæ metum ingerente Dæmone, exiguo nonnumquam tempore, expectatione futuri fuisse perstrictos. Et quidem permittit id misericors Deus, vt timoris, qui non mentem tantùm sed & corpus malè afficit, aculeis patienter toleratis, pauculæ quædam peccatorum reliquiæ & debita persoluantur, quæ purgatorij ignibus fuerant expianda. Magni Gregorij hæc est sententia imprimis attendenda. *Solutioni ergo carnis appropinquans*, inquit, *nonnumquam terrore vindictæ, etiam justi anima turbatur*: non tamen irati Numinis hæc sunt indicia. Permittit enim hos metus Deus, *quia justorum animæ à leuibus quibuscumque contagijs, ipso sæpè mortis pauore purgantur*. Pœnam enim pauor cùm afferat, sine dubio satisfactionis locum subit. Et sum-

Natura horrorem in morte nonnumquam sentiunt homines probi.

Permittit eum Deus, vt plenius pro peccatis satisfaciant.

D. Greg. l. 24. mor. c. 18.

mi interim est meriti actus ille verè heroicus, quô naturæ, ingemiscentis ruinæ suæ tormina, fortiter sustinentur; neque interim quidquam inter angores illos à sanctissimâ Dei voluntate disceditur, aut ei contradicitur.

Conscientiæ verò angoribus, ratò probi in horâ mortis agitantur, & non diu turnu.

Hæc, inquam, in hominibus innocentissimis contingunt aliquando. Verùm quòd aut diuturni sint angores ejusmodi, aut diffidentiâ salutis intermixti, id quidem nemo mihi facilè persuaserit: nimis enim fida est, quæ clienti ex hâc vitâ discessuro semper adstat Conscientia, quàm vt metus vanos non discutiat, aut eos diu molestiam innocenti facessere patiatur. Atque hic rursus est D. Gregorij sensus. Cùm enim justi animam *nonnumquam* perturbari fateretur, & quidem, *vt à leuibus contagijs ipso mortis pauore purgetur*, mox addit, pauorem illum desinere illico, eoque discusso, *æternæ retributionis gaudia, jam ab ipsâ carnis solutione percipiunt.* Itaque ex mente D. Gregorij, justi anima nonnumquam perturbatur in mortis articulo, & quidem non diu, nec sine gaudij vicissitudine. Si verò, non quid *nonnumquam*, sed quid passim & plerumque justis accidat, ex D. Gregorio exquirimus, ita respondet. *Plerumque verò, contemplatione quâdam retributionis internæ, etiam priusquam carne exspoliantur, hilarescunt: & dum vetustatis debitum soluunt, noui jam muneris lætitiâ perfruuntur.* Quid ad rem nostram accomodatius, & è re nostrâ dici quid potuit opportunius? Amicæ Conscientiæ hæc sunt solatia, beneque sibi conscientis gaudia. Tantùm autem abest, vt à Conscientiæ aculeis justo quidquam in mortis articulo timendum sit; vt à pluribus animaduersum sit, eos etiam qui grauissimis scrupulorum consertationibus implicati, vitam duxêre imprimis tædiosam, & salutis acquirendæ prorsus incertam; in vltimo tamen vitæ agone, agitationum tenebris, scrupulorumque discussis nebulis, Conscientiæ suæ vultum agnouisse, quem antea scrupuli obduxerant, aut potiùs sub Conscientiæ laruâ fuerat ementiti: veræque Conscientiæ testimonio fidem dedisse tandem, atque ei denique cum summâ tranquillitate animi, & salutis acquirendæ fiduciâ fuisse immortuos.

22. D. Greg. supra.

Plerumque autem spleni discedunt è vitâ. Ibid.

etiam qui tota vita fuerunt scrupulosi.

Iusti moriantur pleni gaudio:

Rursus itaque affero, inaudisse sæpius, imò & summâ animi voluptate nonnumquam me vidisse, homines probos, ingenti delibutos gaudio dum mors appeteret; sic vt, lætitiam dissimulare cùm non possent aut supprimere, in externa etiam, animi gestientis signa prorumperent. Et alios quidem cùm mortis nũtius afferretur,

23.

retur, hymnum *Te Deum Laudamus* decantasse; alios festiuum istud *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, gratijs agendis protulisse; alios etiam in cantus amœnos languentem vocem, non tamen languidè extulisse: alios cum loqui non daretur commodè, oculis in cœlum sublatis, manibusque exertis, subsilientis animi gaudia motu penè ludicro declarasse, non tantùm legi sæpius, sed & oculis meis ipsemet conspexi. At verò quemquam eorum, mentis adhuc compotem, & tamen tristem, anxium, caussæ suæ diffidentem, terroribus implexum, & de Misericordiâ Diuinâ minùs placidè sentientem obiisse, numquam credidero. Ego certè nullum scio: neque enim fieri potest, vt Conscientiæ securitatem præstanti, non credatis qui nouit eam mentiri non posse: & si credat, fieri haud quaquam potest, vt, rationis exsors si non sit, Conscientiæ non acquiescat.

numquam verò cum diffidentia quæ vocos angores animo faciat.

24. Eccur ergo, inquies, tantopere ad mortis conspectum exhorruit Hilarion? Respondere quidem possem, naturæ jam ferè oppressæ & extinctæ coarctationem fuisse quâ conflictabatur Sanctus Eremicola (si tamen conflictatus fuit) non verò Conscientiæ sibi timentis angorem: & sic Hilarionis exemplo, toties, & libris, & pro concionibus, temerè satis & non ex fide historicâ decantatis, crederem me satisfecisse. Verùm aliâ nunc respondendum est ratione. Diui enim Hieronymi narrationem adij, & nihil in eâ quidquam reperi, quod vel specie tenus, non tantùm Conscientiæ sibi diffidentis tormina, sed vel naturalem mortis horrorem redoleret: quin & naturam, & mortem, sic quasi per jocum ludibundè derisisse comperio. Etenim teste Hieronymo, Hesychio discipulo suo tunc absenti, cùm nullum haberet hæredem, litteras amænitate plenas suâ manu exarauit, eumque magnificè fortunarum omnium hæredem ex asse constituit: & ne quid bonorum per ignorantiam fortasse periret Hesychio, commentarium opum à se possessarum, eique testamento transscriptarum adjicit, *diuitias suas ei relinquens*, inquit Hieronymus, *Euangelium scilicet, & tunicam sacceam, cucullam & palliolum.* An autem tale testamentum amænè condere, est mortem expauescere, an verò ei per jocum illudere? Deinde salutationis vltimæ causâ ad se accurrentibus, clarè enuntiabat abire se ad Dominum, & *à vinculis corporis dissoluendum.* An rursus hæc timentis mortem est oratio? Tum verò, à circumstantibus enixè petebat, vt ne temporis momento

D. Hilarion mortem nõ timuit, nequidẽ metu naturali.

vnico

vnico post mortem paterentur corpus aëri exponi; sed illico, prout eum vita destitueret, vestibus, vti erat indutum, in hortulo, terræ à se tot annis excultæ, sedulò mandarent. Hæc scilicet mortem expauescentis est cura.

Exponuntur verba D. Hilarionis, & ostenduntur fiducia esse plenissima.

Denique fateor quidem Hilarionem morti proximum, hæc verba protulisse: *Egredere anima mea quid dubitas? septuaginta propè annis seruisti Christo & mortem times?* at quis verborum sensus sit, ex D. Hieronymi narratione audiamus. Ita refert. *Iamque modicus calor tepebat in corpore, nec, præter sensum quidquam vitæ hominis supererat: & tamen apertis oculis loquebatur; Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times?* Amabo te amice Lector, an hæc timentis verba sunt, an mortem summo desiderio exoptantis? an egredi timet è corpore, qui egredientem animam vrget, & hortatur vt festinet? Septuaginta, inquit, annis in hoc ergastulo desudasti; & adhuc hæres cunctabunda dum libertati assereris? eia anima, egredere tandem ex effœto corpore, & pudeat te tantæ moræ: momentum vnicum, nimia est cunctatio, & seni emarcido prorsus pudenda. 25.

Expositio secunda.

Quòd si verò obsequium Christo septuaginta annis præstitum, & ab Hilarione commemoratum attendimus, tum sanè præclariorem sensum magisque lætum præferunt. *Septuaginta*, inquit, *prope annis seruisti Christo, & mortem times?* quasi dicat: Eia egredere anima; non est quòd mortem timeas. Non, inquam, te pudeat, dilectissimi Sponsi subire vultus. Septuaginta propè annis, omni studio te exornasti; Gratiæ & speciei, quam in Sacro Baptismi fonte acceperas, adjecisti quidquid gratiarum per virtutis opera potuisti conquirere: compta es satis; & si quidquam ornamentorum deest votis tuis, dilectissimo tamen sponso perplaces, nec quidquam adjectum cupit: *Septuaginta propè annis seruisti Christo*, id est, Christo te exornasti, itaque abeamus anima, comptum est satis. Hæc Hilarionis morientis est oratio; quam non video, quo pacto quis tetricus in alienum sensum possit detorquere. Sanè prout egregiè Marianus Victorinus Episcopus Amerinus, insignis D. Hieronymi Scholiastes asserit, *confidentis in Christo, cui seruiuerat, ex rectâ animi Conscientiâ sanctisque prolata operibus hæc verba sunt, non de seipso vanè gloriantis.* Addo ego, & multò minùs mortem anxiè perhorrescentis, sed ei insultantis potiùs. 26. Marianus Victorinus in Scholis ad ea verba Hilarionis.

§. III.

§. V.

Accommodissimam tempori praxim bene moriendi esse, in articulo mortis bonorum operum recordari, & ad lætitiam mentem componere.

27. ATque ex his ad alia quæ obiiciebantur, complananda, gradum facio. Non videbatur enim ita ex re morientis esse, lætam bonorum operum memoriam aduocare, & gestientem animum morti obiicere; quin potiùs deceat, eo in conflictu animos deiicere, & in pœnitudinem commissorum criminum seriò componere: ad hoc saltem, viros sanctissimos omni studio esse enisos. Nescio sanè cur Sanctorum virorum mihi prouoluantur in hanc rem exempla, cùm nemo vnus contra me afferatur & ego Sanctissimi Hilarionis pro me factum teneam. An nesciuit is quæ demum morientis deberet esse legitima constitutio, qui septuaginta annis tam religiosè viuendo, septuaginta etiam annis artem bene moriendi didicit? Atqui senex sanctissimus, vitæ à se bene actæ recordatur; annos diuino obsequio impensos exactè enumerat, & quidem jam jam moriturus. Fiduciam & *spem alimentum animarum virtutem amantium*, operum commemoratione in se vir Sanctus excitat: cur igitur bonorum operum memoria, quasi si morti minùs conueniat, suggillatur? Certè cùm a mortis sibi ab Isaiâ denuntiatæ articulo, non multùm abesset pius rex Ezechias, vti sacræ testantur litteræ, *orauit ad Dominum, & dixit, Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* En vt anteactæ vitæ opera in computum deducat Ezechias. Neque adeo narratio hæc Deo displicuit, vt audire meruerit, *Audiui orationem tuam.* Audi nunc D. Hieronymum hanc Ezechiæ fiduciam deprædicantem. *Iturus ad Dominum*, inquit, *narrat opera sua, quomodo ambulauerit coram Deo in veritate. Felix Conscientia, que tempore afflictionis, bonorum operum recordatur*, vt scilicet operum fiduciâ, & remunerationis expectatione obarmata, è difficultatibus, à naturâ objectis feliciter eluctetur. Quod quidem, si vllo vmquam tempore est conueniens,

D. Hilarion bonorum in morte memoriam excitauit.

Item pius Rex Ezechias.

Isaiæ. 38. v. 3.

v. 5.

D. Hieron. in hunc loc. Isaiæ.

niens, sanè illo est necessarium, cùm durissimum natura insultum patitur.

Tamen inquies, quamuis sancta sit lætitia, quam in mortis momento Conscientia, bonorum operum recordatione, morienti impertit; tempori videtur accommodatius, vt peccata præterita, quantumuis etiam Confessione condonata, in memoriam reducantur: hâc enim imbuta mens, in plures pœnitentiæ actus prorumpet enixiùs, & commissa piacula pleniùs expiabit. Bona est omnino, quæ objectationi ratio prætenditur. Respondeo tamen, nihil admodum euincere. Etenim an aliâ de causâ tristem illam constitutionem animi commendas tu, quàm vt per dolorificos pœnitentiæ actus, peccata magis eluantur? Hæc ipsa causa est inquis. Atqui meminisse oportuit, non Contritionis tantùm aut Pœnitentiæ formalis actibus, quos fateor doloris esse plenos; sed & Amori, cujus jucunda semper est affectio, peccata omnia condonari, etiamsi singula non reuocentur in memoriam prout Tract. 12. num. 37. à me est explicatum. Quod cùm ita sit; an quisquam mihi negauerit, alacriorem longè esse animum, lætis & spe plenis cogitationibus erectum, & proinde ad excitandos amoris actus magis expeditum; quàm dum præteritorum scelerum memoriâ, aut Dei districto judicio, pœnisque inferni objectis, planè contrahitur, imo & deiicitur?

28.

Læta animi affectio est expeditior ad excitandos actus Amoris.

Rursus, veram contritionem ex Amore Dei ortum ducere ostensum est Tractatu. 12. n. 20. & sequentibus. Amor autem cùm longè faciliùs, & verò etiam impensiùs inter læta prorumpat; sanè sibi aptissimè consulit Conscientia, cogitationes aduocando quæ mentem extendant, eaque nuntiando quæ gaudium afferant; quàm si tristitiæ materiam obuoluendo, animum deiiciat, aut saltem ita contrahat, vt nisi molestè, in præstantissimos actus possit exsurgere. Lætis autem nuntiis delibuta mens, quàm prompta est, quàm alacris, vt eximios actus excitet, Deoque gratissimos! *Primò* enim grati animi eximias notas dat pro tot acceptis à Deo beneficiis, quorum effecta, si vmquam aliàs, jam sanè impensiùs experitur. Grati autem, primum & fere præcipuum est, beneficia lætè excipere & vultu hilari. *Secundò* solidissimam in se fiduciam excitat, totamque se Christi misericordiæ libens committit; vtpote quæ suauissimis plena voluptatibus, æternas in mortali corpore incipit delibare: fututarum

29.

Actus à moriente præcipuè exercendi.

enim,

enim, præsentes deliciæ pignus sunt. *Tertiò* non potest non amore prorsus eximio Sponsum complecti, quæ ab eo tam tenera amoris signa percipit: tenera inquam mentis gaudia, quibus in agone constitutam, ne forte deficiat, identidem reficit & consolatur. Atque hæc omnia, à Conscientiâ, bonæ mentis sunt solatia.

Concluditur nihil Conscientia bona confidenti timendum, nec a morte,

30. Hisce autem ritè perceptis, quæro ego nunc tandem, quid homini quem Conscientia bona comitatur & defendit, magnopere in mortis articulo pertimescendum sit? An forte mors ipsa, naturæ terror? Nihil sanè in morte est horridum prout §. 1. ostendimus, quàm quòd malè actam vitam, malè terminet. Atqui præteritorum securitatem præstat Conscientia; authenticas innocentiæ litteras secum fert, item meritorum omnium commentarios, & thesauros legitimè obsignatos in cœlum defert. Cur itaque mortem timeat, quæ tantas opes saluas & incolumes patriæ laribus jam jam asseret, isthic nullo vmquam tempore, aut casu deperdendas? An Dœmonem fortasse exhorreat, quem eo temporis articulo omnem mouere lapidem aiunt, vt in ipso patriæ conspectu feliciter progredientem retardet, & nescio quibus suggestionibus interpellet? Verùm, quid mihi veterator mendacissimus facilè imposuerit aut persuaserit, qui Conscientiæ meæ nitor testimonio? An præterita scelera importunus obiiciet? Obiiciat sane; & quam obsecro nisi gaudendi materiam dabit, cùm ea mihi per summam Dei misericordiam, Conscientia testetur penitus esse condonata? An diffidentiam quantumuis exiguam ingeret; cùm, proposito totius vitæ curriculo, Conscientia mihi testis sit, quàm impensas gratias mihi præstiterit bonus Deus, toties tamen offensus à me? Et hunc ego credam, in ipso rei bene gerendæ postremo articulo mihi defuturum, cuius benignam manum toto vitæ tempore mihi singulari curâ adfuisse Conscientia clarè demonstrat? Apage sis cum putidis tuis clamoribus insulse Dœmon. Alias ego voces audio, vti fiduciâ, ita & deliciis pleniſſimas. Hæ mihi morienti præstantissimum sunt viaticum: has audio, iis inhæreo, his vitam omnem securissimè committo. Conscientiæ meæ, hæ voces sunt; in his agnosco Deum.

nec à Dæmone.

Conscientiæ istæ voces.

31. Eia inquit anima: satis viximus: ascendamus tandem in optatam patriam, vbi bene nobis æternùm sit. Tu quidem in mor-

tali corpore constituta, partes tuas egisti benè; obseruasti me sedulò, nutusque meos es reuerita: nunc ego te defendam, & caussam tuam propugnabo. Ad rationes exacti temporis reddendas, à Christo Iudice euocamur: ne metue, partes hæ meæ sunt; fideiussorem me opposui; tu quiesce: fidem dedi, fidem soluam. Deponamus interim hoc corpus, ô Anima, & terræ mandetur vile depositum. Putrescat sanè: exiguæ rei, jactura est facilis. Erit aliquando tempus, quô ex cineribus tandem emerget misera caro, & nobis nouo astringetur amplexu; voluptatum quibus in anteceſſum fruitura es tu, futura tandem complex, quæ miseriarum, quas toto vitæ itinere sustinuimus, consors fuit. Vale itaque hactenus amica caro; valete jam exesa membra; vale quisquis adhuc mortalis es. Nostra res peracta est bene; tu tuam cura. Hæc valedicentis corpori suo Conscientiæ, sunt tenera suspiria; hæc Conscientiæ suæ fidentis animæ festiua sunt gaudia.

Morientis festiua suspiria & spe plena.

O magne mortis vitæque arbiter, ô quando hæc erunt! ô quando dissoluente sese naturæ machinâ, Deum meum aspiciam, & in chariſſimos Redemptoris mei complexus aduolabo? Etenim *vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius.* Tanta certè est mihi à Conscientiæ testimonio oborta fiducia, vt *credam visurum me bona Domini in terrâ viuentium.* Crede ô anima; sed vt Conscientiæ tutò possis in morte fidere, Conscientiam imprimis, dum in corpore viuis, obserua. Interim *exspecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Tandem cum D. Bernardi sententiâ omnia à me dicta confirmante finem facio. *Bona Conscientia*, inquit, *secura erit, cùm corpus morietur: secura, cùm anima coram Deo præsentabitur: secura, cùm vtrumque in die judicij, ante tribunal terrifici Iudicis statuetur. Futuræ beatitudinis non est vtilius remedium, nec certius testimonium bonâ Conscientiâ.*

32. Psal. 26. v. 4. 5. v. 19. v. 14. D. Bern. de interiori domo. c. 23.

TRACTA-

TRACTATVS XX.

DE OBSERVANTIA DEBITA CONSCIENTIÆ.

Concluſio hactenus dictorum eſt; Itaque cuſtodi tu tuam Conſcientiam, vt ipſa cuſtodiat te, veramque animo præſtet lætitiam.

Omni cuſtodiâ ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit. *Prou.* 4. *v.* 23.

Exponitur egregia Conſcientiæ cum corde ſymbolizatio, ex quâ quædam explicantur Conſcientiarum differentiæ; ac denique quomodo Conſcientia in aliquibus emoriatur & indureſcat. Datur praxis qua cuſtodienda ſit vita Conſcientiæ. Oſtenditur præcipuam eſſe, magnam Conſcientiæ ſibi ſemper præſenti exhibere reuerentiam: item quanta debeatur. Denique hâc praxi conſeruari vitam Conſcientiæ, à quâ vita totius animæ & pax dependet.

AD finem aliquando tandem decurrit oratio; atque vtinam ad illius gaudij initia ſimus eniſi, quod nobis pleno ſinu conferendum Conſcientia bona, & non ex vano pollicetur. Gaudium enim ſi in hac mortali vitâ ſedulò perquiritis, iſtud ſanè eſt reliquum, vt Conſcientiæ benè attendatis, ab ipſo enim vita procedit; non tantùm æterna, quæ vita eſt Gloriæ; ſed & filiorum Dei; quæ vita eſt Gratiæ; ac denique vita ſerena, quieta, tumultuum expers, quæ vera vita eſt Naturæ: non enim viuere hominem ego exiſtimo, niſi qui viuit placidè

cidè & tranquillè. Hanc ego dictorum omnium consecutionem modò persequar; explicatisque quibusdam Conscientiæ qualitatibus, quas quidem adhuc sed cursim attigimus, praxim dabimus, quâ seruanda sit Conscientia, felicitatis nostræ, & præsentis, & futuræ exordium & fundamentum.

§. I.

Vti vita corporis à corde, ita vita spiritualis, à Conscientiâ ducit exordium. Exponitur multiplex Cordis & Conscientiæ symbolizatio.

Seruandum præcipuè cor.

QUòd si in corpore cor vitæ fons sit, ex quo motus omnes vitales & animales ducunt principium: vtpote à quo alimentum purius, spiritibus generandis, cerebro subministratur; qui deinde per neruos cæteraque membra dispersi, omnem animali motum dant & vigorem: rursus, si fatiscente corde, totius corporis quantociùs cessant motus: denique si non tantùm vita, sed & commoda membrorum constitutio, aut incommoda; robur aut imbecillitas; bona aut mala valetudo; à rectâ vel peruersâ cordis affectione vt plurimùm dependet: sanè momenti maximi, est illa Salomonis admonitio, ergo *omni custodiâ serua cor tuum*, id est accuratissimè obserua, ne quidquam nocumenti cor accipiat, vt ne totâ corporis vitâ in ipso fonte veneno infectâ, inde ad reliqua membra malum fluat. Aut si alia placet lectio, *super omnem custodiam serua cor tuum*; id quidem sic intellige, quasi si commendet Sapiens cordis custodiam, præ omni reliquorum, quæ corpus constituunt, membrorum curâ: cùm enim ex ipso procedat vita, quâ nihil pretiosius fert natura; etiam cuique pretiosissimum sit oportet id, ex quo res tam chara, ducit, exordium. 1. Prou. 4. v. 23.

quia ex ipso vita procedit. Ostenditur quomodo.

Jam verò si de naturali vitâ obseruandâ Salomoni hic foret, fermo; sanè hanc gnomen, aphorismis Hypocratis opportunè inserendam judicarem; quâ monerentur medici, in morborum symptomatis, primò & præcipuè, ad cor quasi ad vitæ arcem esse recurrendum; & ab eo vapores infestos & quæcumque cordis temperamento possunt officere, tamquam à præcipuâ vitæ sede, summâ 2.

summâ sollicitudine esse arcenda. Et quidem notæ sunt hæ medicis artes : quibus præcipua cura est cordi attendere, cujus temperiem ex arteriæ pulsu explorant ; cùm motus ille reciprocus quem digito percipiunt, aliud quidquam non sit, quàm systole & diastole, seu cordis contractio, & dilatatio. Distenditur enim dum sanguinem ab hepate venâ cauâ defluentem, per auriculas supernè recipit : rursus autem sese contrahit, vt sanguinem in ventriculis decoctum & defæcatum, in arterias per valuulas ejaculetur, inde per venas vndique dispergendum ; vt frigidiori isthic sanguini, calore suo sit præsidio, & commodum præbeat membris omnibus alimentum. Sic certè manifestum jam est, naturalem vitam ex corde procedere.

Vita Spiritûs pendet à Conscientia, vt vita corporis à corde.

3. Præstantiorem tamen sententiæ suæ scopum habuisse mihi videtur Salomon, nec tam corpori curando, quàm animæ conseruandæ consuluisse ; quasi si diceret : Quisquis es ô Homo, omni custodiâ serua Conscientiam tuam, quasi cor tuum : prout enim cor vitæ naturalis est origo ; ita & Conscientia moralem & spiritualem vitam auspicatur. Rursus prout à cordis temperamento, & spirituum isthic depurgatorum subtilitate aut crassitie, agilitate aut segnitie, reliqui corporis existit vigor aut imbecillitas, color festiuus aut luridus, oculorum acies alacris & expedita aut subtristis, genæ rubicundæ aut pallidæ, tota denique corporis externa constitutio ad amœnitatem composita, aut certè emarcida & dejecta : ita prorsus à rectâ Conscientiæ conformatione, omne pendet animi Gaudium, à qua est rectè se habere. Illâ verò perturbatâ, in tœdium vertuntur omnia, nec quidquam jucundæ vitæ, fastidia sinunt super. Itaque prout animæ vitam diligis, ita Conscientiam sedulus obserua : illam si non æstimas, hanc sanè neglige : illa verò si tibi est in pretio, hanc accura, & super omnem custodiam serua, quoniam ab ipsâ vita procedit. Et hæc quidem Salomonis est sententia, & consequentia legitima, omnium quæ hoc libro exposuimus.

Varia tertia & Conscientiæ symbolizatio.

4. Antecedentes autem propositiones, hîc pluribus exponere, neque necesse est, neque etiam est animus. Non inquam lubet multis ostendere, vti à corde vitam corporis, ita & à Conscientiâ vitam animæ emanare : satis enim Tractatu tertio demonstrauimus, ab actuali Conscientiæ judicio aut dictamine, omnes omnino humanas, id est laude aut vituperio dignas actiones, voluntates

Tract. 3. §. 2.

Primo. A Conſcientia incipiunt omnes ſpiritûs actiones ſeu voluntates.

luntates inquam & deſideria ortum ducere & gubernari. Satis enim conſtat deſideria, animæ motus eſſe, & quidem præcipuos. Atque hæc eſt *prima* Conſcientiæ & cordis conuenientia & ſymbolizatio; quam fortaſſe non ingratum fuerit, nec etiam abs re, paucis perſequi, vt ex cordis quam habemus ſcientiâ, Conſcientiæ ars & neceſſitas meliùs innoteſcat.

Deſideria quæ à Conſcientia non procedunt, non habent vitam Spiritûs; id eſt non ſunt laude digna aut vituperio.

Secundò itaque, animaduertendum eſt, corporis motus omnes, actiones vitales non eſſe: neque animæ tribuuntur, niſi ij qui à principio vitæ (quod quidem in corde poſitum eſſe jam oſtendimus) ducunt principium. Quis enim humanum corpus è turri fortè deciduum, actione vitali centrum tendere dixerit? motus hic certè, illi, cum omni prorſus corpore labente eſt communis; neque à vitæ principio, ſed à grauitate, omni corpori ingenitâ, labentis motus eſt. Non igitur vitalis eſt actio, cujus principium, non in viuo tantùm corpore, ſed & in demortuo reperitur. Illi itaque membrorum motus, qui è vitæ principio, id eſt ex cordis operatione primâ procedunt, ſoli vitales appellantur, verèque ſunt viuentis hominis. Ita prorſus, motus illi voluntatis, aut deſideria, quæ à Conſcientiâ, id eſt ab actuali judicio, actionem bonam aut malam, licitam aut illicitam eſſe decernente, non oriuntur, vitam ſpiritûs non aſſequuntur: ſed aut rationis expertes ſunt actiones aut emortuæ: id eſt, quantùm ad mores attinet, nec bonæ nec malæ: adeoque nec laude aut præmio dignæ, nec verò etiam ſupplicio obnoxiæ aut vituperio; non magis quàm quæ per ſomnium, dominante phantaſiâ exercentur. Sic edere, bibere, diſcurrere, ambulare, dormire, & cætera ejuſmodi, niſi à Conſcientiâ, id eſt à judicio dictante actiones iſtas hîc & nunc rectè exhiberi aut neceſſariò exhibendas eſſe, ſumant exordium, moralis vitæ actiones non ſunt; ſed vel ab affectionibus & merâ phantaſiâ, vel à naturâ, & nomen ſortiuntur & rem: eaſque cum brutis communes habemus. Iis autem actionibus cùm deſit anima, patet cur neque à Deo gratiam, neque ab hominibus laudem ſibi poſſint demereri.

Quænam dicantur actiones naturales, & indifferentes.

5.

Tertia Conſcientiæ & cordis ſymbolizatio, ſyſtole eſt & diaſtole. Uti enim per hanc attracto mucrone, dilatatur cor, excipiendo ſanguini qui ab hepate deuectus & jam depurgatus, per ſyſtolen ſeu compreſſionem apertis valuulis, in arterias cæteraſque corporis venas emittitur: ita primò primos animæ motus,

6.

id

id est prima desideria rationis adhuc expertia, primos inquam rerum objectarum aspectus, per sēsus externos & phantasiam internam immissos, & natas inde voluntatis inclinationes primas, veluti in hepate leuiter decoctas, Conscientia, vti cor sanguinem primum & crudum, excipit: rebusque bene perpensis, ad Dei rationisque legem examinatas, tandem, quasi à terrenis fœcibus depurgatas penitus, cogitationes illas, & affectiones primas transire patitur, iisque vitalem motum tribuit, à quo bonæ deinceps erunt aut peruersæ; Deo gratæ aut odiosæ. *Conscientia est cogitationes primas admittere, & emittere in actionem.*

7. *Quartò*, in humano corpore motus quidam sunt, temperamento cordis prorsus aduersi, per quos ordinata tenerrimi membri interpellatur actio & harmonia. Quod quidem sæpe contingit dum aut nimius est, aut admodum fœculentus qui ab hepate per venam cauam, ad cordis auriculas sanguis affluit; illudque aut acrimoniâ suffocat aut copiâ. Sæpe etiam ex crassis venenatisque vaporibus id accidit, qui aut ab aëre externo, aut etiam à stomachi cruditatibus malèque digestis cibis exhalati, cor vndique circumstant, & inficiunt, sic vt sese in consueta officia, vix aut ne vix quidem possit explicare. Id autem dum contingit, cœtera membra illico languor occupat; major aut minor, prout majora vel minora cordis functionibus obuoluta sunt impedimenta. Idem planè Conscientiæ euenit. Sæpe enim tanto impetu desideria prima & indigesta ingruunt in animum, idque vel forinsecus immissa, vel etiam per prauas affectiones peccandique consuetudinem excitata, vt Conscientiæ vim afferant; eam vndique circumsistant, & quidem tam turbulentè, vt officio suo facere non possit satis; id est, vt ad rationis trutinam desideria prima nequeat expendere. Hinc euersâ Conscientiâ, motus illi indigesti & rerum terrenarum fœcibus infecti, totâ discurrunt animâ, & voluntatis occupant imperium. Conscientiæ autem interturbato motu, totam mentem languere necesse est; & quidem mortalis aut non mortalis est ægritudo, prout Conscientiæ infertur vis. *Conscientia terrenis affectionibus sæpe obruitur. Hinc animæ ægritudo.*

8. *Quintò*, Prout grauitas morbi aut leuitas, ex arteriæ pulsu dignoscitur, qui quidem systolen cordis & diastolen, motu suo arguit: vnde fit vt crebro, concitato, interpolato, & intermicante pulsu arteriæ, angustias suas variè cor aperiat, & de vi sibi internè illatâ quasi conqueratur, externamque medici exposcat manum: *Expulsu Conscientiæ, dignoscitur animæ ægritudo.*

manum : ita ex inordinatâ Conſcientiæ agitatione, crebriſque motibus, facilè eſt dignoſcere, quanta ſit mentis ægritudo, & in quo pereundi ſit diſcrimine.

Animæ numquam eſt bene, niſi prius bene ſit Conſcientiæ,

Sextò. Uti fieri omnino non poteſt, vt ægro corpori valetudo reddatur priſtina, membrorumque ſolitus vſus; niſi cordi reddatur à malo ingruente quies, ſic vt priſtina redeat temperies; conſuetiſque ordinatim, ab omni impedimento liberum, naturæ defungatur officiis: ſic nulla menti quies expectanda eſt, niſi Conſcientiæ benè ſit, ſic vt agere poſſit res ſuas, tranquillè, & ab omni vi aut affectionum impetu expedita. 9.

Viuente Conſcientiâ, adhuc eſt ſpes ſalutis.

Septimò. Sicuti, viuente corde, vitamque ſuam pulſu aliquo indicante, adhuc reliquo corpori ſpes vitæ eſt ſuper, quantumcumque membra, vi morbi prolapſa conciderint: ita dum Conſcientiæ remordentis ſtimulos perſentiſcis, ô Peccator; quantumcumque peccatorum toxico infecta, & lethali morbo correpta ſit mens; non tamen adhuc conclamata eſt res: aliquod habes latentis vitæ indicium; imo Conſcientiæ allaborare ſi vis, reddendæ ſalutis initium. 10.

Conſcientiâ emortuâ deſperata eſt ſalus.

Octauò denique, corde emortuo, ejuſque ceſſante motu, neceſſe eſt totius corporis functiones intercipi: totaque deſperata eſt vita, vbi in vitæ principio, quod eſt cor, factus eſt vitæ exitus: vltimum enim quod in corpore emoritur eſt cor. Ita diſertè Ariſtoteles. In efformatione corporis animalis inquit *fit priùs cor: idque effici primò, non modò ſenſu percipitur, ſed etiam quòd per obitum, vita hîc vltimò deficiat. Euenit namque in omnibus, vt quod vltimum fit, hoc primum deficiat: & quod primum, id vltimum: quaſi natura decurſionem agat; & à calce ad carceres, vnde proruit, redeat.* Sic ergo ceſſante motu cordis, quod vitæ eſt principium, cætera membra moueri deſinunt, id eſt, viuere. Non ſecus, ſi, quando lethale ſcelus admiſſum eſt, nullus tamen in Conſcientiâ ſenſus mali, aut agitatio percipitur; actum eſt de ſalutis negotio; perdita eſt tota res: omneſque deinceps ceſſabunt ſpiritualis vitæ actiones, niſi priùs ad vitam Conſcientia reuocetur, nouo & præter communem ordinem inuſitato Gratiæ miraculo. Hinc alia Salomonicæ ſententiæ lectio ſic habet: *Omni cuſtodiâ ſerua cor tuum; quia in ipſo exitus vitæ.* Ibi vitæ totius ſpiritualis factum eſt naufragium, vbi Conſcientia ſenſum perdidit, 11. Ariſtot. l. 2. de Gener. c. 4. Prou. 4. v. 23.

perdidit, & scelere desiit commoueri. Atque hæc est Conscientiæ & cordis symbolizatio, tam varia, quàm exacta.

§. II.

Quid sit vitam, & exitum vitæ siue mortem animæ à Conscientiâ procedere, explicatur. Nempe quid sit Conscientia tenera, agilis, & viuax; quid verò Conscientia crassa, dura & emortua. Item maximum peccati supplicium, esse duritiem seu mortem Conscientiæ: & quomodò hæc per peccati consuetudinem, animæ inducatur.

12. LUbet tamen quæ paucis modò de Conscientiæ interitu dixi, pluribus exponere, vt quanti sit momenti Conscientiæ sedula custodia, clariùs intelligatur. Id enim probè obseruandum est, quoties peccatum mortale, siue suggestione Dœmonis, siue carnis petulantiâ, siue imbecillitate mentis, siue etiam peruersitate admissum est; non illico sic emortuam esse animam, vt spectato gratiarum, quas Deus exhibere solet, generali cursu, de salute æternâ peccatoris desperatum sit: verùm si eo in euentu Conscientia nihil quidquam perturbetur; actum est. Conscientiâ verò profligatâ, omnia sunt amissa: eâ emortuâ, nihil quid-
Prou. 4. v. 23. quam vitæ est super; *quia in ipsâ, exitus vitæ.* Ain vero inquis, *Conscientia potest emori.* an etiam Conscientia potest emori, & omnem sensum boni amittere? Potest sanè; & quo pacto tanta clades & mors tam funesta homini rationis compoti obueniat, operæ pretium erit explicare. Aliquæ tamen Conscientiarum differentiæ repetendæ hîc sunt; quæ licet vtcumque à me superiùs sint declaratæ, hôc tamen loco recensebuntur non incommodè; & tandem etiam quæ obscuriùs fortasse dicta sunt, percipientur clariùs.

13. *Imprimis* ergo, *Bona Conscientia* dicitur, quæ de actionibus *Quæ Conscientia sit bona.* aut faciendis aut etiam factis, judicium fert sincerum; prout *se*
2. Cor 1. v. 12. *conuersari in hoc mundo* gloriatur Paulus, nempe *in simplicitate cordis & sinceritate Dei; & non in sapientiâ carnali*, id est affectionibus carnis abreptum, commodi inquam studio, aut voluptatum. Dum itaque sincerè agit Conscientia, & de actioni-

bus suis judicat, prout fide bonâ existimat Deum rationemûe eas exigere, bene agit partes suas, etiamsi fortè à vero aberrauerit. *Mala verò Conscientia* tum dicenda est, cùm præter mentem Dei sibi cognitam, nihilominus, aut quia vtile est, aut quia commodum, aut quia carni est volupe, id quod est præ manibus aut præ oculis, judicat contemptâ voluntate Dei rationisque instinctu posthabito aggrediendum, & actioni quamuis illicitæ nauandam operam. Benè judicantem Conscientiam quæcumque sequitur voluntas, bona est. Mala vero & digna vituperio, quæ destinatò malè ducentis Conscientiæ vestigiis, infaustè inhæret. *Qua verò mala.*

14. *Secundo*, dum in judicio de rei bonitate aut malitiâ ferendo, prompta est & facilis, adeò vt ad minimum Diuinæ voluntatis perceptæ momentum, eò feratur quò pondus fert, tum sanè *Tenera* dicenda est Conscientia, & in agendis rebus *delicata*. Neque enim tenera est quæ facilè frangitur, aut scandalo alieno percellitur, sed quæ facilè ad id quod bonum est inflectitur. Sic aurifabri bilanx, non idcirco de teneritudine laudanda est, quòd sit fragilis; id enim materiæ est vitium: sed quod minimo commota momento aut pondere, illico in adjecti sacomatis partes concedat. Sic quæ tenera est Conscientia, tam exactum tenet in ponderandis & agendis rebus æquilibrium, vt minimo voluntatis Diuinæ adjecto pondere, etiamsi præcepto graui non exprimatur, illico tamen, exemplo Dauidico, *Inclinet cor suum ad faciendum justificationes Dei in æternum*. Contra verò, prout bilances quibus in æde publicâ merces expenduntur, crassoque insistunt hypomoclio, lentiores sunt; adeo vt non facilè exiguo adjecto lanci momento moueantur; inclinantur tamen, licet paulatim atque admodum pedetentim: ita Conscientiam quæ non facilè permouetur, nisi graue sit præceptum Dei, & secum peccati mortalis pondus trahat, *crassam* voca aut potius *torpidam*: non quòd mala sit; sed quòd ad agendum non profiliat, nisi ea quæ sub offensæ Diuinæ & quidem mortalis interminatione imperantur: ad cætera Dei placita, prorsus torpet. Ubi quæ tenerum Diuinæ voluntatis sensum habet Conscientia, & momento solo tangitur, & sic contacta, præcepti onere non indiget vt ad ferendum de actione exhibendâ judicium pertrahatur: tantummodo Dei nutum percipit, atque illico in id incumbit, quò nutus fert; & voluntatem minimè torpidam secum trahit. *Quid sit tenera, seu prompta Conscientia ad agendū bene.*

Psal. 118. v. 110.

Quid crassa, & lenta ad agendum.

Atque

Atque hæc est in agendis rebus teneritudo Conscientiæ: promptitudinem voca, & idem dixeris: nam hæc ab illâ est; vti bilancis promptitudo tota, à teneritudine est hypomoclij; lentitudo autem ab hypomoclij est crassitie; cujus renisum, pondus exignum aut non superat, aut superat pedetentim.

Quid sit tenera Conscientia in fugiendo malo explicatur comparatione cordis.

15. In euitando autem malo *tenera Conscientia* est, quæ vt sese mali species menti ingerit, aut etiam phantasiæ tantùm subit penetrale, illico percellitur: percussa verò, etiam voluntati terrorem incutit, malumque vt caueat, sedulò adhortatur. Sic sanè cordis teneritudo in hoc est posita, vt quoties sanguis grauior accurrit, aut venenato vapore inficitur & à quo per vim opprimitur; illico alteretur cor, pulsu per arterias edito inimicum prodat, & totum corpus quasi concitet, vt sibi adjumento sint membra omnia, medicinisque adhibitis infestus hostis depellatur. Ubi hoc quoque animaduertendum est, quòd quò tenerius est cor, & temperamenti magis exacti, eò & promptior est cordis perturbatio, & plura subrepentis mali, toto corpore emicant indicia. Teneræ inquam Conscientiæ est, ad mali conspectum percelli, atque illico diffidentem sui, præsidium è cœlo poscere, sibique interim advigilare quantocius. Et quò mens est delicatior, hôc etiam & perturbatur faciliùs, & auxilij rationes omnes circumspicit enixiùs. Neque tamen scrupulosas Conscientias, teneras voco: hæ enim, Conscientiæ nomen non merentur, vtpote quæ non judicio aguntur, sed peccatorum apprehensionibus omnino stultis, rerumque falsis phantasmatis, Tenera Conscientia, vera mala & dijudicat, & perhorrescit, & tandem cauet.

Crassa Conscientia in fugiendo malo quid sit.

16. Ubi contra quæ pinguior est & temperamenti crassioris, ad conspectum peccati mortalis non admodum perturbatur; neque voluntatem periculi admoner; neque subingressas in mentem aut phantasiam criminum suggestiones & scelerata phantasmata, aut timet aut fugat; quin potiùs iis colludit & delectatur. Quid dicam? admittitur à Conscientiâ hâc impurus sanguis: neque per judicij acrimoniam à fœcibus depurgantur cogitationes improbæ; sed prout sunt & prout fert casus, ad voluntatem emittuntur, iisq; circumplexa, consensum tandem præbet sceleri. Quodque omnino est pessimum, ne tunc quidem, cùm admissum est flagitium, alteratur Conscientia; sed ruinam animæ spectat impauida. Sic cor rusticum, graui terrenoque assuetum sanguini aut pabulo,

non multùm veneno intromisso perturbatur, quô tenerum & delicatum suffocaretur & fatisceret. Imo Mithridatem legimus, veneno, quod per gradus semper grauiùs attemperatum sumpserat, ita assuefactum; vt tandem quòd præsentissima aliis fuisset mors, in quotidianum ei versum sit, naturæque jam accommodum alimentum.

Qua sit mortua Conscientia, aut sine sensu.

Atque hinc tandem eluceſcet, quid sit *Conscientia indurata*, sine sensu, emortua, quam D. Paulus *cauteriatam* appellat, & quibus passibus in mortem eatur tam infaustam. Talis Conscientia est, quæ nec ad scelera committenda expauescit, nec commissis perturbatur; sed contra potiùs, vti Prophera ejusmodi peccatores describit, *quasi aquam bibunt iniquitatem*, id est facillimè; nec tantùm facillimè sed & jucundè; vtpote quibus jam scelera, naturæ facta sint pabulum. Testatur id Deus ipse; *vua eorum vua fellis & botri amarissimi. Fel draconum, vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Ecce, vt peccatoribus vina jam facta sint potusque suauissimus, quæ tamen cruditate suâ non tantum inficiunt animum, sed & mortem afferunt. 17. Iob. 15. v. 16. Deut. 32. v. 32. 33.

Maximum est peccatorum supplicium ea à Conscientia non sentiri: extremum verò, ea etiam dulcescere.

Ne tamen tibi abblandire, quisquis boni sensu adeo es destitutus; summam enim irritati Numinis indicium est, peccati virus non sentire; & postrema desperatæ uecalamitas, ita profligatum & peruersum esse animi sensum, vt tanta veneni amarities, etiam dulcescat. Per hanc sanè peruersitatem judicij, Israelitarum sceleribus lassatus Deus, se tandem de iis vindictam sumpturum minitatur. *Confortauerunt*, inquit, *manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitiâ sua. Facti sunt mihi omnes vt Sodoma, & inhabitantes eius quasi Gomorrha.* Itane verò? simili ergo puniantur supplicio, qui pares sunt scelere. Quin & majora ingeram, inquit Deus. Quæ? Audi. *Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle.* Quasi si dicat; tantam eorum palato viciſſitudinem inducam, vt non modò peccati amarorem auersaturi non sint, sed illud, instar cibi appetentes famelici, posituri sint quinimo in deliciis. Quid verò deinde? an enim hoc tam ingens est supplicium? Est sanè. Eò enim calamitatis cùm deuenerint, tum sanè castigabit eos Deus, suppliciisque exercebit grauissimis, sine vllâ emendandæ vitæ, pœnasque euadendi suspicione: quod profectò malorum omnium est extremum. Etenim qui Conscientiæ motus & pul- 18. Ierem. 23. v. 14.

sus

sus percipit, si quando Dei castigantis manum sentit, admonetur illico sceleris cujus amarorem in pœna ingestâ persentiscit; & sic tandem redit ad officium, Deique à se flagella per pœnitentiam amolitur. At cui scelera non tantùm in naturam, sed & in delicias sunt conuersa; is sanè, vti scelus non percipit, ita & quæcumque obueniunt flagella, non interpretatur Dei sese vindicantis esse supplicia; sed vel casu sibi obuenisse existimat, vel naturæ morbos esse, vel ætatis fatiscentis ægritudines, vel ex alienâ esse malitiâ quæcumque patitur; numquam verò Dei, mala per hos, tanquam per instrumenta, immittentis manum agnoscit: neque anteactæ per summam licentiam vitæ credit esse supplicia, qui scelerum commissorum Conscientiâ jam non tangitur. Cruciantur itaque non vt emendentur, sed vt orbi sint exemplo: justitiæque Diuinæ terrorem aliis dum incutiunt, alieno medentur sceleri, qui non terrentur suo.

19. Vides nunc denique, tandem indurari Conscientiam & emori; cujus sanè mors aliud quidquam non est, quàm justitium perpetuum, aut cessatio judicii quod de bonitate aut malitiâ actionum solebat ferre: nihil etiam pensi habens quid rectum sit aut honestum; sed quid vtile tantummodo, aut jucundum. Indurationem autem hanc aut mortem Conscientiæ, non alia causa inducit, quàm diuturna peccandi consuetudo & scelerum assidua agglomeratio. Diserte id per Jeremiam tradit Deus. *Plaga*, inquit, *inimici percussi te* infelix Israel: nam *propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua?* quòd scilicet tam inimicè tecum agam: *Insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua, feci hæc tibi.* Attendendum nunc est tantummodò, quibus paulatim passibus tanta Conscientiæ duritiès obueniat; aut sensum boni malique amittat.

Conscientia mortua est quæ de actionibus nihil judicat ex ratione aut mente Dei.

Ierem. 30. v. 14. 15.

Boni sensum amittit consuetudine peccandi.

20. Et primò quidem, vti Mithridates exiguas initio veneni guttas assuefaciendo stomacho, non tamen sine aliquâ cordis affectione & renisu instillabat; ita prorsus peccatorum species ad voluntatem allabuntur primò, iisque voluntas implectitur & consentit; reluctante tamen admodum Conscientiâ: adhuc enim tenera est & vitæ plena. Judicat itaque factum malè, sententiâ suâ mentem torquet, facitque vt se sui pudeat. Deinde accrescente scelerum vsu, deteritur paulatim omnis pudor, & debita Con-

Peccatur primò cum Conscientiæ motu & renisu

Deinde pudor amittitur, &

reuerentia Conscientiæ debita.

Conscientiæ reuerentia profligatur. Tandem consuetudine delibuta voluntas, peccatorum sordibus plenè delectatur; & volupe jam sit agere, quæ antea non sine aliquo, & quidem nonnumquam grauissimo, aggrediebatur animi cruciatu. Unde autem nunc tanta promptitudo & facilitas? Cessant nimirum Conscientiæ judicia: affectionum enim clamoribus præpedita, & carnis naturæque fuligine excœcata, quidquid siue per oculos, siue per aures, siue per tactum, siue per gustum, siue per phantasiam, internasque potentias ad mentem appellit, injudicatum an liceat an non liceat, atque indemnatum si non liceat, voluntati exhibet: atque eccum Conscientiæ justitium. Quin imò, ne periculi quidem incurrendi mentem admonet, nec vllo officij sui munere defungitur; prorsus sine motu est: atque eccum, Conscientiæ mortem vltimam, ad scelera non moueri. Excitabitur tamen à fatali veterno tandem in mortis articulo: & quod luctuosius est in vltimo judicii subeundi die: sed ad vitam reuocabitur in luctus tuos infelix anima; viuet illa, vt morte peiùs te excruciet, perpetuumque tibi vitâ suâ sit tormentum.

Denique Conscientia actiones nec faciendas nec factas examinat; & ab omni cessat judicio.

Mortua Conscientia sine peculiari Gratia miraculo non suscitabitur.

An nullum inquies tanto malo supereſt remedium? Profecto, vt clarè loquar, si ordinarium naturæ, imò & Gratiæ spectas ordinem, nullum est super, *in peccatis suis morietur.* Quo pacto enim à peccato desistet is, qui ejus dulcedine dementatus, de malitiâ nil quidquam judicat? Emortua jam dudum est Conscientia, *& in ipsâ, exitus vitæ.* Scio equidem Gratiæ prodigio, ad pristinum sensum à morte reuocari posse: & quidem ad ostentationem artis, famamque misericordiæ consequendam, nonnullorum profligatissimam Conscientiam à Deo fateor emollitam. Sed quis salutis æternæ negotium miraculis sinus credat? id est, quis Gratiis præter communem cursum sibi dandis, æternitatis causlam, nisi stultus sit, committat? Certè consultissimum est Salomonis monitum, *Omni custodiâ serua cor tuum* id est Conscientiam: primò quidem *quia ab ipsâ, vita procedit,* id est actionum omnium humanorum decor, laus, & concinnitas. Deinde eius curam diligenter gere, *quia in ipsâ, exitus vitæ.* Conscientiâ planè extinctâ, perdita est omnis res, quia desperata est penitus salutis spes. Utrumque vti credo, manifestè satis expositimus. 21. Ioan. 8. v. 21.

§. III.

§. III.

Conclusio. Itaque serua cor tuum. Ostenditur quòd nulla melior sit praxis seruandæ Conscientiæ, quàm eam obseruare & reuereri. Explicatur quanta sit, quæ Conscientiæ debetur, reuerentia; & quanti momenti sit hæc praxis, ad benè accuratèque viuendum.

Obseruanda plurimùm est Conscientia, ob magnam quâ pollet auctoritatem.

23. Studdenique, vt Salomonicæ sententiæ fiat satis, inquirendum restat, quæ demum cordis aut Conscientiæ custodia requiratur; aut quâ tandem methodo seruanda sit. Respondeo me non aliam inuenire æquè eximiam, & quæ aliarum multiplicium futura sit origo, quàm magnam de Conscientiæ suæ auctoritate existimationem concipere, atque ingentem ei in omnibus exhibere reuerentiam. Uno verbo dixero: Conscientiam obserua, & Conscientia seruabit te. Neque verò quanta sit eius auctoritas, multis est describendum. Satis enim ex dictis constat, illam esse oculum Dei, eiusque vicarias partes agere; actionum omnium directionem ab eius pendere dictamine; eam desideriis & cogitationibus etiam secretissimis interesse; ac denique ab eius sententiâ, salutis æternæ caussam, hîc in terris præjudicari, illamque in extremo judicio, pro Christi tribunali legitimè confirmandam. Tanta itaque cùm Conscientiæ tuæ sit auctoritas, eam imprimis obserua.

Conscientiam semper consule.

24. Et, quod primum obseruantiæ est indicium, nihil quidquam actionis institue aut ordire, nisi Conscientiæ judicium exquisieris. Eam itaque semper consule; tum præsertim, cùm affectionum turbulentis motibus agitaris; cùm carnis, sibi quod volupe aut commodum est importunis clamoribus exposcentis, petulantiam persentiscis. Id inquam semper Conscientiæ tuæ defer obseruantiæ, vt eâ inconsultâ aggrediaris nihil: & verò etiam, ab ejus dictamine, ad latum vnguem, non discedas. Sic non facilè emoritur Conscientia, dum officij sui, id est judicandi exercitio semper interest: & voluntas illi promptè discet obedire, cujus jurisdictionem reipsâ quotidie sponte suâ agnoscit & patitur.

Recordare Conscientiam tibi semper adesse tuisque actionibus, interesse.

Deinde magnum obseruantiæ indicium est, superioris sui conspectum reuereri. Hinc quisquis Conscientiam obseruare vult, istud identidem sibi præstituat, sese in illius, Pædagogi inquam sui, oculis semper obuersari: & si quidquam supereſt reuerentiæ, sanè pudebit, Conscientiâ teste, quidquam agere, quod ab eâ noueris non videndum tantummodo, sed & jure merito condemnandum. Ingens id erit sceleris frænum, si indomitis carnis animique affectionibus, ritè applicetur. Scio equidem præsentiam Dei, sæpe & pene perpetuò meditandam, continendis in officio animi motibus, cum summo fructu ab Ascetis commendari. Sed nescio an hæc Conscientiæ suæ semper sibi assistentis memoria, non sit æquæ futura ex re, & fortè etiam sceleribus continendis magis accommoda. Nam præterquam quòd qui Conscientiam reueretur, etiam Deo, cujus ea tantùm agit partes vicarias, obseruantiam defert; nescio quid id sit, quod longè facillimè Conscientiæ præsentiam nobis præstituimus, vtpote quam sensu ipso percipimus, cujus vocem exaudimus quotidie, & quam agentem persentimus; cùm Dei, cui intersumus & in quo mouemur, intimam præsentiam, non nisi actu Fidei, aut ratione à sensibus remotâ admodum, percipiamus: illa autem præ hâc, hominum vsibus est accommodatior; quibus etiam nihil tam familiare est, quàm sensu agi, iisque quibus assueuimus. 24.

Memoria præsentis Conscientiæ videtur homini expeditior, quàm præsentis Dei.

Itaque Conscientiam vt obserues, assidentem tibi, tuisque actionibus intendentem sæpius aspice; sed seriò & non perfunctoriè: atque ejus præsentiam & auctoritatem pudicè & ingenuè reuerêre. D. Ambrosij hoc est monitum, vtile imprimis & graue. *Nemo igitur*, inquit, *vel solus, vel cum altero, quidpiam turpe faciat: & si solus est, seipsum præ cæteris erubescat.* Præclara est, quam ex hoc capite, Virginibus pudicè viuendi institutionem Diuus tradit Basilius. Id sanè sanctissimè eas monet, castè vt agant etiam cùm solæ sunt; neque corporis partes vllas, nudas esse patiantur in conclaui exclusis arbitris, quas alieno conspectui sine rubore non ferrent esse conspicuas. Denique ita se gerant, prout necessitas fert, & prout quæ virginem honestam decet, pudicitia. Rationem adjicit hisce verbis, in rem meam. *Etsi enim adsit nemo, ipsa tamen sibi virgo adest; debetque seipsam reuereri: neque enim quæ reuerentur cæteros, seipsam reuerentiâ indignam judicabit.* Dignam D. Basilio, ejusque pudicitiâ sententiam! cui & istud libens adderem; neque 25.

Numquam te solum putes, cui semper inuigilat Conscientia.

D. Ambros. l. 7. epist. 44.

D. Basil. l. de Virgin. paulo ante medium.

neque enim, *quam reuerentur cæteri*, seipsam reuerentiâ indignam judicabit: neque quæ vllam ab alio pudicitiæ suæ, ne oculis quidem inferri labem pateretur, vllum etiam à seipsa dehonestamentum feret: ferret autem, si absque necessitate sic ageret, prout à nemine vellet deprehendi.

27. Magna imprimis est hæc obseruatio, non virginibus tantùm Castitati corporis conseruandæ admodum necessaria, sed & omnibus, quibus incorruptæ mentis pudicitiæ, & morum honestati propositum est consulere. Si enim oculis hominum, quibus reuerentiam debes, turpia subtrahis; cui quæso deferenda est major, quàm Conscientiæ, quæ & oculus est te tuaque intuentis Dei, & pædagogus actionumque moderator, & tandem judex? Sanè non vulgarem, hominibusque passim debitam, tantùm requirunt sapientissimè Diuus Ambrosius & Basilius: sed *præ cæteris* ille, hic verò *præ omnibus* vult, honorem sibi-ipsi à Virgine, & à quocumque homine deferri. Quod quidem ego sic intelligo, vt non singulis tantùm hominum, sed & omnibus, id est toti humano generi in vnum collecto locum, minor deferenda sit reuerentia, quàm soli & vnicæ Conscientiæ. Neque de hâc re vlla dubitatio relinquitur, siquidem Tract. 18. §. 1. & 3. ostensum est, majoris æstimandam esse Conscientiæ aut laudem aut vituperium, quàm totius orbis pro suo genio laudantis te judicia, aut etiam actiones tuas notantis contumelias. Magis ergo erubescendum est, turpiter agere Conscientiâ solâ teste; quam eâ ignorante, si fieri posset, atque insciâ sceleris, & spectante totius vrbis, imò orbis theatro ea committere, quæ sint pudori. Hanc itaque existimationem eximiam Conscientiæ cùm altè imbiberis, tum sanè alias seruandæ & obseruandæ Conscientiæ rationes aut methodos, necesse non est adferre me. Pædagogum habes fidelissimum, qui cuncta ad rem quæ sint, suo loco & tempore edicet. Ipsa tum Conscientia sic obseruata, seruabit te: docebitque securo fidentique, id est, læto animo inter homines versari, neque eorum oculos expauescere, etiamsi secretissima mentis arcana rimarentur non tantùm, sed & assequerentur penitus. Quis enim alienos oculos vereatur, qui honorat suos? non expauescit hominum vultus, qui Conscientiæ præsentiam reueretur; id est, sui sibique ingeniti in terris Dei.

Conscientiæ soli major deferenda est reuerentia, quàm omnium hominum simul collectorum oculis.

Felicem enimuerò si ejus oculis placere studeas; miserrimum verò te, conspectum eius si contemnis: nam vt omnium oculos effugias, nulloque alio teste conuinci possis criminis, tamen inquit D. Ambrosius, *abundat locuples testis Conscientia.* Idcirco qui rerum suarum satagit, *fugit etiam mala & opprobria, etiamsi credat non posse conuinci. Nam etsi clausis parietibus sit coopertus tenebris, sine teste, sine conscio; habet tamen facti arbitrum, quem nihil fallit, ad quem facta omnia clamant.* Quid deinde? Quod pessimum est, *seipsum vnusquisque & animum suum, seuerum judicem, sui vltorem sceleris, & vindicem criminis habet.* Ita Ambrosius. Et hinc fit, vti præclarè obseruat D. Bernardus, vt sit, *nullus de tantâ numerositate spectantium molestior oculus, suo: cujusque non est aspectus siue in cœlo, siue in terrâ, quem tenebrosa Conscientia fugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ, sed ipsæ se vident.* Ecce quantam Conscientiæ præ omnibus reuerentiam exhiberi Bernardus expostcat: vtpote cui nec in cœlo nec in terrâ, Diuinum si excipias, aspectum parem esse asserit, nec minùs euitabilem, nec magis formidandum.

D. Amb. l. 7. Epist. 44.

D. Bern. l. 5. de Consid. c. 1.

Magis erubescendum est peccare in oculis Conscientiæ, quam in Sanctorum conspectu.

28. Atqui ex his liquidò ego conficio, maiorem peccandi verecundiam debere incutere, solam Conscientiæ intuentis præsentiam, quàm Sanctorum felicitate æternâ fruentium, in scelus, dum committitur, defixi obtutus. Neque si rem penitiùs inspicias, tam heteroclyta videbitur, ac primâ fronte apparet propositio. *Etenim*, vt summam Sancti ex Diuinâ familiaritate, & Dei conspectu, felicitatem dignitatemque obtineant; tamen vicarias apud te Dei vices non obtinent. Atqui illas tamen jure amplissimo obtinet Conscientia. Quis autem tibi venerandus est magis, an is qui Deum videt, an verò is qui apud te Deum agit, & quidem legitimè? *Deinde* Sancti jurisdictione nullâ sunt instructi, actiones tuas vt aut approbent, aut reprehendant; id verò si faciant, charitatis exercent opus, non potestatis. Et tamen Conscientiæ in has, plena omnino competit jurisdictio; & quod vituperat, auctoritate vituperat. *Tertiò.* Sanctis actionum tuarum annotatio non est concredita, neque ex eorum actione contra te institutâ, à Christo dicetur jus. Conscientiæ hæc commissa; actoris partes gerit, eiusque sola accusatio habetur legitima, & testimonium authenticum. *Denique,* Sancti in horâ mortis te non propugnabunt

bunt nisi præcibus pro te fusis: Cõscientia verò se id ipsâ præstabit egregiè; omnibus quæ obuoluentur molestiis, auctoritatem suam interponet, eâque contra Dœmonis insultus reddet imperuium. Tanta igitur Conscientiæ apud te majestas cùm sit & imperium, quô nullum majus sub Deo datur; manifestum jam credo esse, majorem etiam ei, præ omnibus, reuerentiam esse deferendam; ac proinde & majorem erubescendi materiam peccatori à Conscientiæ conspectu, quam à Beatorum oculis subministrari. Et tamen, quanto & quàm intolerando pudore suffundendus esses, ô Peccator, si te agente turpiter, non dico totus Beatarum mentium cœtus, sed si vel vnicus tantùm Sanctus compareret, qui te infami vitio operam dantem subitò deprehenderet? vt toto corpore expallescerés! vt latebras gemebundus perueſtigares! vt te denique, actionemque, jam tibi etiam pudendam, eiurares! Quî fit ergo vt jam parum te pudeat, vbi major peccantem turpiter, Conscientiæ majestas intuetur? Certum mihi est auctoritatem eius te non agnoscere, ad cujus conspectum tam leuiter erubescis,

Ex paruâ Conscientiæ existimatione, in omne nefas itur.

29. O vtinam excellentem illam quæ Conscientiæ debetur opinionem, altè animo infixam gereremus! quantâ tum sollicitudine, & curâ quàm exactâ, illi allaboraremus satisfacere & morem gerere! Quàm tunc humani oculi essent despicatui, quibus placere nunc omne est studium! Eos dum euadimus, salua censemus miseri omnia. Hinc in omne nefas, modò occultum sit, tam facilis est prolapsus; hinc cogitationum inhonestarum congeries; hinc desideria impudica; hinc falsimonia & perjuria; hinc machinationes injustæ; hinc cædes clancularię; hinc adulteria; hinc denique scelerum tanta colluuies: nihil nunc inausum facit latendi spes, aut fiducia. Interim illam non lates miser, apud quam de malâ notâ insigniri, extrema est infelicitas. Nihil eam præterit, nihil non in acta refert, nullius obliuiscitur, nihil non accusabit. Et tu, qui homines times nil quidquam nocituros, hanc non reuereris quæ Dei vices agit? Infelicem enimuerò te, qui non nisi latebris, tuam causſam speras te posse defendere: infeliciorem verò, quod latendi fiducia, ad pessima quæque animos faciat, imò audaciam.

Annulum præstigiis & incantationibus infamem habuisse dicitur Gyges, cuius attactu, hominum oculis subtrahebatur. Hoc armatus, quid non est ausus, homo nefarius? Certè Cicerone teste, annuli huius præsidio, reginæ Lydiæ vitium obtulit & stuprum intulit; Regem interfecit, & Lydiæ principatum tyrannus inuasit. Quid de annuli virtute sit, fides sit penes auctores. Non annuli has artes fuisse existimo, vt turpes adulteri celarentur concubitus; sed complicis fœminæ fœdos amores, & marito exoso in alios procaciter suspirantis amplexus: latendi quæsiuit vias adultera, & facilè inuênit. Quidquid sit, audi nunc D. Ambrosium in rem meam. *Da hunc annulum Sapienti*, inquit, *vt beneficio eius possit latêre cùm deliquerit; non minùs fugiet peccatorum contagium, quàm si non possit latêre. Non enim latebra sapienti spes est impunitatis, sed innocentia.* Non potuit quidquam in hanc rem dici præclarius. Cicero l. 3. offic. D. Amb. l. 2. offic. c. 3.

Homines dicunt te esse laude dignum, sed nō faciunt: Conscientia te facit, quod te esse dicit.

30. Ne itaque tantâ accuratione famæ studeamus; nec de nomine apud homines obtinendo, tam anxiè simus soliciti: sed si quid seruandum est, *omni custodiâ serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit*; & non ex bonâ famâ, & malâ interim re. Ex bono nomine consequeris quidem, signari digitis *& dicier, hic est*: sed quid hoc te iuuerit, si quod diceris non es? Certè aliena dicta nil prosunt, quæ nihil superaddunt: quinimo excruciant magis: exprobrant enim tacitè te non esse, qui debueras. At verò Conscientiæ voces æstimandæ sunt quàm maximè: faciunt enim esse te, te esse quod pronuntiant. Neque si virum probum te proclamat Conscientia, id tantùm asserit, sed facit asserendo: id enim quisque reipsâ est, probus aut improbus, quod Conscientiæ suæ est testimonio. Ipsam igitur sedulus obserua & reuerêre, quoniam *ex ipso vita procedit*, nec qualiscumque tantùm vita, sed iucunda prorsus, vegeta, alacris, timoris exors & tristitiæ; denique quæ perpetuam animo sereno inducat tranquillitatem.

Pacem cū Conscientia serua, vt quietè vi-ua.

31. Animo itaque, imò & corpori si benè vis, omni custodiâ vitam Conscientiæ, eam obseruando, serua: quoniam ab ipsâ est tota mentis serenitas, quæ corpus etiam suo vi-

gore

gore afficiat. Expertus fortè es, quantos non animo tantùm, sed & corpore cruciatus sustinueris; quæ tœdia, quæ fastidia, non mentem solummodò subierint, sed & somnum interceperint, totamque vitam mœrore infecerint, quamdiu Conscientiam passus es infestam: pax iam coaluit, salua est res. Gratulor sanè. Sed cautè amicitiam redintegratam cole; ne si eam rursus irritaris, exprobret amarissimè, frustra à se impensa studia, & gratiam ab offenso Numine nequidquam tantis laboribus procuratam. Deinde istud age, vt semper in te viuat Conscientia, nullumque in secreto mentis tribunali iustitium intercurrat.

Quanam sit Conscientia cui tutò possis acquiescere.

32. Itaque si Conscientia tibi tranquilla est, nullamque de anteactâ vitâ actionem instituat; id est, si nullius tibi sceleris commissi es conscius, quod pœnitudine animi expiatum non sit, teste Conscientiâ: deinde si tam fidelem officiique sui tam studiosam experiris, vt quantociùs periculi te commonefaciat, quoties vel minima occurrit peccandi occasio vel suspicio: denique si stimulos illico & quidem acres admouet, quoties à recto est aberratum: est sanè tibi quod applaudam. Conscientiam habes optimam, pædagogum exactissimum, & cui tutò possis fidere. Non alios habet thesauros orbis, neque delicias alias hæc misera vita, quàm quas, quæ talis est, liberalissimâ manu conferet Conscientia. Paradisus hæc est animæ, atrium cœli, sponsi lectulus, cui dum incumbo, *in pace in idipsum dormiam & requiescam*, quoniam dum Conscientiæ teneris amplexibus circumfundor, *tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

Psal. 4. v. 9. 10.

Conclusio operis.

33. Itaque dicamus cum Diuo Paulo: *Gloria, & honor, & pax omni facienti bonum.* Gloria sit apud Deum: apud quem glorioſum esse, solida tantùm est gloria: hanc autem nemo asserit, nisi sola Conscientia, cuius vnicum testimonium, tota Pauli est gloria. Deinde honor sit inter homines; qui quantumcumque actionibus hominis probi ac iusti officiant verbis & obganniant; tamen benè agentem, animo laudant taciti, penitusque approbant, quod sint qui, *in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in prudentiâ carnali, conuersantur in hoc mundo.* Denique pax tibi sit cum teipso; eritque procul-

ad Rom. 2. v. 18.

2. Cor. 1. v. 12.

proculdubio, & quidem jucundiſſima. Etenim voluntas Conſcientiæ acquieſcit, Conſcientia voluntatem habet bonam, id eſt, in omnibus morigeram, in omnibus ſibi obſequentem: itaque indubitata eſt *pax hominibus bonæ voluntatis.* Neque aliud neque ſecurius gaudium quàm quod ab hâc pace confertur, in hac lachrymarum valle poteſt expectari. Hoc igitur læti fruamur; donec ab hoc exilio tranſlati, ad æterna admittendi ſumus gaudia, quorum pignus certiſſimum, bona, in ſinu ſuo, fert Conſcientia.

Ad majorem Dei gloriam.

FINIS.



INDEX

INDEX

RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN SECVNDA PARTE ARTIS SEMPER GAVDENDI CONTINENTVR

Actiones humanæ.

QVÆnam actiones sint laude aut vituperio dignæ. Item quæ naturales & indifferentes. Tr. 20. n. 5.

Actionum humanarum arbitra est Conscientia, in iudicando infallibilis & incorrupta. Tr.9.n.12.13.14

Aliud est agere vel egisse bene; aliud verò agere vel egisse bonum. Tr..9.n.13

Actiones suas omnes condemnare, non est viri perfecti. Huius est in nœuos etiam minimos inquirere, vt operum bonitatem augeat. Tr.9.n.27.28.29.

Explicatur D. Gregorij sententia asserentis, Bonarum mentium esse culpam agnoscere, vbi culpa non est. Tr.9.n.30. 31. 32

Explicatur tripliciter locus Christi. Cum feceritis omnia quæcumque dixero vobis, dicite serui inutiles sumus Tr..9. n.33.

Diabolus persuadere nobis vult, actiones omnes nostras condemnandas esse velut malas, vt ad pusillanimitatem nos pertrahat. Tr.9.n.34.

Aliud est gaudere de actione bene à se præstitâ, aliud verò gaudere de se, & sibi placere. Tr.9.n.39

Actiones quædam clandestinè agendæ sunt etiam à bomi sibi conscio. Tr.18.n.26

Aculei Conscientiæ: *vide* Stimuli.

Affectiones animi.

Per passiones obscuratur Conscientiæ dictamen aut sententia. Tr.10.n.11

Appetitibus naturalibus datur bene posse vti, & ideo non sunt mali, & dici possunt boni. Tr.13.n.23

Amor Dei.

Error multorum circa Amorem Dei super omnia. Tr..12.n.26.

Amor alius affectuosus, alius appretiatiuus: vterque exponitur. Tr.12.n.27

Amorem affectuosum super omnem affectum, Deus non exigit: exigit autem amorem appretiatiuum sui super omnia. Tr.12.n.28.

Vt amorem Dei super omnia bona exites, non est instituenda cum aliis bonis comparatio. Tr.12.n.30.

Amor Dei quid habeat commune cum Contritione. Tr.12.n.34

Amor Dei super omnia, detestationem pec-

cati virtute continet. Item quid sit eam virtute continere. Tr.12.n.35.36
Amor Dei super omnia, inefficax tamen vt peccata deleat extra Sacramentum, merum commentum est inauditum in Ecclesiâ. Tr.13.n.34.35
Et in Baio condemnatum. Tr.13. n.36.37
Amor iustitiæ non denotat actum amoris Dei super omnia apud S. Augustinum, vt quidam falsò asserunt; sed significat merum desiderium adimplendi iustitiam. Tr.13.n.58
Actualis amor Dei, signum est euidens obtentæ à Deo peccatorum gratiæ. Tr. 17.n.49.
Moraliter fieri non potest, vt qui sæpe amoris actum conatus sit elicere, nullum vmquam bonum aut supernaturalem elicuerit. Tr.17-n.53

Anima.

Animæ ægritudo quid sit. Tr.20.n.7
Animæ ægritudo ex pulsu Conscientiæ dignoscitur. Tr.20.n.8
Animæ numquam bene est, nisi prius bene sit Conscientiæ. Tr.20.n.9

Antiochus.

Antiochus dolorem habuit peccatorum, nec tamen contritus fuit aut attritus. Tr. 12.n.14

Antiochena adultera.

Historia à S. Augustino relata de Antiochenâ adulterâ expenditur. Tr.3.n.29. & seq.

Antoninus

D. *Antonini quæ sit apud Theologos auctoritas in historicis.* Tr.14.n.29

Attritionis natura.

Attritio quomodo dicatur à Tridentino imperfecta. Tr. 13.n.3
Attritio imperfecta est negatiuè, non tamen priuatiuè. Tr.14.n.49. & seq.
Attritionem omnem malam esse docuit Lutherus. Tr.13.n.5.
Refutatur ex Scripturis, & D. Augustino. Tr.13.n.8. & seq.
Condemnatur hæreseos à Tridentino. Tr. 13.n.15. & seq.
Tridentinum non loquitur de Attritione ortâ ex Charitate imperfectâ, sed ex mero timore ortâ. Tr.13.n.32. & seq. item n.38.
Attritio orta ex charitate imperfectâ in Ecclesiâ olim inaudita. Tr.13.n.34. & seq.
Probatur id ex Iansenio. Tr.13.n.35.
Datur Attritio quæ sit supernaturalis, idque probatur. Tr.13.n.40. & seq.
Attritio supernaturalis orta ex timore gehennæ, excludit voluntatem omnem peccandi de cætero. Tr.13.n.47. & seq.
Attritio non est actus coactus, sed prorsus liber. Tr.13.n.54.
Attritio supernaturalis orta ex timore, sufficit ad obseruandam totam legem; eamque qui sic seruat, obseruat ex amore iustitiæ. Tr.13.n.55. & seq.
Attritionem non facit solus timor gehennæ, sed adiungendus huic est amor, id est, desiderium iustitiæ. Tr.13.n.6.
Hinc soluuntur loca D. Augustini quæ in contrarium afferuntur. Tr.13.n.62. & seq.
Attritionis & Contritionis differentia varia. Tr.14.n.1. & seq.
Quæ attritio seruilis sit & mala. Tr.14. n.8
Quomodo ex timore seruili generetur Attritio non seruilis. Tr.14.n.9. & seq.

In Attritione nihil est seruile. Tr.14. n.13.
Attritus redit ad finem suum vltimum per actum concupiscentiæ seu spei. Tr.14. n.12
In Attrito nullus manet affectus peccandi, nequidem conditionatus. Tr.14.n.14
Aliud est ducere volo peccare si non essent pœnæ, aliud verò, Vellem: cum hoc actu stat Attritio, imo & Contritio. Tr. 14.n.14.15

Attritionis efficacia.

Attritio cum Sacramento sufficit ad absolutionem peccatorum. Probatur id variè. Tr.14.n.17. & seq.
Neoterici quidam volunt Attritioni iungendum esse tenuem & inefficacem aliquem actum charitatis. Fusè refutantur. Tr.14.n.19. & seq.
D. Augustinus præter Attritionem, nullum actum Charitatis requirit, necessarium ad percipiendum fructum Sacramenti. Tr-14.n.25
Suarez numquam docuit sententiam de Attritionis efficaciâ non esse certam, nec valde antiquam, nec multùm communem. Male à Feruacquio citatus Suarez qui omnia contraria docuit. Tr. 14.n.27
Aduersariorum rationes non impetunt, nec tangunt veram, quam Ecclesia docet Attritionem, sed aliam sibi fingunt vt eam impugnent. Tr.14.n.33
Orthodoxa & communis de Attritione sententia, omnino certa est. Tr.14.n.34. 35
Etiamsi fortè non sit de Fide, ideo tamen non est incerta. Tr.14.n.36.37
Attritio sufficit in Confessione vltimâ quæ circa finem vitæ fit, nec illi necessariò ex præcepto præmittenda est Contritio. Tr.14.n.41. & seq.
Nequidem ex lege charitatis sibi debitæ. Tr.14.n.42. & seq.
Attritio cum Sacramento tam est efficax ad delenda peccata, quàm sola Contritio. Tr.14.n.51
Non est hominis aut doctoris priuati decernere quid sit magis commendandum generatim populo, Contritio an Attritio. Tr.14.n.52
Multis magis conuenit per timorem excitari ad Attritionem. Tr.14.n.52
Tam Attritio quam Contritio populo commendanda. Tr.13.n.53
Censura Sorbonæ lata contra doctrinam aduersam efficaciæ Attritionis cum Sacramento. Tr.14.n.44

Auctores.

Catalogus Auctorum docentium licitè agi ex opinione probabili. Folio 133

D. Augustinus.

D. Augustinus numquam dubitauit an mulier Antiochena licitè ad seruandam vitam coniugis, adulterium commiserit; sed dubitauit, an id fœminæ & maritus ex ignorantia inuincibili putarint licere. Tr.3.n.29
D. Augustinus in hâc historiâ supponit dari posse ignorantiam inuincibilem iuris naturæ. Tr.3.n.29
D. Augustinus quædam ex ignorantiâ facta improbat. Exponitur quænam ea sint. Tr.3.n.34
D. Augustinum semper in ore habent aduersarij; bene an malè, id quidem perinde est, modò sibi plausum faciant. Tr.3.n.49
D. Augustinus clarissimè sentit licitum esse operari ex opinione probabili. Tr.4. n.35.36
D. Augustinus nusquam docet è naturâ

omnis timoris esse retinere voluntatem peccandi si infernus non esset, aut faciendi id quod ex metu iam non facit. Tr.13.n.50

D. *Augustinus per amorem iustitiæ intelligit desiderium iustitiæ, non verò actum amoris Dei dilecti super omnia.* Tr.13. n.58.59

D. *Augustinus nec vllus SS. Patrum suam sententiam contra Pontificum aut Ecclesiæ auctoritatem vmquam defendit.* Tr. 5.n.43. Tr.13.n.66

D. *Augustinus præter meram Attritionem, nullum actum Charitatis requirit necessarium ad percipiendum fructum Sacramenti.* Tr.14.n.25

D. *Augustinus Charitatis nomine, sæpe intelligit bonam voluntatis affectionem, seu boni-volentiam.* Tr.13.n.65

Caluinus Caluinistæ.

Caluinus & hæretici docent Confessionem carnificinam esse, & esse impossibilem: refutatur vtrumque. Tr.15. n.15. & seq. item 20. & seq.

Caluinus falsò statuit nulla dari peccata quæ ex natura suâ sint venialia, sed omnia esse mortalia. Tr.15.n.17

Caluinus vult omnes tentationes, & motus primo-primos esse vera peccata. Quod refutatur. Tr.15.n.17

Caluinus disertè se præfert D. *Augustino.* Ibid.

Caluinus & Caluinistæ volunt quemuis debere credere vt articulum fidei se esse filium Dei seu in statu gratiæ. tr.17.n. 22.23

Refutatur fusè hæc hæresis. tr.17.n.24

Caluiniana fiducia viam aperit omnibus sceleribus. tr.17.n.25

Caluinistarum sententiæ nullo modo sibi cohærent. tr.17.n.26

Faciunt articulum Fidei, id quod non est in Scripturis. tr.17.n.27. & seq.

Nusquam in Scripturis est quod Caluinus sit in statu gratiæ. tr.17.n.30.& seq.

Ex Caluinistarum sententia sequitur quòd omnis verè fidelis possit mutare religionem quoties vult, sine salutis aut etiam religionis vllo præiudicio. tr.17. n.32

Caluiniani non debent esse soliciti de iis qui ab ipsorum secta desciscunt. tr.17. n.33

Si vera est Caluini sententia, nemo qui vmquam fidelis fuit est damnatus; aut Iudas proditor numquam fuit fidelis. tr.17.n.34.

Caluinistæ reformant & inuertunt fiduciam quam de suâ salute habuit D. Ioannes Apostolus. tr.17.n.35

Calumniæ, Conuitia, Calumniatores.

Per calumnias & dicteria quidam conantur sententias suas stabilire; cum his tamen agendum modestè. tr.3.n.37

Ignorantia iuris naturæ, & immunitas peccati ex eâ orta, acriter à quibusdam, & per calumnias perstringitur. tr.3. n.38

Quidam vt sibi plausum faciant, magno apparatu multas Patrum sententias congerunt, vt probent res quæ à nemine negantur. tr.3.n.39.

Quidam semper eadem argumenta voce & scripto afferunt, licet sæpius clarissimè iis sit responsum; & quidem linguâ vernaculâ id agunt, vt populo sic imponant. tr.3.n.49

Quidam calumniantur per sententias quasdam Catholicas destrui sanctissima moralis Theologiæ fundamenta. Id semper ore crepant. Petitur ab iis quænam ea fundamenta sint. Exponuntur tria. tr.3.n.51.

Calumniæ & conuitia in sententiam de opinione probabili sequendâ à quibusdam iactitata. tr.4.n.14
Item in omnes passim Theologos sparsæ ab iis iniuriæ. tr.4.n.15.16.
Calumniis & conuitiis agere, aduersatur iuri naturæ. tr.4.n.17.
Calumniari non est signum teneræ & strictæ Conscientiæ, quam tamen hi calumniatores semper verbis præ se ferunt. tr.4.n.18
Calumniatores hi à Pontifice, & Senatibus Regiis Parisiensi & Aquensi condemnati, eorumque libelli exusti. tr.4.n.19
Callidè mutant aduersarij statum quæstionis, in controuersiâ an liceat sequi opinionem probabilem relictâ probabiliori, vt hanc sententiam calumniis liberiùs, & vt videtur non sine fundamento impetant. tr.5.n.36
Calumniæ quibus impetitur vera de Attritione sententia. tr.13. in procœmio.
Calumniæ eorum qui non nisi graues pœnitentias in Confessione iniungendas esse contendunt. Fusè refutantur. tr.16.n.7. & seq.
Vnicus calumniator sufficit vt turbet pacem viri boni. tr.18.n.2
Huic malo compescendo remedium est, contemptus. tr.18.n.3
Probitas vitæ calumniatori pudorem iniicit. tr.18.n.32.

Caro, Corpus.

Caro fere omnium scelerum est complex. tr.16.n.31.
Carni cedunt præcipua scelerum emolumenta. tr.16.n.32
Caro animum ad peccandum instigat. tr.16.n.33
Caro ad agendam pœnitentiam imbecillis, ad peccandum verò satis robusta, etiam in tenerrimis. tr.16.n.34
Carni debet anima subiraſci, eamque castigare ne insolescat. tr.16 n.39.40
Seuerit.as illa, clementia est. tr.16.n.42
Carni bene sit cùm duris exercetur. tr.16. n.57.
Cur maior percipiatur verecundia ex peccatis carnalibus, quàm spiritualibus. Datur ratio. tr.10.n.31.32
Vide. v. Pœnitentiæ corporales.

Certum, Certitudo.

Præceptum non agendi nisi ea quorum veritas & obligatio certò constat, vt fert aliquorum dogma, à Deo latum non est, nec ferri potuit. Probatur fusè. tr.4. n.39.& seq.
Non omne quod de fide obligante non est, incertum est aut non certum. tr.14. n.36.37.38.
Differentia inter id quod est certum simpliciter, & id quod est certum fide Diuinâ seu obligante, expenitur. tr.14.n.38
Certitudo obiectiua quid sit. tr.17.n.11
Certitudo subiectiua quid sit, & vnde oriatur. tr.17.n.12.13
Certitudo Fidei quid sit, & vnde oriatur. tr.17.n 15
Certitudo physica, & eius exortus. tr. 17.n.16
Certitudo moralis quid sit, & vnde nascatur. tr.17.n.17.18
Quâ ratione vnum altero dici possit certius. tr.17.n.19.
Non semper est certior qui credit id quod est certius. tr.17.n.20
De certitudine obtentæ gratiæ, seu quod simus filij Dei, vide verbo. Gratia.

Charitas.

Charitatem imperfectam dari quæ sine Sacramento

cramento non deleat peccata, figmentum merum est, & inauditum in Ecclesiâ. tr. 13. n. 34
Condemnatum id est in Baio. tract. 13. n. 36
Charitatis nomine sæpe bonam voluntatis affectionem, seu boni-volentiam intelligit D. Augustinus tr. 13. n. 65
Vide v. Amor Dei.

Christus.

Christus throno Gratiæ modò præsidet, quia hominum maximè miseretur tr. 15. n. 2
Christus thronum Gratiæ Sacerdotibus tãquam vicariis suis concredidit. tract. 15. n. 3
Cur Christus potestatem absoluendi sibi non reseruarit, aut saltem cur eam non commiserit Angelis. Cur Petro, & quidem quondam peccatori. tract. 15. n. 4. & seq.
Ex Christi institutione prouenit obligatio sigilli Confessionis. tr. 15. n. 38
Christi prouidentia in cauendo Confessionum secreto, ne reuelentur nequidem à Sacerdotibus à fide apostatis. ibidem.

Concionator.

Concionatoris, est Theologica dogmata populo clare explicare. tr. 2. in proœm.

Confessionis Sacramentum.

Alia longè est quæstio, an circa finem vitæ exercendus sit aliquis actus Charitatis; alia verò an actus Charitatis præcisè in Confessione vltimâ ex præcepto sit inserendus, vt Confessio sit bona. tr. 14. n. 40
Confessioni vltimæ in fine vitæ faciendæ, non debet ex præcepto præmitti actus Contritionis, sufficit Attritio. Probatur id fusè. tr. 14. n. 41. & seq.
Confessionis Sacramentum cur concrediderit Christus hominibus, tamquam suis vicariis. tr. 15. n. 3
Cur peccatoribus in peccatores dederit Christus absoluendi iurisdictionem. tr. 15. n. 5.
Differentia inter Senatum politicum, & sacrum Confessionis tribunal in præstandâ reo gratiâ. tr. 15. n. 7. & 42
In Sacramento pœnitentiæ non datur scelerum gratia, quin & detur Gratia amicitiæ seu sanctificans. tr. 15. n. 9
Hæretici dicunt Confessionem peccatorum esse carnificinam, & esse impossibilem, sed ex falsis hypothesibus. Ostenditur vtrumque falsum. tr. 15. n. 15. & seq. item n. 20. & seq.
Verecundia ex Confessione orta, per Sacramenti & Confessionis ingentia commoda compensatur. Exponuntur ea commoda. tr. 15. n. 40. & seq
Declarantur in Confessione scelera, vt æternitate totâ occultentur. tr. 15. n. 41
Quæcumque bona absolutio delet omnia peccata quæ in præcedentibus Confessionibus defectu Iudicis aut Confessarij non fuerant condonata. tr. 17. n. 51

Confessionis faciendæ modus.

In Confessione non defenditur, sed accusatur crimen ab ipso reo. Et datur ratio cur hoc sic debeat fieri. tr. 15. n. 12. 13
Pœnitentem decet humilis compositio tum animi tum etiam corporis, dum ad Confessionem accedit. Et quare. tr. 15. n. 14
Omnia mortalia in Confessione aperienda esse probatur quatuor rationibus. tract. 15. n. 19

Venialia

Venialia peccata non sunt necessaria materia Confessionis. tr.15.n.21
Peccator qui diu peccatis assueuit nec omnium potest recordari, confiteatur ea, quorum post factam moralem diligentiam, bonâ fide recordatur. tr.15.n.23
Neque post Confessionem sic factam, amplius examinanda sunt peccata. tract. 15.n.24
Quid faciendum, si postea casu occurrant non confessa. tr.15.n.24
An confitenda quæ probabiliter peccata non sunt: an etiam dubia. tr.15.n.26
Quomodo in Confessione distinguendæ peccatorum species. tr.15.n.27
Quomodo peccatorum numerus exponendus. tra.15.n.28
Pœnitens dum confitetur, non agat rhetorem, nec crimina sua exaggeret. tract. 15.n.31
Non etiam agat causidicum, nec peccata excuset. tr.15.n.32
Non accuset alios, sed tantùm se. tr.15. n.33.
Non agat historicum, nec fusè narret peccata, sed breuibus & claris, sed quàm potest maximè pudicis verbis. tr.15. n.34
Qui bonâ fide semper est confessus, curet non tam antiqua peccata per Confessionem repetere, quàm nouam de omnibus generatim Contritionem excitare. tract. 17.n.54
Consulendo pudori licitum est, adire Confessarium cui reus ignotus sit. tract.15. n.39
Nemo tenetur confiteri per interpretem. tr.15.n.38

Confessionis sigillum.

Quanta sit sigilli Confessionis obligatio. tr.15.n.37
Obligatio hæc est ex ipsâ institutione Christi, nec datur casus, in quo licitum sit Confessionem reuelare. tr.15.n.38
Confessario deponenti ex scientiâ Confessionis, in Iudicio non creditur. tr.15.n.38
Christi prouidentia, in cauendo secreto Confessionum, ne reuelentur inter hæreticos à Sacerdotibus apostatis. tr.15.n.38

Confessarius.

Confessarius non det scrupuloso dictorum suorum rationem. tr.8.n.34
Confessarius non sinat scrupulosum multis secum agere de scrupulis; nec ipse veterum scrupulorum ei mentionem faciat. tr.8.n.36
Confessarium scrupulosum sæpius ob eandem rem ad se redeuntem non admittat. tr.8.n.38
Confessarius scrupuloso asserenti vltimam hanc fore Confessionem quam postulat de præteritis instituere, nullo modo credat, ne iurato quidem: nec permittat eam Confessionem institui. tr.8.n.38.
Confessarius modò ad Contritionem, modò ad Attritionem excitet pœnitentem, pro huius dispositione. tr.14.n.42

Confessionales pœnitentiæ.

Priuati humanis aut Doctoris non est Confessariis omnibus in dandis pœnitentiis leges præscribere. tr.16.n.11.14
Confessarius in pœnitentiis iniungêndis qualitatem criminum spectare debet, non verò semper quantitatem. tr.16.n.13
Confessarij vicarij sunt Christi, sed miserantis, non castigantis tr.16.n.15
Demonstratur imprudentia eorum qui dicunt, semper graues pœnitentias iniungendas. tr.16.n.16.17
Cum magno fructu sæpe, pro grauibus delictis impositæ minimæ pœnitentiæ. tr. 16.n.17

Imprudentis

Imprudentis Confessarij est, promiscuè graues pœnitentias imponere. tr.16.n.22
Scandalizantur fideles ex nimio Confessarij rigore. tr.16.n.23.24. & seq.
Confessarius sit benignus in alios, in se verò rigidus exemplo S. Francisci Xauerij. tr.16.n.25. & seq.
Vide v. Pœnitentiæ Sacramentales.

Conscientia in genere.

Conscientiæ nostræ plenum actionum nostrarum iudicium cessit Deus. tract.1.n.17.18
Conscientia est arbitra actionum infallibilis & incorrupta. tr.9.n.12.13.14
Conscientia sibi ipsi mentiri non potest. tr.17.n.44
Conscientiæ bonæ commoda & deliciæ. tr.1.n.19.20
Variæ de Conscientiâ Patrum encomia. tr.1.n.22. tr.2.n.2
Conscientia bona cœlum est in terris. tr.1.n.23
Conscientiæ componendæ ars est præstantissima, maximè necessaria, & facillima. tr.1.n.24
Conscientia quomodo rectè vocetur mortalium Deus. tr.2.n.3. & seq.
Conscientia Vicarius atque oculus Dei. tr.10.n.10
Conscientia regula proxima est agendorum; actorum iudex; malefactorum reconciliatrix. tr.2.n.4.5.6.
Conscientiæ definitio. tr.2.n.7
Conscientiæ vis. tr.2.n.8
Conscientia non est in voluntate. Contra Ægidium, cuius rationes fusè refelluntur. tr.2.n.9. & seq. item n.15. & 20
Conscientiam malam quis habere potest, v.g. in materiâ pudicitiæ, & tamen habere virtutem pudicitiæ: & contra. tr.2.n.11
Voluntas bona non est Conscientia, sed hanc arguit aut indicat. tr.2.n.14
Conscientia non est scientia agendorum in genere, seu Synderesis; sed est iudicium agendorum in particulari. tr.2.n.15. & seq.
Qui maximam habent scientiam, sæpe nullam habent Conscientiam. tr.2.n.18
Vnde id fiat quòd multi boni speculatiui, practici autem sint pessimi. tr.2.n.20
Conscientia magis flagitanda à Deo, quàm scientia. tr.2.n.19
Conscientiæ cum Senatu supremo symbolizatio. tr.2.n.21. & seq.
Conscientiæ cum corde varia symbolizatio. tr.20.n.4. & seq.
Omnis Conscientiæ euariatio, per comparationem bilancis exponitur. tr.7.n.2.3
Conscientia obligans quid sit. tr.2.n.23
Conscientia consulens & permittens quid sit. tr.2.n.24
Conscientia premens quid sit; & quid sit agere contra Conscientiam. tr.2.n.25
Conscientia attestans quid sit. tr.2.n.26
Conscientiæ iudicium decretorium quid sit. tr.2.n.17
Conscientiæ laus & bonum testimonium quid sit. tr.2.n.28. tr.9.n.19
Conscientia morsus & vermis quid sit. tr.2.n.29
Conscientiæ liber quid sit. tr.2.n.30
Conscientia cur dicatur bona aut mala, cum bonitas & malitia sit in voluntate, Conscientia verò in intellectu. trac.2.n.34
Conscientia cur dicatur munda aut immunda, aut sceleribus plena. tr.2.n.35.36
Conscientia cur dicatur cauteriata, aut cæca. tr.2.n.37
Conscientia cur dicatur læta. tr.9.n.22

Conſcientiâ bona quid ſit, quid verò mala. tr.20.n.13
Conſcientia tenera, ſeu ad agendum bene prompta, quid ſit. tr.20.n.14. tr.8. n.2.3.
Conſcientia craſſa, ſeu lenta ad agendum benè, quid ſit. tr.20.n.14
Conſcientia tenera in fugiendo malo quid ſit. tr.20.n.15
Conſcientia craſſa in fugiendo malo quid ſit. tr.20.n.16
Conſcientia bona maximum in mortis articulo ſolatium. tr.19.n.10.& ſeq.
Synopſis eorum quæ ſex tractatibus de Cõſcientiâ dirigente dicta ſunt. tr.9.n.1. & ſeq.
Quænam ſit Conſcientia cui tutò poſſis acquieſcere. tr.20.n.32

Conſcientia certa, erronea.

Conſcientia certa quid ſit. tr.3.n.1
Conſcientiæ certò obliganti etiamſi erroneæ, ſed tamen bonâ fide erranti, ſemper nihilominus parendum. tr.3.n.6. & ſeq.
Conſcientiam errantem ſed bonâ fide, verè obligare probatur fusè ex D. Paulo. tr.3.n.9.10
Conſcientiæ erroneæ auctoritas, tota à Deo eſt, non aliunde. tr.3.n.11.12
Contra Conſcientiam erroneè obligantem non peccatur, niſi iudicium Conſcientiæ ſit omnino certum & indubitatum. tr.3.n.14.
Item debet eſſe in errante libertas ad ponendam vel non ponendam actionem illam, circa quam erratur. tr.3.n.15
Libertatis defectu, à peccato eximitur quædam pia virgo admodum blaſphema, & tamen innocens. tr.3.n.16
Item quidam committens plurima, vt putabat, homicidia. tr.3.n.17.
Conſcientiæ per errorem, ſed bonâ fide actionem aliquam malam permittenti impunè paretur & abſque peccato. tr.3. n.19. & ſeq.
Vide præter hæc. v. Error, Ignorantia. Incogitantia.

Conſcientia ex opinione probabili formata.

Conſcientia probabilis, ant potius ex opinione probabili formata quid ſit. tr.3. n.2
Aliud eſt certò iudicare an lex obliget, aliud vero an hæc actio poſſit fieri nec ne. Sine hoc vltimo iudicio nihil rectè fit. tr.4.n.2
Poteſt non certa eſſe Conſcientia de legis obligatione, ob rationes vtrimque occurrentes. Exponitur id familiari exemplo. tr.4.n.4
Cætera vide. Verbo. Opinio probabilis, Opinio improbabilis, Opinio tuta.

Conſcientia Dubia.

Conſcientia dubia quid ſit. tr.3.n.3
Cetera vide. verbo. Dubium, Dubia Conſcientia.

Conſcientia ſcrupuloſa.

Conſcientia ſcrupuloſa quid ſit. tr.3.n.4
Cætera vide v. Scrupulus, Scrupuloſa Conſcientia.

Conſcientia. Lædans. v. Laus Conſcientiæ. Gaudium ex Conſcientiâ.
Conſcientia reprehendens. *v.* Stimuli Conſcientiæ.
Conſcientia examinans. *v.* Examen Conſcientiæ.

Conſcientiæ ſecuritas *v.* *Securitas Conſcientiæ.*
Conſcientiæ teſtimonium. *v.* Teſtimonium Conſcientiæ.
Conſcientiæ vermis. *v.* *vermis* Conſcientiæ.

Conſcientiæ vita, mors.

Vita ſpiritus pendet à Conſcientiâ, vt vita corporis à corde. tr.20.n.3
Viuente Conſcientiâ adhuc in peccatore eſt ſpes ſalutis; eâ emortuâ, deſperata eſt ſalus. tr.20.n.10.11
Quæ ſit mortua Conſcientia, & ſine ſenſu. tr.20.n.17.19
Maximum ſupplicium, ſupplicia à Deo immiſſa, à Conſcientiâ non ſentiri. tr. 20.n.18
Quomodo Conſcientia paulatim moriatur. tr.20.n.20
Mortua Conſcientia ſine peculiari Gratiæ miraculo non reuocatur ad vitam. tr. 20.n.21

Conſcientiæ debita obſeruantia.

Obſeruanda plurimum Conſcientia, ob magnam quâ pollet auctoritatem. tr. 20. n.22.
Conſcientiam ſemper conſule. tr.20.n.23
Memineris Conſcientiam tibi ſemper adeſſe, tuiſque actionibus intereſſe. tr.20.n.24
Memoria præſentis Conſcientiæ videtur homini expeditior, quàm præſentis Dei. tr.20.n.24
Numquam te ſolum reputa cui ſemper inuigilat Conſcientia. tr.20.n.25
Conſcientiæ ſoli maior deferenda eſt reuerentia, quàm omnium hominum ſimul collectorum oculis. tr.20.n.26.27
Magis erubeſcendum eſt peccare in oculis Conſcientiæ, quàm in Sanctorum conſpectu. tr 20.n.28
Ex paruâ Conſcientiæ æſtimatione, in omne nefas itur. tr.20.n.29

Conſilium, Conſulere.

Licitum eſt varios Doctores conſulere, donec inueniatur ſibi fauens ſententia, ſed probabilis. tr.6.n.51
Peſſimâ fide agunt, qui ex induſtriâ improbos conſulunt; & qui ſententias ſibi fauentes auro venantur. tr.6. n.52.53
Execrabiles hi ſunt Deo. tr.6.n.54
Et ſæpe inopiâ puniuntur. tr.6.n.55

Contritio perfecta.

Ad Contritionem non requiruntur lachrymæ, aut alius ſeu motus ſeu ſenſus corporis. tr.12.n.13. & ſeq. item. n.41
Exponitur doctrina Tridentini de Contritione perfectâ. tr.12.n.16. & ſeq.
Contritio eſt dolor animi; nempe Intellectûs & Voluntatis. tr.12.n.16. & ſeq.
Contritionem duo actus conſtituunt. tr.12. n.22.
Contritio cur dicatur efficax. tr.12.n.23
Contritioni peccata omnia condonantur ſine Sacramento: non tamen ſine Sacramenti voto Contritioni incluſo. tr.12. n.24.
Ad Contritionem non requiritur amor affectuoſus Dei ſemper omnia, ſed appretiatiuus. tr.12.n.28
Item ad Contritionem, appretiatiua deteſtatio mali ſuper omnia mala requiritur, non verò affectuoſa. tr.12.n.29
Ad Contritionem per ſe non requiritur diſtincta peccatorum recordatio; ſufficit confuſa. tr.12.n.37
Hinc qui confiteri non poteſt, non tenetur ſingula peccata in mentem reuocare: ſed conteratur de omnibus in genere. tr.12.n.38

Con-

Contritio moram temporis non requirit; momento perficitur. tr.12.n.40
Nullis verbis opus est vt eam exprimas. tr. 12.n.40
Dolor corporis & lachrymæ, bene ad detestanda peccata quandoque adhibentur, quamuis ad Contritionem non sint necessaria. tr.12.n.41.
Contritio perfecta, in voluntatis cum Diuinâ adhæsione perfectâ consistit. tr. 12.n.42.
Adhæsio hæc procuranda, & quidem actibus sæpè repetitis. ibid.
Contritio licet efficacior Attritione, non omnibus tamen conuenientior est medicina. tr.14.n.52.
Contritio non debet ex obligatione præmitti vltimæ Confessioni in fine vitæ faciendæ, sufficit Attritio. tr.14.n.41. & seq.
Moraliter fieri non potest, vt qui multos contritionis actus conatus est elicere in vitâ, nullum vmquam bonum & supernaturalem elicuerit. tr.17.n.53
Vide v. Dolor.

Cor.

Vti incubus cor, ita Conscientia animam peccati ream suffocat. tr.10.n.19
Seruandum præcipuè cor, quia ex ipso vita procedit. Ostenditur quomodo procedat. tr.20.n.12.
Varia cordis & Conscientiæ symbolizatio. tr.20.n 4.& seq.

Creaturæ.

Creaturæ, numquam gaudium; vt summum voluptatem afferunt. tr.1.n.4
Quæ ex creaturis oritur voluptas, naturâ suâ in tristitiam degenerat. tr.1. n.5.

Deus.

DEus Conscientiæ nostræ cessit plenum actionum nostrarum judicium. tr. 1.n.17.
Dei vicarias partes agit Conscientia; & si rectè vocatur Mortalium Deus. tr.2. n.3.
Deus non patitur eos qui bonâ fide agunt, diu ignorare quæ scienda sunt. tr.3.n.43
Deus nihil potest præcipere quod rationi aduersetur. tr.4.n.37
Deus permittit optimos suos amicos quandoque scrupulis diuexari. tr.7.n.9
Deus scrupulis exercet animam, vt eam à vitijs purget. tr.7.n.44
Deum esse, rectè colligitur ex stimulis Conscientiæ. tr.10.n.7. & seq.
Quinam stimuli Conscientiæ à Deo sint. tr. 10.n.38. & seq.
Deus pronior est ad dandam gratiam, quàm peccator ad eam recipiendam. tr.12.n.6
Deus pollicetur gratiam pœnitenti, & promissionem juramento confirmat. Datur ratio hujus juramenti. tr.12.n.7. & seq.
Viuit Deus, dum peccatoris miseretur. Quare tunc dicatur viuere. tr.12.n.8
Abblanditur peccatori Deus, vt impetrandæ gratiæ fiduciam in eo excitet. tr.12. n.10. & 39.
Deus obliuiscitur planè injuriæ condonatæ. tr.15.n.10.
Quid sit Deum obliuisci scelerum. tr.15. n.11.

Diabolus.

Diabolus sæpissimè est scrupulorum auctor. tr.7.n.31. & seq.
Quâ arte Diabolus scrupulos excitet & augeat. tr.7.n.32.34
Finis quem Diabolus in excitandis scrupulis

sibi præfixum habet, est delassare animi vires. tr.7.n.33.35.45.
Diabolus tenebras animæ quærit vt scrupulos ingerat: & per scrupulos tenebras animæ auget. tr.7.n.34
Indicia quatuor ad discernendum an scrupuli sint à Diabolo. tr.7.n.48. & seq.
Quinam stimuli Conscientiæ sint à Diabolo. tr.10.n.36. & seq.
Diabolus persuadere nobis vult omnes actiones nostras esse condemnandas velut malas, vt ad pusillanimitatem nos pertrahat. tr.9.n.34

Dolor de peccatis.

Dolor qui ex naturalibus rationibus elicitur, naturalis est: illi non datur condonatio peccatorum. tr.10.n.35.tr.12.n.19
Dolor naturalis quo pacto eleuari possit, aut mutari in supernaturalem. tr.10.n.36
Dolor de peccatis non consistit in lachrymis, aut corporis tristi affectione. tr.12.n.13 & seq.
Dolor qui ex peccatis in corpore sentitur, passio est ad Contritionem non necessaria. tr.12.n.14.
Dolor ille sæpè sine contritione est. ibid.
Quinimo dolor ille sæpè malus est. ibid.
Dolor ille dum exorbitat, numquam à Deo est. Item quando exorbitet. tr.12.n.15
Alius est dolor intellectûs, alius verò dolor voluntatis. tr.12.n.17
Quo pacto intellectui dolor inuratur ex peccati admissi Conscientiâ. tr.12.n.18
Quomodo ex peccati Conscientiâ dolor subeat voluntatem. tr.12.n.20
Vide v. Contritio.
Dolor ex peccatis. *Vide v.* Stimulis Cienscientiæ. *Item.* Peccati detestatio.

Dubium, dubia Conscientia.

Conscientia dubia quid sit. tr.3.n.3
Conscientia cur dicatur dubia. tr.6. in procœmio.
Dubium & opinio probabilis, longè differunt. tr.6.n.1
Non nisi ineptissimè à nonnullis confunduntur. tr.11.n.51
Ponitur vtriusque differentiæ. tr.6. n.2.3
Dubium triplex. Aliud negatiuum, aliud positiuum, aliud ex rationibus seſe elidentibus. tr.6.n.4.5.6
Dubium speculatiuum quid sit. tr.6.n.8.
Dubium practicum quid sit. tr.6.n.9.
Cum dubio practico semper illicitum est agere. tr.6.n.11. & seq.
Dubius an id quod veniale est sit mortale, peccat mortaliter si pergat in agendo. tr.6.n.15.
Dubius peccat specie peccati de quo dubitat. tr.6.n.16.
Dubius positiuè dubio practico, eligere debet id quod tutius. tr.6.n.17
Dubius negatiuè, potest licitè agere. tr.6. n.18.
Cum dubio speculatiuo etiam, agere non licet, donec formaris Conscientiam, id est, judicium tuleris rem licitè agi posse. tr. 6.n.19.
Hinc dubius, primò debet conari deponere dubium, factâ vlteriori veritatis inquisitione. tr.6.n.20
In dubio jure, humana potestas aut Respub. non dat possessori nouum jus, sed de veteri jure fert sententiam. tr.6.n.25. item n.27.
In dubijs quæ spectant materiam justitiæ, rectè formatur Conscientia ex bonæ fidei possessione, item ex juris præsumptione. tr.6.n.23. & seq.
Possessor bonæ fidei in dubio non debet rem diui-

diuidere quantumeumq; sit juris dubium. tr.6.n.28.29.
Dubium de paternæ hæreditatis justitiâ, non est curandum. tr.6.n.30
Dubius an debeat, non debet soluere. tr.6.n.31.
Certus de debito, dubius an soluerit, debet soluere. tr.6.n.32
Possessio in omnium virtutum materiâ, sufficit ad formandam Conscictiam in dubio. tr.6.n.33. & seq.
Lex dubia non obligat. tr.6.n.37
Certus de lege, dubius an ei satisfecerit, legi adhuc est obnoxius. tr.6.n.38
Inter diem Iouis & Veneris qui dubitat an sit hora noctis duodecima, non tenetur abstinere carnibus. tr.6.n.39
Tenetur abstinere carnibus, qui inter Sabbathum, & Dominicam dubitat, an sit hora noctis duodecima. tr.6.n.40
Dubius de anno vigesimo-primo, non debet jejunare in quadragesima. tr.6.n.41
Dubius de 24. anno expleto, non potest sacerdotium suscipere. tr.6.n.41
Dubius an votum emiserit, voto non tenetur. tr.6.n.43.44
Dubius de facto, facti obligatione non tenetur. tr.6.n.45
Dubium affectatum numquam excusat à crimine. tr.6.n.47. & seq.
Vnde oriatur hoc dubium. tr.6.n.48. & seq.
Nefas est ex dubio jure certam litem intentare bonæ fidei possessori. tr.6.n.55.
Qui dubitat de facto ipso, judicet se non fecisse. tr.11.n.53. & seq.
Quænam sit pars tutior quæ in dubio eligenda sit. tr.11.n.55
Qui grauiter peccare non solet, in dubio judicet se non peccasse. tr.11.n.60. & seq.
Qui plerumque solet consentire, in dubio judicet se consensisse. tr.11.n.63.64
An & quæ peccata dubia sint confitenda. tr.15.n.26.

Echo.

Echo abstrusis Conscientijs comparata. tr.11.n.42

Error.

Error inuincibilis efficit vt lex Dei censeatur sic erranti non legitimè proposita, & sic excusat à peccato. tr.3.n.19.20
Error inuincibilis tollit voluntarium, quod tamen ad peccandum requiritur. tr.3.n.23.
Error inuincibilis & inculpatus, committi potest tribus modis. tr.3.n.24
Error positiuus quid sit. tr.3.n.25
Quod ex errore positiuo fit, non est propriè dictum peccatum. tr.3.n.28.29
Virgines pro castitate decertantes, ex mero errore, innocuè tamen & laudabiliter se occiderunt aut mutilarunt. tr.3.n.30
Multis ex mero errore positiuo hæreticis, non imputatur hæresis ad culpam. tr.3.n.31
Error alius est latè sumptus prout opponitur Vero; alius autem strictè, prout opponitur Certo, aut Euidenti. tr.4.n.24
Cætera vide v. Conscientia erronea, Ignorantia, Incogitantia.

Examen Conscientiæ quotidianum.

Examen quotidianum Conscientiæ, magnâ parte institui debet ad agendum Deo gratias. tr.9.n.29
Examen quotidianum faciunt viri probi, exemplo Dauidis. tr.11.n.14. & seq.
Tempus nocturnum huic examini maximè accommodum. tr.11.n.16.
Aliud examen quod instituebat Seneca, aliud noctum. tr.11.n.18

Humilis sit constitutio corporis & animi se examinantis. tr.11.n.19
Colligenda primo est mens per serias æternasque rationes. tr.11.n.20
Non tantùm peccata omnia, sed & errores, & eorum causſæ in examine quotidiano indaganda. tr.11.n.22
Primus fructus examinis quotidiani, est futuri prudens cautio. tr.11.n.23.24
Secundus est, securitas de diligentiâ peccatis inquirendis legitimè adhibitâ, in ordine ad examen Sacramentale. tr.11.n.25

Examen Conscientiæ Sacramentale id est in ordine ad Confessionem.

Conscientiæ ius competit ad examinanda peccata, & quidem omnia: nec nisi sic examinatis gratia à Deo in Confeſsione datur. tr.11.n.2. & seq.
Fidelis debet esse Conscientia in examinandis omnibus peccatis mortalibus. Et quare. tr.11.n.6.& seq.
Diligentia moralis examini impendenda. Explicatur quæ sit diligentia moralis. tr.11.n.12.13. tr.15.n.25
Conscientia vbique habeat oculos, vt videat omnes suas actiones. tr.11.n.26
Examen sit sincerum; repræsentet rem prout est ad instar speculi plani. Nec extenuet sua peccata, vti faciunt specula conuexa. tr.11.n.27. & seq.
Comperto aliquo crimine, in ipso examine reprehendat animam Conscientia, eamque castiget. tr.11.n.32
Multiplex ex hâc castigatione fructus. tr.11.n.33
Vt Conscientia sincerè & fideliter examen instituat, agat secum quasi cum alio, imo quasi cum debitore suo, aut aduersario. Tr.11.n.34.35
Conscientia non augeat aut multiplicet in examine sua peccata. tr.11.n.36. & seq.
Nimiæ disquisitionis incommoda. tr.11. n.40
Aliquorum Conscientiæ sunt velut Echo, quæ multiplicat vnam eandemque rem. tr.11.n.42
In animâ mundâ non sunt multùm inquirendæ sordes ingentes. ipsæ se detegunt. tr.11.n.41
Quantum temporis examini Sacramentali impendendum sit iis, qui diu sine vllâ Confeſsione peccatis inhæserunt. tr.11. n.43
Quantum temporis impendendum iis, qui sæpe confitentur, aut examen faciunt quotidianum. tr.11.n.45.46
Quantum impendendum scrupulosis. tr. 11.n.47. & seq.
Passim exiguum tempus dandum examini peccatorum, multum verò actibus Contritionis, Amoris Diuini, detestationis, submissionis &c. vulgò autem contrarium fit & non benè. tr.11.n.49
Qui probabiliter opinatur se non peccasse, potest & debet iudicare, formaliter se non peccasse. Tr.11.n.52
Qui dubitat an fecerit id cui certò annexum est peccatum, debet iudicare se non fecisse, & se absoluere à crimine. tr.11. n.53. & seq.
Qui grauiter peccare non solet, in dubio peccati, iudicet se non peccasse. tr.11. n.60. & seq.
Qui solent facilè peccare & consentire, in dubio iudicent se consensisse. tr.11.n. 63. & seq.

S. Franciscus Xauerius.

S. Franciscus Xauerius austerus in se, in pœnitentes benignus. tr.16.n.27

Gaudium.

Gaudium quæritur passim vbi non est. Error hic exponitur. trac.1.n.1.2
Vita sine gaudio, tetrior morte. tra.1. n.3.
Gaudium malè quæritur in creaturis extra se positis. tr.1.n.4.5
Gaudium in animo solo situm est. tr.1. n.6
Ex gaudio oritur voluptas sincera, non vero gaudium ex voluptate. Hinc illud quære, vt hanc obtineas. tr.1.n.7
Gaudium non inuenitur; fabricandum est. tr.1.n.8
Materia ex quâ fabricandum sit gaudium. tr.1.n.9
Gaudium & tristitia, ex eâdem materia fabricantur. tr.1.n.10.
Gaudij impedimenta quædam interna. tr. 1.n.11
Quomodo circa externa gaudij impedimenta gerendus sit animus. tr.1.n.12
In manu vniuscuiusque est interna sic componere, vt semper gaudeas. tract.1. n.15.16
Læta animi affectio in horâ mortis, expeditior est ad excitandos actus amoris Dei dilecti super omnia. Hinc magis optanda tum est animi læti constitutio, quàm tristis. tr.19.n.28

Gaudium ex Conscientiâ.

Quid sit gaudium exsurgens ex laude Conscientiæ. tr.9.n.21.22. tr.17. n.2. & n.7
Gaudium exortum ex testimonio Conscientiæ maxime est delectabile. tr.9.n.35. Tr.18.n.6
Gaudium hoc non est vana gloria. tr.9. n.36.37
Aliud est gaudere de actione bene à se præstitâ; aliud gaudere de se & sibi placere. Hoc vanum est; illud laudabile. tr. 9.n.39.
Gaudium hoc, est maximum ad virtutem incitamentum. tr.9.n.37
Gaudium hoc summi est meriti, & excellentis virtutis actus. tr.9.n.38.39
Tres hostes gaudij & pacis internæ. tr.17. in proœmio.
Gaudium subsequens Confessionem aut Contritionem, euidens signum est obtentæ peccatorum gratiæ. tr.17.n.50
Gaudium bonæ Conscientiæ ex pacato Deo, in articulo mortis obueniens morituro, describitur. tr.19.n.16
Item gaudium in illo articulo obueniens ex bonorum operum memoriâ. tr.19. n.17.18
Item gaudium ex spe futuræ gloriæ. tr. 19. n.19
Pacem cum Conscientiâ serua, vt semper gaudeas & quietè viuas. tr.20.n.31

Gratia, Gratiæ obtentæ certitudo.

Alia est gratia, seu condonatio sceleris, alia verò gratiâ amicitiæ, seu sanctificans. tr.11.n.9. tr.15.n.9
Vtraque simul datur, nec prima sine secundâ. tr.11.n.9
Differentia inter Senatum politicum, & sacrum Confessionis tribunal in præstandâ gratiâ. tr.15.n.7. & 42
Conscientiæ competit gratiam à Deo peccaturi factam subsignare, & de acceptâ gratia animæ præstare securitatem. tr.17.n.1
Gratiæ obtentæ certitudo hæretica qualis sit. Fuse refutatur. tr.17.n.22. & seq.
Gratiæ obtentæ certitudo non est Fidei, nec physica, sed moralis. tr.17.n.36. & seq.
Certitudo hæc tanta esse potest, vt tollat omnem

omnem falsi suspicionem, & omnem, formidinem de oppositio. tr.17.n.39. & seq.
Certitudo hæc moralis permittit omnes actiones ad quas requiritur status gratiæ. tr.17.n.42
Tam certus quis potest esse de obtentâ gratiâ, quàm certus est quis se baptizatum, aut ordinatum Sacerdotem. tr.17.n.43
Gratiæ obtentæ signa quinque. tr.17.n. 45. & seq.
Explicatur locus Ecclesiastæ: Nescit homo an amore an odio dignus sit. tr. 17.n.55
Explicatur tripliciter locus Ecclesiastici; de propitiato peccato noli esse sine metu. tr.17.n.56. & seq.
Explicatur locus D. Pauli, Cum metu & tremore salutem suam operentur. tr. 17.n.60
Non est metuendum de gratiâ ne obtenta non sit, sed ne perdatur. tr.17.n.61
Ob gratiam obtentam non est præsumendum. tr.17.n.59.

D. Gregorius.

Explicatur D. Gregorij sententia, quâ asserit Bonarum mentium esse culpam agnoscere vbi culpa non est, tr.9. n.30. & seq.

Hæresis, Hæretici.

HÆreticis, *qui ex mero errore positiuo tales sunt, non imputatur hæresis ad culpam.* tr.3.n.31
Hereticus non potest hæresi suæ adhærere, eo quod iudicet ex auctoritate suorum Doctorum opinionem se habere probabilem. tr.5.n.15. & seq.
Hæretici negant satisfactionem vllam pro peccatis esse vtilem. tr.16.n.6
Cætera Vide v. Caluinus.

D. Hilarion.

D. Hilarion in mortis articulo nullo modo timuit, sed potiùs morti insultauit. tr. 19.n.24. & seq.
Bonorum operum memoriam in mortis articulo excitauit. tr.19.n.27

Ianssenius.

Dogma suum, quo statuit peccatum esse quidquid ex ignorantiâ inuincibili erroris committitur, malè vocat Ianssenius, dogma Catholicum & Arcanum. tr.3.n.46
Ianssenius subscripsit sententiæ de iustitiâ Montium pietatis, quæ tamen sententia tantùm est probabilis, & nihilominus tangit rem quæ est iuris naturæ. tr.4.n.31
Ianssenius rogat quid respondendum sit ad Augustinum, quando huius sententia videtur modernis Pontificibus esse contraria. Eique respondetur modis tribus. tr.5.n.41.42.43
Ianssenius dicit timorem gehennæ bonum esse, sed homines eo malè vti, & vtendo peccare. Refutatur clarissimè hæc euasio. tr.13.n.19. & seq.
Ianssenius docet Attritionem ortam ex timore gehennæ, inutilem esse, imo & malam. Proponitur summatim tota eius de Attritione doctrina, quam per 13. capita fusè & sine necessitate expandit. tr.13.n.26. & seq.
Argumenti à Ianssenio allati paralogismus clarè ostenditur. tr.13.n.30
Commentitium est quod docet Ianssenius, Tridentinum sess. 14.c.4. de aliâ imperfectâ Contritione locutum, quàm quæ ex gehennæ metu exoritur. tr.13. n.31. & seq.
Ianssenius comminiscitur Attritionem aliquam

quam nouam ex Charitate imperfectâ ortam, sed inauditam in Ecclesiâ. tr. 13.n.34
Condemnata ea est in Baio. tr.13.n.36
Falsò docet Iansseníus non dari Attritionem vllam quæ sit supernaturalis. tr. 13.n.39. & seq.
Inuerso modo, atque adeo peruerso de Attritione philosophatur Iansseníus. tr.13. n.45
Fusè sed falsò docet Iansseníus Attritionem supernaturalem ortam ex timore gehennæ, voluntatem peccandi de cætero non excludere. tr.13. n.47 & seq.
Iansseníus à particulari timore malè argumentatur ad vniuersalem naturam timoris. tr.13.n.51
Falsò docet Iansseníus Attritionem esse actum coactum. tr.13.n.54
Iansseníus satis mirè sententiam suam appellat, Mirabilis paradoxi nouitatem. *Sed paradoxa & nouitates, in Ecclesiâ Catholicâ semper fuêre suspecta.* tr.13.n.55
Error manifestus Iansseníj, quod putet per tò Amorem Iustitiæ, *intelligi à D. Augustino actum amoris Dei dilecti super omnia: cùm per amorem non significetur nisi desiderium Iustitiæ.* tr.13. n.59.
Alter error Iansseníj, quod putet desiderium Iustitiæ non posse ex aliâ virtute quàm ex Charitate profluere. tr.13. n.60.
Iansseníus in materiâ Attritionis iam à suis vt plurimum desertus. tr.14.n.19

D. Ignatius.

D. Ignatius initio conuersionis fuit enormiter vexatus à scrupulis. tr.7.n.43

Ignorantia affectata.

Ignorantia vincibilis aut affectata, numquam à peccato excusat. tr.3.n.52. tr.6.n.47.
Quæ sit ignorantia affectata. tr.3.n.52
Vnde oriatur ignorantia affectata. tr.6. n.48. & seq.
Minima mali suspicio bonam fidem actionis faciendæ tollit. tr.3.n.53
Ignorantia Lacedæmonum circa adulterij malitiam, in plerisque fuit affectata. tr.3.n.53

Ignorantia inuincibilis.

Ignorantia inuincibilis datur secundum D. Thomam. Tollit omne voluntarium, & consequẽter omne peccatum. tr.13.n.23
Ignorantia inuincibilis quid sit. tr.3. n.26. 35
Ignorantiæ varia genera. Exponitur ignorantia iuris naturæ; ignorantia iuris diuini positiui; iuris humani Ecclesiastici; iuris profani; denique ignorantia facti. tr.3.n.32
Quæcumque per ignorantiam inuincibilem committuntur, propriè dicta peccata non sunt. tr.3.n.33. & seq.
Quænam sint ea quæ ex ignorantiâ facta improbat D. Augustinus tr.3.n.34
Ignorantia generalium legum naturæ, in homine non datur. tr.3.n.39
Datur tamen ignorantia inuincibilis legum naturæ, quæ ex primis per consequentiam deducuntur. Quod probatur ratione, & experientiâ rusticei apud Vasquezium, Hispani occidentis pueros Maurorum à se baptizatos, &c. tr.3.n. 40. & seq.
Ignorantia inuincibilis Iuris naturæ, supponitur à D. Augustino in historiâ adulteræ Antiochenæ. tr.3.n.29

Ignorantia inuincibilis Iuris naturæ à peccato excusat. Non est hæc sententia recenter inuenta, sed admodum antiqua, & per totam Ecclesiam peruulgata, teste ipsomet Luthero. tr.3.n.45
Contraria doctrina malè à Iansenio vocatur, Sententia Catholica, *item* Arcana. tr.3.n.46.47
Item malè dicitur sententia Augustini. tr.3.n.48
Quæ ex ignorantiâ inuincibili fiunt, peccata impropriè sunt apud D. Augustinum, id est Errata: non vero dicuntur peccata propriè, seu quæ mereantur pœnam. tr.3.n.49
Contrarium aduersariorum dogma, malè cohæret, & secum manifestè pugnat. tr.3.n.50

Incogitantia.

Incogitantia inculpata quid sit. tr.3.n.27
Facta ex incogitantiâ inculpabili, propriè dicta peccata non sunt, seu quæ pœnam mereantur, aut culpæ imputentur. tr.3.n.36

Iudas proditor.

Iudas doluit de peccato à se commisso; & tamen adeo non fuit contritus, vt dolore suo rursus peccarit. tr.12.n.14

Iudex, Ius.

Iura statuunt in dubio criminis, benigniorem partem à Iudice amplectendam, & fauendum reo. tr.11.n.55
Probationes contra reum debent esse euidentes, non sufficiunt dubiæ. tr.11.n.56
Si rationes vtrimque æquales, absoluendus est reus. tr.11.n.57
Imo absoluendus reus, etiamsi accusatoris partes sint longè probabiliores, quam rei. ibid.
Vide. v. Possessio bonæ fidei.

Iudicia humana.

Non sunt contemnenda iudicia humana, dum iudicant homines quid sit bonum, aut quid sit malum. tr.9.n.16. tr.18.n.30
Contemnenda verò sunt hominum iudicia, dum iudicant te bene vel malè egisse aut agere. tr.9.n.16. tr.18.n.29
Conscientia sola potest omnia hominum iudicia irrita reddere. tr.18.n.8
Condemnantium se iudicia contemnit bona Conscientia, imo ridet vt insana. tr.18.n.29.
Iudicia humana ne expete magnopere si fausta; nec expauesce si aduersa tr.18.n.32.
Iudicia humana te dicunt laude dignum, sed non faciunt. tr.20.n.30
Cætera vide v. Securitas Conscientiæ.

Laus à Conscientiâ data.

Laus humana laudato non satisfacit nisi accedat laus Conscientiæ. tr.9.n.17
Laus solius Conscientiæ sine aliâ omni, sibi sufficit. tr.9.n.18
Laus Conscientiæ est nuda operis facti approbatio. tr.19.n.20.
Conscientia est, & quidem solius, actionem præstitam approbare, & laudare voluntatem. tr.9.n.10.11.
Conscientiæ laus non est vana gloria. Patet in D. Paulo. tr.9.n.25.26
Laudare se quandonam sit vanum, aut insanum. tr.9.n.26

Sancti non condemnarunt actiones suas tamquam malas. tr.9.n.27.& seq.
Quomodo ex præscripto Christi, cum fecerimus omnia quæ præcepit Deus, dicere debeamus nos esse seruos inutiles, exponitur multipliciter. tr.9.n.33
Ex solâ laude Conscientiæ maius gaudium oritur, quàm ex omnium hominum falsâ approbatione. tr.18.n.6
Laus humana cruciat, si ei Conscientia sola contradicat. tr.18.n.7
Improbi laudati tantùm gaudent, quia credunt se latêre. tr.18.n.8
Nemo laudatus gaudet, nisi quia videt aliena iudicia, Conscientiæ suæ iudicio esse conformia. tr.18.n.9.& 22
Cur D. Paulus testimonium Conscientiæ vocet Gloriam, *cum tantùm sit iudicium priuatum.* tr.18.n.10
Item cur vocet gloriam suam. tr.18.n.11
Conscientia dum te laudat, facit te esse quod dicit esse. tr.20.n.30

Libellus repudij.

De libello repudij apud Iudæos vsitati, duplex est Patrum sententia. Neutra fauet VVendrocquio, aut ad eius rem facit. tr.4.n.22

Liuius Drusius.

Liuius drusus domum optabat sibi construi, in quâ ab omnibus videri posset quid ageret. tr.18.n.26

Lutherus.

Lutherus fatetur doctrinam quâ statuitur, Facta ex ignorantiâ inuincibili iuris naturæ, peccata non esse, suo tempore in Papæ scolis & Ecclesiis fuisse pervulgatam. tr.3.n.45
Lutherus Conscientiæ suæ tormenta ferre non potuit, præsertim circa mortem. tr.10.n.4
Lutherus fatetur voluisse se emendare vitam aliquantulum, sed non potuisse. ibid.
Lutherus docet omnem Attritionem esse malam. tr.13.n.5
Refutatur ex Scripturis. tr.13.n.8
Refutatur ex D. Augustino. tr.13.n.9.& seq.
Condemnatur hæreseos à Tridentino. tr.13.n.15.& seq.

Melancolici.

Humori melancolico innascuntur scrupuli. tr.7.n.11.
Melancolici sunt admodum tenaces scrupulorum. tr.7.n.13
Melancolici fere circa rem vnam aut alteram sunt scrupulosi: & scrupulis vexantur admodum tristibus. tr.7.n.14.15

Montaltius.

Montalij cauilli. tr.4.n.14
Montalij litteræ Prouinciales exustæ Aquis-Sextiis, & rursus Parisiis, vtrobique per Senatus-consultum. Item condemnatæ à Pontifice Alexandro VII. tr.4.n.19

Mors.

Mors minus est metuenda quàm vita. tr.19.n.2
Mors numquam est mala. tr.19.n.3.4
Totum malum quod in morte inuenitur, ab anteactâ vitâ est. tr.19.n.4.& seq.
Mortem timemus, quia terrenis voluptates experti, de cælestibus imaginarias species non habemus. tr.19.n.8
Ex ignorantiâ futurorum fit, vt quædam in morte sint amara. Ea enumerantur. tr.19.n.9

Describuntur stimuli, quos peccatori impœnitenti admouet Conscientia in horâ mortis. tr.19.n.12.& seq.

Mors justorum, seu Conscientiæ suæ confidentium.

Omnibus naturæ malis in morte percipiendis medicina, est bona Conscientia. tr.19.n.10

Gaudium morientis iusti exprimitur. tr. 19.n.16.& seq.

Morientis iusti festiua & spe plena suspiria. tr.19.n.31

Mali conscientia maximè torquet reum in mortis articulo. tr.19.n.11. & seq.

Mors securitati asserit bonorum operum thesaurum. tr.19.n.18

In articulo mortis, naturæ horrorem nonnumquam sentiunt iusti. tr.19.n.21

Permittit id Deus, vt plenius pro peccatis satisfactant. ibid.

Conscientiæ angoribus rarò, & non diuturnis probi in horâ mortis anguntur. tr. 19.n.22

Mors iustorum plerumque est spe & gaudio plena. tr.19.n.22.23

D. Hilarion in morte nullo modo timuit, sed morti illusit potius. tr.19.n.24. & seq.

Accommodatissima & sanctissima moriendi praxis, est bonorum operum in mortis articulo recordatio. Exemplo Ezechiæ & D. Hilarionis. tract.19.num.27. & seq.

Actus à moriente præcipuè exercendi. tr. 19.n.29.

Opinio probabilis.

Potest non certa esse Conscientia de legis obligatione, ob rationes probabiles vtrimque occurrentes. Exponitur totius quæstionis status exemplo admodum familiari. tr.4.n.4

Quid sit probabile. Et quid sit opinio probabilis. tr.4.n.6

Opinioni probabili nulla omnino admixta est falsitas. tr.4.n.7

Opinionem probabilem qui habet de rei veritate, etiam de eius falsitate habet opinionem probabilem, actualiter aut virtualiter. tr.4.n.8

Opiniones duæ probabiles sibique contrariæ, possunt esse simul in eodem intellectu. Ibid.

Quæ sit opinio probabilior, quæ tutior, quæ minus tuta, exponitur familiari exemplo. tr.4.num.10.11.tr.5. num.28

Auctoritas aliena potest facere opinionem aliquam probabilem. tr.5.n.3

Tam probabile est quod ex auctoritate extrinsecâ est probabile, quàm quod ex rationibus mihi intrinsecis sit probabile. tr.5.n.4

Pluralitas auctorum facit opinionem probabiliorem, saltem præsumptiuè. tr.5. n.5

Aliquando vnius viri auctoritas facit opinionem probabilem. tr.5.n.5.6

Vna opinio, licet altera probabilior, non est tamen in actione dirigendâ infallibilior. tr.5.n.24

Manichæorum opinandi modus apud D. Augustinum, nihil habet commune cum opinione probabili. tr.4.n.27

Ex opinione probabili formata Conscientia.

Aliud est iudicare an lex obliget certò aut probabiliter; aliud autem certò iudicare quod hæc actio exerceri possit an non. Sine hoc vltimo iudicio nihil rectè fit. tr.4.n.2

Sen-

Sententiam docentem licitum esse ex opinione probabili sibi formare Conscientiam, seu iudicium actionis faciendæ, plurimis conuitiis impetunt Sinnichius, Montaltius & VVendrockius. tr.4. n.14. & seq.

His respondetur. tr.4.n.17. & seq.

Respondetur locis S. Scripturæ perperam pro se allatis à VVendrocquio. tr.4. n.20. & seq.

Respondetur loco S. Augustini, quem Sinnichius aut malè intellexit, aut malâ fide attulit. tr.4.n.26.27

Sententiam communem de sequendâ licitè opinione probabili, tenēt Scriptores Theologi, & Canonistæ, centum octoginta nouem. tr.4.n.30

Catalogus horum auctorum. Fol.133

Item sententiam hanc tenent Theologi & Episcopi omnes, qui ex opinione probabili casus Conscientiæ maximos resoluerunt. tr.4.n.31

Item Professores omnes & Doctores Academici, qui sententias probabiles, etiam in ris naturæ proposuerunt publicè & defenderunt. tr.4.n.32

Item omnes Iurisconsulti, Iudices, & Conciliarij, qui ex opinionibus probabilibus certa rerum gerendarum dant responsa. tr.4.n.33

Item D. Augustinus tenet hanc sententiam. tr.4.n.36.37.

Aut D.Thomas aut D. Bonauentura, non est colendus vt Sanctus, imo neuter, si non liceat responsa dare ex opinione probabili. tr.4.n.33

Præceptum non agendi nisi ea quorum veritas & obligatio certò constat, vt fert aliquorum dogma, numquam à Deo latum est, neque adeo ferri potuit. Probatur id fusè. tr.4.n.40 vsque ad n.47

Opinionem probabilem sequens, nullo modo se exponit periculo peccandi. tr.4.n.49

Ex æquè probabilibus potest eligi quælibet. tr.5.n.1.

Et semel electa potest deseri assumptâ contrariâ. tr.5.n.2

Licitum est sequi alienam opinionem permittentem aliquod opus, contra propriam opinionem id vetantem. tr.5. n.9.& seq.

Quando alicuius legis aut rei veritas certa haberi potest vlteriore indagatione moraliter possibili, non licet agere ex opinione probabili quæ tum habetur. tr.5.n.16

Hinc non potest hæreticus hæresi suæ adhærere, ex eo quòd probabilem opinionem se habere iudicet. tr.5.n.16

Licitè sequitur Conscientia opinionem probabilem desertâ probabiliore, nisi obstet lex iustitiæ aut charitatis. tr.5.n.18. & seq.

Nullum in dicto casu incurritur peccandi periculum, licet incurratur periculum errandi. tr.5.n.24

Exponitur quæ sit lex iustitiæ aut charitatis, quæ prohibet vti opinione probabili. tr.5.n.35.& seq.

In sequendis opinionibus probabilibus, semper bonâ fide est procedendum. tr. 5.n.46

Licitum est tamdiu varios consulere, donec inueniatur sententia sibi fauens, sed probabilis. tr..6.n.51

Sed quinam, & quam bonâ fide consulendi sint, exponitur. tr.6.n.52.& seq.

Qui probabiliter opinatur se non peccasse, potest & debet iudicare, formaliter se non peccasse. tr.11.n.52

Opinio tuta, tutior.

Quænam opinio dicatur tutior. tr 5.n.28

Tutiorem sequi, potest esse consilij, numquam tamen est præcepti. tr.5.n.27

Non potest semper discerni quæ opinio sit tutior. tr.5.n.29.
In materiâ restitutionis, inter opiniones probabiles nulla datur tutior. tr.5.n.30
Nullum præceptum obligat vt sequar id quod tutius est, nequidem vt formale peccatum emitetur. tr.5.n.31
Omnes probabiles sententiæ, in praxi sunt æquè tutæ quoad imputabilitatem culpæ. tr.5.n.33
Etiam vbi sine vllo incommodo tutior eligi potest, ea non est eligenda, nequidem sub peccato veniali. tr.5.n.34
Lex tamen charitatis & iustitiæ vetat non rarò vti opinione probabiliore & tutiore in praxi. tr.5.n.36.37
Aduersarij in hâc materiâ callidè mutant statum quæstionis. tr.5.n.36

Opinio improbabilis

Improbabilis opinio est quæ nulli rationi innititur. tr.5.n.37
Item cuius falsitas iam tenetur, aut definita est. tr.5.n.38
Item quæ contraria est Pontificum decretis. tr.5.n.39
Quid respondendum quando D. Augustini sententia videtur contraria modernorum Pontificum definitionibus. tr.5. n.40. & seq.
Improbabilis & praxi passim non adhibenda opinio, est quæ parum admodum habet probabilitatis. tr.5.n.44
Improbabilis tamen opinio adhibenda est praxi, in extremâ necessitate aut corporis, aut animæ. tr.5.n.45

Parentes.

Parentes & nutrices sæpe admodum improvidè infantium vitia exaggerantes, dicunt eos peccare mortaliter, & inferno castigandos. tr.3.n.13

Parisiensis studiosus.

Historia Parisiensis studiosi post mortem apparentis, & asserentis se damnatum quòd cum Attritione fuisset mortuus, examinatur quantæ sit fidei. tr.14. n.28.& seq.

Parisiense Senatus-consultum.

Senatus-consultum Parisiense, quo ad ignes damnantur Litteræ Prouinciales Montaltij, & Notæ Gulielmi VVendrockij, nec non Pauli Irenæi. Folio 105.

Patientia.

Patienter tolerare miserias à Deo inflictas est eas tollerare voluntariè. tr.16.n.54
Exponitur praxis patienter tolerandi afflictiones à Deo immissas. tr.16.n.55

Peccatum.

Peccatum strictè dictum, & vitium longè differunt. Negligitur aut dissimulatur à quibusdam auctoribus hæc differentia, sed malè. tr.4.n.26
Peccandi periculo non se exponit, qui in agendo sequitur opinionem probabilem. tr.4.n.48
Peccatum vt commissum est, redit menti claritas quæ per suliginem passionum fuerat adempta. tr.10.n.13
Peccato commisso statim citatur peccator ad tribunal suæ Conscientiæ, conuincitur criminis, & damnatur à seipso. tr.10.n.13.& seq.
Quos motus excitet commissorum peccatorum memoria quæ à Deo est. tr.10. n.40
Diuturna à mortali peccato abstinentia, signum est statûs gratiæ. tr.17.n.48.

Peccatum veniale.

Nimia cura vitandi peccata venialia, nocet. Adhibenda est moralis, qualem prudentes rebus suis solent impendere. tr. 8.n.41.42

Peccatum veniale non est necessaria materia Confessionis. tr.15.n.21

Peccata venialia non sunt multùm examinanda, si eorum examine animus perturbetur, aut defatigetur caput. tr.15. n.21

Peccati detestatio.

Præsens peccati horror signum est statûs gratiæ. tr. 17.n.46

Peccati detestatio debet esse appretiatiuè suomnia mala, non verè affectuosa. tr. 12. n.29.

Vt detestationem peccati super omnia mala excites, non est instituenda cum aliis malis comparatio. tr.12.n.30

Imo comparationes illæ sæpè reiiciendæ sunt. tr.12.n.31

Neque einsmodi comparationibus vsi sunt SS. Martyres. tr.12.n.32

Aliquando possunt institui, sed à robustioribus & exercitatis in virtute. tr.12. n.38

Detestationem peccati Amor Dei virtute continet. tr.12.n.35.36

Cætera vide v. Dolor de peccatis. Contritio.

Peccator.

Peccator miserum statum suum intelligat, ne intumescat. tr.12.n.1

Peccator sua scelera nec negare potest, nec defendere, nec Iudicem subterfugere. tr. 12.n.2.3

Itaque peccator adeat thronum Gratiæ, & misericordiam supplex petat. tr.12. n.5.

Peccator adeat hunc thronum magnâ cum fiducia. Et quare. tr.12.n.6.& seq. item tr.15.n.9. & seq.

Felicitas peccatoris est, contra Deum quod peccarit, & non contra Angelum aut hominem. tr.12.n.11

Peccator non erubescat Confessionem, per quam fit justus & amicus Dei. tr.15. n.42.43.

Pessimus quisque sua scelera celat. tr.18. n.13.

Peccator omnia habet suspecta; etiam tuta timet. tr.18.n.13.& seq.

Scelerati occulti, malè fidunt latebris. tr.18.n.16.

Scelerati fama pendet è filo. tr.18.n.21

Phlegma.

Humori phlegmatico facillimè innascuntur scrupuli, eoque nutriuntur. tr.7.n.16 & seq.

Humor phlegmaticus facit timidum. tr.7. n.17.

Humor phlegmaticus veras rerum species alterat, & euertit. tr.7.n.18

Ostenditur quomodo physicè id fiat. tr.7. n.19.

Pœnæ peccatis debitæ satisfactio.

Condonatâ culpâ non semper condonantur pœnæ peccatis debitæ. tr.16.n.1

Potest peccator omnem satisfactionem velle differre vsque ad alteram vitam in Purgatorio. tr.16.n.35

Pœnæ à Deo aut naturâ inflictæ reducuntur ad tria genera. tr.16.n.51.52.

Per miserias humanas datur Deo satisfactio pro peccatis, si patienter tolerentur. tr. 16.n.53.

Eas

Eas tolerare patienter, est tolerare voluntariè. tr.16.n.54
Exponitur praxis quâ fructuosè excipiantur pœnæ à Deo immissæ. tr.16.n.55

Pœnitentiæ corporales vltroneæ.

Pœnitentiæ corporales eò grauiores sponte assumendæ, quo minores in Confessione imponuntur. tr.16.n.28
Omni hominum generi castigationes corporis conueniunt. tr.16.n.28. & seq.
Contra omnem rationem est carnem satisfactioni eximere, eamque totam animæ committere. tr.16.n.29. & seq. item n.35. & seq.
Malè prætexitur carnis imbecillitas, quæ ad peccandum sat robusta est. tr.16.n.34.n.38
Non tam certa est satisfactio per actus merè internos data, quàm per externos pœnitentiæ. tr.16.n.36
Per castigationes corporis vltroneè assumptas, auertuntur flagella à Deo in hâc vitâ infligenda. tr.16.n.37
Corporis castigatio, securissima est inter omnes ad placandum Deum via. tr.16.n.38
Pœnitentijs domandum corpus, etiamsi nihil restaret satisfaciendum Deo. tr.16.n.39.40.
Seueritas illa, clementia est. tr.16.n.42
Quinque fructus pœnitentiarum vltro susceptarum. tr.16.n.42.& seq.
Enumerantur quædam pœnitentiæ grauiores. tr.16.n.47
Earum prudens sit vsus. tr.16.n.49
Pœnitentiæ minores exponuntur, & quis earum fructus. tr.16.n.50

Pœnitentiæ Sacramentales.

Pœnitentiæ Sacramentales sunt pars integralis Sacramenti. tr.16.n.2
Pœnitentiæ Sacramentales cæteris paribus magis satisfaciunt quam vltroneè susceptæ. tr.16.n.3
Obligant sub peccato. Quando obligent sub mortali. tr.16.n.4.5
Hæretici negant satisfactionem vllam esse vtilem. Refutantur. tr.16.n.6
Non nisi pœnitentias graues in Confessione imponendas esse contendunt aliqui. tr.16.n.7
Sacramentum Pœnitentiæ validum est, etiamsi nulla omninò imponatur satisfactio. tr.16.n.8
Qualis pœnitentia in Confessione sit injungenda. tr.16.n.9. & seq.
Decretum Tridentini de injungendis pœnitentijs expenditur. tr.16.n.12.& seq.
Qualitas criminum in pœnitentijs injungẽdis est spectanda, non verò semper criminum quantitas. tr.16.n.13
Non semper graues, nec semper leues, sed semper salubres pœnitentiæ injungendæ. tr.16.n.16.17.
Pœnitentiæ Sacramentales semper in Ecclesiâ prudentiæ Confessarij fuêre permissæ. tr.16.n.20.
Pœnitentiæ aliæ publicæ sunt in Ecclesiâ, aliæ Sacramentales. Ab illis ad has non est argumentandum. tr.16.n.19
Patres numquam egêre de grauibus pœnitentijs in Confessione imponendis, nec ad hoc Confessarios adhortati sunt, sed de castigationibus vltro susciendis; & ad has adhortati sunt populum. tr.16.n.21
Veteris Ecclesiæ mos in pœnitentiis Sacramentalibus injungendis, luculenter à D. Chrysostomo declaratur. tr.16.n.24. & seq.
Imponendo leuiores pœnitentias, sæpè constituitur ipsi Sacramento. tr.16.n.23

Possessio bonæ fidei.

In dubiis materiam justitiæ concernentibus, ex possessione rectè formatur Conscientia. tr.6.n.23. & seq.

In dubio jure, humana potestas aut Respublica non dat jus bonæ fidei possessori sed antiquum jus tantummodo declarat. tr.6. n.25. & 27

Possessor bonæ fidei in dubio non debet rem diuidere, quantumcumque sit juris dubium. tr.6.n.28.29

Possessio in omnium virtutum materiâ sufficit ad formandam Conscientiam in dubio. tr.6.n.33.34

Explicatur quid sit possessio quæ in reliquis virtutibus est attendenda. tr.6.n.36

Vnde dignoscendum pro quo stet possessio in materia virtutum, quæ non sit iustitiæ. tr.6.n.36

Hinc soluuntur varij casus in dubio. tr.6. n.37. & seq.

Propositum.

Propositum de cætero non peccandi, non debet esse explicitum: sufficit quod sit implicitum Contritioni. tr.12.n.23

Potest propositum non peccandi fuisse verum & legitimum, licèt statim postea iterum peccetur. tr.12.n.25

Prudentia.

Prudentia optimè discitur ex seipso; id est ex attentâ actionum suarum consideratione. tr.11.n.23

Reuelatio.

Non est credendum cuilibet dicenti sibi reuelationem obtigisse. tr.14.n.30

Ob aniles fabulas quæ sæpè promulgantur, hæretici contemnunt veras reuelationes. ibid.

Falsi reuelatio aut ficta est ab homine, aut facta à Diabolo. tr.14.n.31

Satisfactio v. Pœnæ.

Scientia.

Aliud longè est scientia & Conscientia. tr. 2.n.15. & seq.

Multi habent magnam scientiam, & pessimam Conscientiam. Vnde hoc fiat. tr.2. n.18.

Multi optimi sunt speculatiui, practici autem pessimi. tr.2.n.20

Scrupuli.

A scrupulis maxima oritur Conscientiæ quietæ perturbatio. tr.7.n.1

Scrupulosa Conscientia malè vocatur tenera: multùm hæ duæ inter se dissident. tr.7.n.6. tr.8.n.2

Conscientia scrupulosa commouetur quidem, sed nihil iudicat. tr.7.n.6

Quid propriè sit scrupulus. tr.3.n.4. tr.7.n.7.8

Scrupuli oriuntur sæpe ex humore melancolico. tr.7.n.11

Scrupulis sæpe superbia immiscetur. tr.7. n.12

Melancolici sunt admodum tenaces scrupulorum, tr.7.n.13

Melancolici fere circa rem vnam aut alteram sunt scrupulosi; & scrupulis vexantur admodum tristibus. tr.7.n. 14.15

Humor phlegmaticus minè aptus cui innascantur scrupuli. tr.7.n.16. & seq.

Ægri & fœminæ maximè patent scrupulis, & quare. tr.7.n.23

Phlegmatici circa varias materias habent scrupulos desultorios. tr.7.n.24

Scrupuli sæpe oriuntur ex peculiari cerebri intemperie. tr.7.n.25

Multi ex hoc genere, vno tantùm scrupulorum genere insaniunt; & vnde hoc fiat. tr.7.n.26
Qui vno scrupulo laborat, plerumque laborabit pluribus. tr.7.n.26
Ignorantia non est scrupulus, sed aliquando in scrupulum degenerat. tr.7.n.27
In scrupulis plerumque nulla est sanctitas, aut virtutis adminiculum. tr.8.n.2. 3.4

Scrupulorum caussæ externæ, indicia.

Scrupulosi scrupulos suos aliis nonnumquam affricant. tr.7.n.29.30. tr. 8.n.20. & seq.
Diabolus sæpe est scrupulorum caussa. tr. 7.n.31. & seq.
Quâ arte Diabolus scrupulos excitet & augeat. tr.7.n.32.34
Finis quem sibi diabolus præfixum habet in concitandis scrupulis, est delassare animi vires. tr.7.n.33. & seq.
Scrupulorum caussa nonnumquam est Deus, & multiplices fructus qui è scrupulis possunt elici. Ponuntur fructus sex. tr.7.n.36. & seq.
Scrupuli immissi à Deo non diu durant, & cum magnâ animi tranquillitate discedunt. tr.7.n.43
Scrupuli immittuntur à Deo vt animam à vitiis purget. Eâ purgatâ desinunt illi scrupuli, tr.7.n.44
Indicia duo ad discernendum an scrupuli proueniant ex naturali corporis intemperie. tr.7.n.46.47
Indicia quatuor ad discernendum an scrupuli sint à Diabolo. tr.7.n.48. & seq.
Decem signa ex quibus dignosci queat an quis sit scrupulosus. tr.7.n.52

Scrupulosus.

Vix vllus scrupulosus putat se talem esse, aut fert se talem haberi. tract.7. in proœmio.
Misera scrupulosorum conditio exprimitur in Dauide. tr.7.n.4.5
Commiseratione digni sunt scrupulosi. tr. 7.n.9
A Deo permittuntur optimi eius amici scrupulis diuexari. tr.7.n.9. & n.36. & seq.
Scrupulosus sibi fingit timoret vbi non sunt. tr.7.n.21.22
Aliqui scrupulosi sunt in rebus exiguis, & in aliis sunt valde dissoluti. tr.7. n.51
Aliter viri perfecti errores paruos considerant, aliter verò scrupulosi. tr.8.n.3
Scrupulosi augent mutuos scrupulos mutuis colloquiis. tr.8.n.22
Scrupulosi augent sua peccata, vt specula concaua augent obiectas species. tr.11. n.37. & seq.
Item sunt velut Echo quæ multiplicat vnam eandemque vocem. tr.11.n.42
Qui totâ vitâ fuêre scrupulosi, plerumque in articulo mortis liberantur ab angoribus scrupulorum, & spe bonâ pleni discedunt. tr.19.n.22

Cum scrupulis quo pacto agendum.

Scrupulosus non potest iudicare esse mortale, nisi de quo ita certus est vt iurare id audeat esse commissum. tr.11.n.50
Semper est licitum agere contra scrupulos. tr.8.n.7.8.
Quomodo scrupulosus sibi Conscientiam formare debeat, vt agat contra scrupulos. tr. 8.n.9
Vt quis agere possit contrà scrupulos, sufficit quod probabile sit esse scrupulum; imo quod dubium sit an sit scrupulus. tr. 8.n.10
Consultius est semper agere contra scrupulos. tr.8.n.11.12. item n.28

Scrupuli crescunt dum iis obeditur. tr.8. n.12.
Scrupulosus sæpe tenetur ex lege naturæ agere contra scrupulos. tr.8.n.13
Scrupulosus in materiâ quâ laborat, potest statuere se non iudicasse, sed meram habuisse apprehensionem mali. tr.8.n.16

Scrupulorum remedia.

Prima scrupulosi medicina est, agnoscere se esse scrupulosum. Hanc persuasionem eis satagit Dæmon eripere. tr.8.n.4. 5. & 15
Scrupulosis sæpe adhibendæ sunt medicinæ physicæ ad purgandum sanguinem. tr. 8.n.19
Scrupulosus cum scrupuloso non agat familiariter. tr.8.n.20. & seq.
Scrupulosus otium & solitudinem vitet. tr.8.n.23
Scrupulosus non multùm secum agat in scrupulorum materiâ, nec disputet, aut deliberet de agendis, nec præterita multùm examinet. tr.8.n.24. & seq.
Contemptim agat cum scrupulis. Exponitur quid sit cum scrupulis contemptim agere; & explicatur comparatione catelli latrantis. tr.8.n.29.& seq.
Scrupulosus ex mente Confessarij conscientiam sibi formet, etiamsi Confessario sit doctior. Et sæpe ad id tenetur. tr. 8.n.31
Scrupulosus à Confessario dictorum rationem ne exposcat. Neque eam det Confessarius, etiamsi rogetur. tr.8.n.34
Scrupulosus non adeat plures consulturus de eadem re; idque ob quatuor grauia incommoda. tr.8.n.35
Scrupulosus ne cum Confessario quidem multùm agat de scrupulis. Neque hic colloquia illa admittat, sed artificiosè declinet aut abrumpat. tr.8.n.36
Scrupulosus suo marte discat scrupulos superare; nec ad singulos Confessarium adeat. tr.8.n.37.38
Scrupulosis asserentibus vltimam hanc fore Confessionem quam de præteritis exigunt instituere, nullo modo est credendum, ne iuratis quidem. Non permittantur repetere Confessiones. tr.8.n.38
Scrupulosus non sit nimiùm sollicitus de salute. tr.8.n.40
Scrupulosus non adhibeat nimiam in peccatis venialibus vitandis curam, sed moralem impendat, qualem prudentes rebus suis solent adhibere. tr.8.n.41. 42
Scrupulosus contra scrupulos, tamquam contra Diaboli tentationem peculiariter Deum oret. tr.8.n.43

Securitas Conscientiæ.

Conscientia bona sui secura est, & nihil timet. tr.1.n.21
Securitas Conscientiæ quid sit. tr.2.n.32
Conscientia aduersus calumniarum tela scutum est impenetrabile. Et quale hoc sit scutum. tr.18.n.4
Conscientia iudicio suo freta, contemnit aduersa omnia, nec concutitur impetita. tr.18.n.5
Conscientia bona inter homines agit confidenter. tr.18.n.24
Patitur actiones suas videri. tr.18.n.25
Contemnit sese condemnantium iudicia; imo ridet vt insanorum. tr.18.n.27. 28
Famam quidem non negligit Conscientia, sed magis æstimat seipsam. tr.18.n.31
Securitas bonæ Conscientiæ in horâ mortis. Fusè. tr.19.n.15. & seq.
Quænam sit Conscientia cui securè possis acquiescere. tr.20.n.32

Sinnichius.

Sinnichius ad inuidiam concitandam sententiæ, quæ docet licitum esse sequi opinionem probabilem, asserit opinionem probabilem à rectè sentientibus vocari eam opinionem, quæ innititur rationi alicuius ponderis quantumuis exilis. Quod falsum est ab iis dici, & mera est cauillatio. tr.4.n.13

Sinnichij conuitia. tr.4.n.14

Sinnichius confundit vitium & peccatum. Hinc malè intelligit locum D. Augustini. tr.4.n.26

Malè intelligit aut malâ fide adfert locum D. Augustini, in quo non de probabili opinione S. Doctor, sed de Manichæorum opinione, id est modo opinandi agit. Is autem à modo opinandi probabiliter, toto cœlo differt. tr.4.n.27

Somnia.

Somnia circa mediam noctem plerumque horribiliora sunt & magis confusa, quàm matutina. Vnde hoc fiat. tr. 7.n.19.

Sorbona.

Censura Sorbonæ lata contra sententiam Sequinotij, negantem Attritionis cum Sacramento efficaciam. tr.14.n.44

Speculum

Conscientia est instar speculi plani repræsentantis peccata sicut sunt. tr.11. n.28

Specula conuexa diminuunt obiecta. Ita & animus tumidus diminuit sua scelera. tr.11.n.30.

Specula concaua inuertunt & augent species; ita & quorundam abstrusæ Conscientiæ. tr.11.n.37.38

Defectus Solis indagandi sunt per specula plana. tr.11.n.40.41

Spiritus Dei.

Spiritus Domini, est spiritus lenitatis & misericordiæ. tr.16.n.15

Stimuli Conscientiæ, & aculei.

Conscientia exstimulans ad pœnitentiam quid sit. tr.2.n.31

Conscientia vti laudandi, ita & auctoritatem habet reprehendendi voluntatem. tr.10. in proœmio.

Ex stimulis Conscientiæ rectè colligitur Deum esse. tr. 10. n.1.7. & seq.

Cruciatus Conscientiæ sunt exquisitissimi. tr.10.n.2

Ab aliquibus dicitur pœna inferni in his consistere. tr.10.n.3

Omnia tormenta huius mundi superat tormentum Conscientiæ. tr.10.n.3. & seq.

Lutherus tormenta suæ Conscientiæ ferre non potuit. tr.10.n.4

Etiam ethnici Conscientiæ suæ aculeis admodum fuêre torti. tr.10.n.5.6. tr.18.n.12

Stimuli aut aculei Conscientiæ, nihil aliud sunt quàm facti sceleris amaræ exprobrationes. tr.10.n.15.17

Multis & modis, & vicibus fit ea exprobratio. tr.10.n.16

Voluntas inter has exprobrationes à nemine habet patrocinium tr.10.n.18

Vti incubus cor, ita Conscientia animam peccati ream suffocat. tr.10.n.19

In quibus actibus consistat dolor quem ex Conscientiæ stimulis percipit anima. tr. 10.n.20.

Maximus dolor est à seipso torturam pati. tr.10.n.20. & seq.
Probatur id in Adamo. tr.10.n.21
Dolorem hunc ipsâ morte duriorem esse probatur in Caino tr.10.n.22.23
Non semper vrgere Conscientiam permittit Deus, ne peccator doloris vi extinguatur; & vt possit resipiscere. tr. 10.n.24
Conscientia vt excruciet nulla arma habet nisi seipsam. tr.10.n.25
Sæpe non tam acriter cruciat Conscientia eos qui non sunt pertinaces in scelere. tr.10.n.28
Aliquando tamen manent aliqui aculei, etiam post peractam pœnitentiam & obtentam gratiam. tr.10.n.29
Sæpè ob quædam minora peccata sentiuntur grauiores aculei, quàm ob majora. tr. 10.n.30
Cur Conscientia magis acriter angat per verecundiam in peccatis carnalibus, quàm in spiritualibus. tr.10.n.31.32
Si peracto peccato aculei Conscientiæ nimij sunt, à Diabolo sunt. tr.10.n.36
Quis sit nimius Conscientiæ aculeus, exponitur. tr.10.n.37. & seq.
Nimius angor ob peccata venialia suspectus est, & plerumque est à Dœmone. tr.10 n.38
Memoria præteritorum peccatorum quæ turbat mentem, à Dœmone est. Quæ autem à Deo est, semper cum fiduciâ est. tr. 10.n.39. & seq.
Qui perversè viuens stimulos Conscientiæ non sentit, timendum est ne is desertus sit à Deo. tr.10.n.42.43
Si peccato commisso pungeris, & ad pœnitudinem cum fiduciâ obtinendæ gratiæ reuocaris, scias hanc esse vocem Conscientiæ: cui, si sapis, illico parendum est. tr.10.n.44.45
Conscientiæ incumbit peccantem voluntatem ad Deum reducere. tr.11.n.1
Conscientiæ tormentum summum, est timor futuræ infamiæ, si scelus propaletur. tr. 18.n.14. & seq.
Supplicium hoc nemo euadit. Ostenditur id in Dauide. tr.18.n.18
Describuntur stimuli quos Conscientia peccatori impœnitenti admouet in horâ mortis. tr.19.n.12.& seq.

Suarez.

Suarez numquam docuit sententiam de Attritionis cum Sacramento efficaciâ, non esse certam, nec valdè antiquam, nec multùm communem. *Malè à Farnacquio citatur Suarez, qui omnia contraria diserte docuit.* tr.14.n.27

Syndereſis.

Syndereſis quid sit, & quomodo differat à Conscientiâ. tr.2.n.15. & seq.

Teſtimonium Conſcientiæ.

Testimonium Conscientiæ in pœnitente quid sit. tr.17.n.3
Testimonium Conscientiæ securitatem obtentæ gratiæ præstare, probatur ex D.Paulo, & Patribus. tr.17.n.4. & seq.
Acquiescendum est testimonio Conscientiæ pœnitentiâ peractâ. tr.17.n.7

Theologi.

Valde temerarium est dicere Theologos omnes errare aut erasse. tr.3.n.47
Theologorum communis consensus quantæ auctoritatis fuerit apud Patres congregatos in Concilio Viennensi. tr.4.n.29
Pauci sunt Theologi veteres qui Attritionis efficaciæ fuêre contrarij; & ferè ij qui ante Florentinum scripsêre, ex fundamento falso & per Concilium proscripto.

Post Concilium verò Tridentinum ferè tantùm duo. tr.14.n.32
Theologi alicujus opinio sola & auctoritas, non facit incertum, quod antea habebatur certum. tr.14.n.33

Theologia nouitia.

Theologiæ cujusdam nouitiæ, quæ tamen jactat se veteris Religionis instauratricem esse, fundamenta quædam egregia proponuntur. tr.3.n.51

Timor, Timidus.

Timidus fingit sibi timores vbi non sunt. tr.7.n.21.
Exponitur modus fingendi sibi timores ex Aristotele. tr.7.n.22
Timidus exemplo suo timidum facit. tr.7.n.30.
Timori dum ceditur, crescit & innalescit timoris passio. tr.8.n.11
Timor facit vt facilè recordemur rei quam timuimus. tr.11.n.62
Ex naturâ omnis timoris non est retinere voluntatem conditionatam faciendi id quod ex metu jam omittit; aut omittendi quod jam facit. Quamuis id alicui timori sit proprium. tr.13.n.50.& seq.

Timor gehennæ, seu seruilis.

Timor seruilis & filialis quomodo differant, & quæ vtriusque sit natura. tr.13.n.2.3.
Timor gehennæ bonus est quia datur eò benè vti. tr.13.n.21. & seq.
Datur aliquis timor gehennæ malus; estque is qui voluntatem absolutam aut conditionatam peccandi retinet. tr.13.n.48
Non tamen omnis timor talis est; & falsum est id esse ex ipsâ naturâ omnis timoris. tr.13.n.49. & seq.
Per timorem gehennæ potest peccator conuerti, & obseruare totam legem. Variè id probatur. tr.13.n.56. & seq.
Timor gehennæ solus non facit veram Attritionem: sed jungendus est ei Amor justitiæ, id est, desiderium justitiæ. tr.13.n.61.
Ex timore seruili potest oriri obsequium liberale. Ostenditur quomodo id fiat. Item quid sit facere aliquid seruiliter, quid verò liberaliter, seu ingenuè. tr.13.n.64. tr.14.n.4. & seq.
Timor actualis, est præco aut apparitor assiduus, qui animæ Diuinam voluntatem & legem proponit & denuntiat. tr.14.n.7. & n.10.

Timor infamiæ.

Summum tormentum Conscientiæ, est timor futuræ infamiæ si scelera propalentur. tr.18.n.15
Timor quem hinc sibi facit Conscientia, naturæ & frænum est, & supplicium. Nemo istud euadit. tr.18.n.18.19
Timor infamiæ, patibulum est peccatoris. tr.18.n.20.

Tridentinum.

Tridentini de perfectâ Contritione doctrina exponitur fusè. tr.12.n.16.& seq.
Tridentinum damnat Lutherum docentem Attritionem esse malam. tr.13.n.15. & seq.
Tridentinum sess.14.c.4. loquitur, non de Attritione quæ nascitur ex aliquâ Charitatè imperfectâ, sed de eâ quæ ex mero timore gehennæ oritur. tr.13.n.32.33
Exponitur doctrina Tridentini de Contritione & Attritione traditâ sess.6.c.5. & sess.14.c.4. tr.13.n.40.53
Ex Tridentino probatur Attritionem solam sine

sine vllo superaddito, sufficientem esse cum Sacramento suscipiendæ gratiæ dispositionem. tr.14.n.18.21
Tridentini doctrina de Confessione. tr.15. n.19.20.24
Tridentini doctrina de satisfactione. tr.16. n.1.n.6
Tridentini decretum de injungendis pœnitentiis expensum & explicatum. tr.16. n.12. & seq. item n.42.
Ex Tridentino patet quô modò per miserias naturales satisfiat pro peccatis, si rectè tolerentur. tr.16.n.53
Damnantur à Tridentino hæretici docentes certitudinem quam quisque de suâ salute habet, esse articulum Fidei. tr.17.n.35

Tutum, tutius.

Nequidem in mortis periculo, tenemur ex lege Charitatis propriæ, quærere aut facere id quod est tutius. Sufficit agere id quod tutum est. Fusè id probatur. tr.14 n.42. & seq.

Vana gloria.

Laus quam sibi dat Conscientia, non est vana gloria. Patet in D. Paulo. tr.9. n.25.26.
Sine laude Conscientiæ nemo est probus. ibid.
Quandonam insanum sit aut vanum laudare se. tr.9.n.26

Verecundia.

Cur verecundia major percipiatur ex peccatis carnalibus, quàm ex spiritualibus, etiam vbi hæc illis graviora sunt. tr.10. n.31.32
Verecundia est naturæ corruptæ frænum naturale. tr.10.n.31
Peccando amittitur verecundia. tr.20.n.20
Magis erubescendum est peccare in oculis suæ Conscientiæ, quàm in conspectu omnium hominum simul collectorum. tr.20. n.26.27
Item quàm in conspectu Sanctorum. tr.20. n.28.
Virgo dum sola est seipsam reuereatur. tr.20 n.25.

Vermis Conscientiæ.

Vermis Conscientiæ quid sit. tr.2.n.29
Vermis Conscientiæ videtur aptior ad torquendam exquisitè animam, quàm ignis inferni. tr.10.n.3

Virgines.

Virgines ex mero errore positiuo, pro Castitate tuendâ putantes se sibi posse manus inferre, sine vllo alio instinctu Spiritus sancti, innocuè imò & laudabiliter se occiderunt, aut mutilarunt. tr.3. n.30.
Virgines cum solæ sunt, seipsas reuereantur. tr.20.n.25

Vita.

Vita sine gaudio, morte est tetrior. tr.1. n.3.
Vita plena est miserijs, & tamen amatur. tr.19.n.7
E vitâ timemus discedere, quia terrenas voluptates experti, de cælestibus imaginarias species non habemus. tr.19.n.8

Voluntas, Voluntarium.

Voluntarium ex mente D. Thomæ non est, quod ex ignorantiâ inuincibili nescitur. tr.3.n.23
Voluntas, Conscientiæ actionem aliquam vetanti,

vetanti, aut imperanti bonâ fide. etiamsi erret, tenetur obedire sub peccato. tr.3.n.7. & seq.

Voluntas Conscientiæ actionem aliquam bonâ fide permittenti, etiamsi erret, impunè obedit, & sine peccato eam sequitur. tr. 3.n.19. & seq. tr.9.n.4.

Voluptas.

Voluptatem afferunt creaturæ, non gaudium. tr.1.n.4

Voluptas corporea, naturâ suâ in tristitiam diffluit. Et quidem eò citiùs quò major. Igitur moderanda est. tr.1.n.5

Voluptas sincera oritur ex gaudio, non verò gaudium ex voluptate. Homines passim sentiunt contra. tr.1.n.7

Wendrockius.

WEndrockius nugas agit dum asserit millequingentis annis fletisse Ecclesiam, antequam exorirentur Cassistæ. tr.3.n.45

Cur VVendrockius non prodit nomen suum si filius lucis est? ibid.

VVendrockius audacior est quia latet. Pronuntur eius conuitia in sententiam de opinione probabili sequendâ, impacta. tr.4.n.14

Eius conuitia passim in omnes Theologos. tr.4.n.15.16.

VVendrockii liber, cum notis Pauli Irenæi, & litteris Prouincialibus Montalti, exustus Parisijs à Senatu Regio postquam judicio Episcoporum & Theologorum fuerat condemnatus. tr.4.n.19

VVendrockius planè pernersè & abs re vtitur Scripturis. tract.4.num.20. & seq.

VVendrockius non distinguit inter errorem oppositum vero, & oppositum certo aut euidenti. tr.4.n.24

VVendrockius malâ prorsus fide, & per cauillationem asserit, D.Thomæ sententiam esse, nemini absque crimine licitum esse sequi Magistrum probabili ratione opinantem. tr.4.n.25

VVendrockius & illi similes, in afferendis pro se auctoritatibus Patrum, semper supponunt, id quod probandum est maximè. tr.4.n.23.

VVendrockius malè infert, hæreticum posse adhærere suæ hæresi, quando judicat se tenere opinionem probabilem. Respondetur ejus argumento. tr.5.n.15. & seq.

Alteri syllogismo VVendrockii, quamuis illegitimo & præter formam syllogisticam proposito, respondetur. tr.5.n.25.

FINIS.

ERRATA.

FOL. 106. *Lin.* 14. Rodii. *l.* Rutenensis. *fol.*162. *l.*12, *à fine* etiam *aude* materiale. *fol* 185. *l.*6. *à fine* indignitate *l* indignatione. *fol.*219. *l.*9. à malo *l.* à bono. *fol.*297. *l.*3. miseria *l.* misera. *fol.*386. *l.*3. inuincitur *l.* euinsitut. *fol.*411. *l.*16. Christique *l.* eiusque. *fol.*595. *l.*1. intereat *l.* intererat. *fol.*618. *l.*10. *à fine.* vt nisi *l.* vt non nisi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



SARASA

ars sempl[illegible]

Th
2644

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN